PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI

QUAS

JUXTA ORDINEM DECRETALIUM GREGORII IX.

TRADEBAT

IN SCHOLIS PONT. SEMINARII ROMANI

FRANCISCUS SANTI
PROFESSOR.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET RECENTISSIMIS DECRETIS ACCOMMODATA

CURA

MARTINI LEITNER,
DR. JUR. CAN.
VICERECTORIS IN SEMINARIO CLERICORUM RATISBON.

ALMA COLLEGE
34802
LIBRARY
Sa 59
Alma, California

LIBER IV.

RATISBONÆ, NEO EBORACI & CINCINNATI.
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.
MDCCCIC.

22863

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 7. Martii 1899.

Dr. Franc. Xav. Leitner,
Vic. in Spir. gen.

Monitum Editoris.

Profecto stimulo nobis erant verba Censoris cujusdam Romani (F. C. in *Analectis Ecclesiasticis):* „Hoc unum exoptamus, ut duo ultima volumina quamprimum edantur. Nil desideratur, quod pretio non habeatur". At qui primam et secundam hujus Commentarii editionem scientes inspexerint hanc tertiam, statim cognoscent augmentum ipsius externum (numerus paginarum fere duplo auctus cernitur). Interni autem augmenti pretium æstimare non est nostrum, attamen adscitis non solum novis ac novissimis Sedis Apostolicæ decretis et rescriptis, sed etiam egregiis clarissimorum Auctorum *de matrimonio* voluminibus id semper studebamus, ut Commentario nostro verum novumque pretium accresceret. Unde speramus præcipue hoc quartum volumen et iis qui doctrinam profitentur in cathedra, et illis qui in cura animarum laborant, magnæ futurum esse utilitati.



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/juriscanonici0004fran

Decretalium Gregorii IX.

Liber IV.

Titulus I.

De Sponsalibus et Matrimonio.

1. Matrimonium quod in statu *innocentiæ* ad officium naturæ et ad mutuum viri et mulieris adjutorium fuerat institutum, *(Gen. II. 18)* quodque, posita hominum integritate, fini suo optime respondisset, in statu *corruptæ* naturæ primitivam dignitatem suam non conservavit. Quapropter rerum humanarum restaurator, Christus Dominus, cum voluisset ad primævam institutionem et nobilitatem matrimonium in Ecclesia sua revocare, debuit eidem redemptionis suæ virtutem adjungere, gratiam nempe *supernaturalem,* qua matrimonium sanctificaretur, et conjuges congruis auxiliis munirentur ad fines matrimonii assequendos, et ad onera conjugalis status propria sustinenda. Hinc teste *Paulo* (*Eph. V. 23* et sequ.) assumptum est matrimonium ad significandum et efficaciter imitandum amorem et unionem supernaturalem inter Christum et Ecclesiam. Videlicet conjugalis contractus a Christo Domino ad dignitatem *Sacramenti* evectus est. Quare matrimonium religiosam et sacram indolem ex originaria et Christi institutione referens, Ecclesiæ potestati subjectum fuit ut disciplinaribus ejusdem legibus regeretur. Merito igitur in Jure nostro specialis tractatio de Matrimonio exhibetur. Quoniam vero Matrimonium naturam integram retinet aliorum *contractuum,* in quibus ante initam formaliter conventionem potest locum habere promissio de contractu in posterum perficiendo, hinc etiam inductum est ut matrimonio præmitterentur *sponsalia.*

Sit igitur sermo:

A. De Sponsalibus.

2. Sponsalia aliquando sumuntur ad exprimendum matrimonium ratum, sed nondum consummatum; et dicuntur *Sponsalia de præsenti.* Ita cc. 22. et 31. h. t., et passim in jure. Verum in stricto tituli sensu, sponsalia sumuntur relate ad contractum matrimonii futurum et definiuntur *'Promissio vera, libera, mutua et signo aliquo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas de jure habiles'* vel brevius: »*Mutua futuri matrimonii promissio.*«

3. Promissio *vera* dicitur 1°. per oppositionem ad *simulatam* seu fictam, quæ proprie dictam obligationem non parit, quamvis subsecuta fuerit carnalis copula. Quo in casu erit utique contra simulantem actio stupri vel dolosæ deflorationis, non autem poterit urgeri actio ex contractu sponsalitio.

4. De hac re species reperitur in c. 26. h. t. in quo proprie agitur de matrimonio inito per consensum fictum, sed theoria in eodem capite descripta applicatur etiam sponsalibus. Fictio autem etiam *exterius* innotescere debet atque probari, secus enim sponsalia vel matrimonium sustinentur coram Ecclesia, et verificatur casus contrariæ sententiæ inter forum externum et forum internum.

5. Vera etiam 2°. promissio necessaria dicitur in sponsalibus ad excludendam quamcumque *velleitatem,* seu *tendentiam* licet vehementem aut propensionem amicalem, præsertim inter juvenes frequentem, per verba aut signa amatoria manifestatam. Immo ad contrahenda sponsalia simplex *desiderium* et *propositum* nubendi, licet verbis expressum, non sufficit, sed necessaria est seria et proprie dicta promissio, qua quis se adstringit ad contrahendum aliquando matrimonium. Hinc sponsalia constituunt proprie dictum contractum.

6. *Libera* debet esse promissio; ex eo enim enascitur legitima obligatio, cujus observantia urgeri potest etiam coram judice. Libertas autem duo secumfert 1°. ut qui contrahit sponsalia intelligat *quid agat,* et adhibeat sufficientem *advertentiam* et *deliberationem.* Hinc infantes ante usum rationis, amentes, et ebrii contrahere sponsalia nequeunt. Cfr. c. 24. h. t. et c. un. C. 30. q. 2.

7. 2°. Libertas secumfert immunitatem a *vi* et a *metu.* Quod sponsalia sint ipso jure nulla si contrahantur sub influxu vis, dubium esse nequit. Vis enim est *'majoris rei impetus qui repelli*

non potest' (l. 2. ff. Quod metus causa). Quare sub influxu vis consensus non habetur, sine quo sponsalia consistere nequeunt.

8. Quid vero si contrahantur sub influxu *metus?* In genere certum est actiones sub metu positas esse ipso jure *validas.* Licet enim ob periculum imminentis vel futuri damni mens trepidet, tamen naturalis consensus semper remanet. Hinc adagium commune *'coacta voluntas semper est voluntas'.* Verum actus sub metu positi, licet validi sint, tamen ad petitionem partis per metum læsæ a judice rescinduntur; cfr. tit. *De iis quæ vi* (I. 40) n. 6.

9. Nonnulli autem actus sub metu positi ex juris dispositione sunt per se invalidi. Inter istos est præsertim matrimonium, ita ut matrimonium ipso jure non valeat, quoties fuerit contractum sub influxu metus extrinseci gravis, injuste et directe incussi ad extorquendum consensum.

Quid dicendum de sponsalibus? Nonnulli Doctores adhærentes *Sanchezio De matrimonio* (L. 4. disp. 7. n. 4.) ob nexum et relationem inter matrimonium et sponsalia, quæ in eumdem scopum tendunt, tenent etiam sponsalia sub metu inita eodem modo ac matrimonium esse ipso jure nulla. Alii autem doctores tenent ipso jure valere, sed rescindi posse a judice, petitione partis, quæ metum passa est.

10. Si theoretice inspiciatur quæstio, *melior* videtur *altera* opinio. Leges enim quos ipso jure nullos actus voluerunt, *explicite* nominarunt, uti ex. gr. matrimonium, professionem religiosam, testamentum. Igitur si de sponsalibus siluerunt, dicendum est sponsalia sub metu gravi contracta per se valida esse, sed rescindi posse ad petitionem partis. Ratio autem intrinseca disparitatis adest inter matrimonium et sponsalia. Matrimonium enim cum sit Sacramentum, excludit rescindibilitatem. Etenim vel statim nullum est, vel si validum est, simul est natura perpetuum. At sponsalia rescindi possunt.

11. *Mutua* debet esse in sponsalibus promissio. In jure enim sponsalia accensentur inter contractus bilaterales, in quibus ex utraque parte enascitur obligatio. Quare simplex promissio ab una parte proposita non constituit contractum sponsalium, licet ab altera parte fuerit acceptata.

12. Quid ergo si una pars nuptias promiserit, et altera pars solummodo acceptaverit promissionem, quin repromitteret et sese obligaret?

Profecto si pars quæ promittit intendit promittere animo contrahendi sponsalia, nihil valet promissio quia implicitam habet conditionem, dummodo altera pars repromitteret. Quod si una pars simpliciter et gratuito voluerit alteri promittere matrimonium futurum, valebit utique promissio, ita ut altera pars possit urgere implementum ejusdem, verum non habebitur contractus sponsalitius. Hinc 1°. non dabitur in hypothesi *actio sponsalium,* 2°. non exoritur ex illa promissione *impedimentum publicæ honestatis,* de quo in c. 4. h. t. Hinc remissa vel sublata obligatione promissionis alterutra pars poterit licite inire matrimonium cum consanguineo alterius in primo gradu. Hinc etiam manente eadem obligatione, matrimonium contractum ab alterutra parte cum consanguinea alterius erit validum.

13. In sponsalibus tum promissio tum repromissio debet exprimi *signo aliquo sensibili.* Constituunt enim contractum bilateralem in externa Ecclesiæ societate servandum.

14. Quæritur 1°. An proposita ex una parte promissione, sufficiat ex altera mera taciturnitas? Profecto ad sponsalia constituenda sufficit ut implicite manifestetur repromissio. Hinc juxta reg. *43.* Juris *in 6°.* 'Qui tacet consentire videtur' possent fortasse valida renunciari sponsalia ex solo alterius partis silentio.

Verum cum communi sententia dicendum est argui non posse repromissionem ex sola *taciturnitate.* Nam consensus ex sola taciturnitate non est verus consensus, sed solum præsumptus, qui admittit contrariam probationem, imo eliditur præsumptione contraria, præsertim in causis, quæ magnum præjudicium afferre possunt, quemadmodum est matrimonium et sponsalia. Qui enim tacet in istis causis, videtur consentire solum in quantum sibi favet silentium, non autem in commodum alterius. Videlicet tacere videtur saltem eo fine ut adhuc possit deliberare utrum promittere vel consensum negare expediat. — Aliqualem *exceptionem* invenies infra in n. 24.

15. Quæritur 2°. *Quænam verba vel signa requirantur in sponsalibus?*

Respondemus ad contrahenda valide sponsalia de jure *communi* non requiri verba solemnia, neque necessariam esse aliquam solemnitatem. Sufficiunt enim verba vel signa quæ juxta morem præsertim loci, satis exprimunt consensum contrahentium (c. 7. h. t.). Hinc etiam sponsalia clandestina obligant in conscientia et si possunt probari etiam in foro externo coram judice Ecclesiastico,

sustinentur. Concilium enim Tridentinum in c. 1. sess. 24. *De matrimonio* rejecit matrimonia clandestina et nihil dixit de sponsalibus id quod S. C. Concilii sæpius declaravit, e. gr. d. 19. Dec. 1596 (ex l. VIII. *Decret.* p. 196. rel. a *Benedicto XIV.* in *Inst.* 46.). Jure ergo communi sponsalia clandestina valent.

16. Quare cum potestas *Episcoporum* non sit supra jus commune, sequitur non posse Episcopos statuere aliquam solemnitatem uti necessariam ad valide contrahenda sponsalia. Unde S. C. Concilii non semel et inter alias in causa *Melphitensi* d. 8. Juli 1865, reprobavit decretum episcopale, quo declarabantur invalida sponsalia quæ non contraherentur coram Parocho loci, item in *Ugentina (Hydruntina)* d. 23. Martii 1878, ubi *Mens* erat, ut scriberetur Episcopo, »non sustineri dispositionem synodalem quoad facultatem Ordinario tributam dispensandi sponsalia sine solemnitatibus contracta.« Cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 12. c. 5. nn. 1. et sqq.

Attamen legitima consuetudine potest introduci aliqua solemnitas sponsalium *essentialis*. Sic in *Hispania* sponsalia non sunt valida *absque publica scriptura* i. e. absque publico notarii instrumento, quod etiam instrumento in curia conflato nequit suppleri. Hoc patet ex duabus S. C. Concilii resolutionibus in *Placentina* d. 31. Jan. 1880 et in *Compostellan.* d. 11. Apr. 1891. Licet consuetudo hæc enata sit occasione legis *civilis* Hispanicæ, tamen non civilis lex solemnitatem hanc essentialem constituit, sed consuetudo legitima ecclesiastica, unde S. C. Concilii in *Compostellana* d. 11. Apr. 1891 respondit: vigere adhuc dispositionem S. C. Concilii in Placentina citata etiam hodie, i. e. post civilis Hispanici codicis *mutationem* (circa formam sponsalium).

17. Quæritur 3°. *Quid dicendum si dubium exsurgat de valore sponsalium ex ambiguitate verborum vel signorum?*

Resp. Quoad *forum internum* si quis revera dubius sit utrum promiserit nec ne matrimonium, non est obligandus in conscientia ad illud contrahendum. Quia propter dubium non est aliquis cogendus ad suscipiendam certam et gravem obligationem.

18. Hoc principium adoptari potest etiam in *foro externo* quando verba vel signa ambigua sint et incerta, ut scilicet non debeat sustineri obligatio sponsalium. Valet enim etiam in casu regula c. 3. *De Probationibus* (II. 19): *'Promptiora sunt jura ad absolvendum quam ad condemnandum'* et *reg.* 30. *Juris* in 6°. »*In obscuris minimum est sequendum.*«

19. Quod si contra negantem militent gravia indicia, poterit judex illum cogere ad sese purgandum per juramentum. Quemadmodum enim notat glossa in c. 18. *De homic. volunt.* (V. 12) quando controversia agitatur de conscientia alicujus, depositio ejus juramento firmata maxime attenditur.

20. Hæc in dubio; quando autem verba vel signa *clara* fuerint, et *determinata*, contra negantem lis decidenda est, nec ei credendum est, licet paratus sit juramento confirmare assertionem suam, qua contendit se vel per jocum, vel per fraudem, ad obtinendum usum corporis alterius, nuptias promisisse.

21. Quæritur 4°. Quid in specie dicendum sit *de copula carnali; an scilicet haberi debeat veluti signum sufficiens contractorum sponsalium?*

Resp. In titulo *De Adulteriis et Stupro* (V. 16), videbimus quando ex copula carnali *absque* ulla relatione ad sponsalia oriatur obligatio contrahendi matrimonium. Nunc igitur consideramus copulam carnalem *in ordine ad* sponsalitium contractum. In genere copula carnalis inter duos per se non est signum sufficiens consensus sponsalitii, sed potius præsumitur posita ad explendam libidinem. Verum si femina fuerit honesta, et si præsertim fuerit *virgo*, simulque præcesserit tractatus matrimonii, idest clara et certa promissio matrimonii ex parte viri, copula carnalis jure meritoque accipitur in foro externo ceu signum præstiti consensus mulieris, quæ non præsumitur corporis sui copiam fecisse, nisi animo matrimonii ineundi per quod honori suo consultum fore confidit; S. C. Concilii in *Melphicten.* d. 26. Jun. 1841 et d. 9. Sept. 1843. (apud *Richter* et *Schulte:* Canones et decreta Tridentini etc. Lipsiæ 1853. pag. 222. n. 14.) Hæc duo elementa simul concurrere debent ad habendum contractum sponsalium, nam tota res præsumptionis est. Nec enim ex solo amore et signis amatoriis præsumi potest ex parte viri intentio suscipiendæ obligationis ineundi matrimonium, nec ex parte mulieris præsumi potest contractus sponsalitius, nisi mulier *honestate* fuerit decorata. Quare ob corruptos præsertim in aliquibus regionibus populi mores factum est ut in omnibus ferme controversiis in S. C. Concilii nostra ætate propositis, causæ de valore sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam præcesserint amatoria verba, et familiaris frequens conversatio. — Attamen hæc præsumptio juris tantum non videtur abolita literis S. P. *Leonis XIII.* »*Con-*

sensus mutuus« d. 15. Febr. 1892; nam neque specialiter abrogatur neque contendi potest parem dispositionis rationem adesse.

22. Tandem sponsalia contrahi debent inter *personas de jure habiles;* scilicet nullum intercedere debet impedimentum vel dirimens vel impediens, quo matrimonium prohibeatur. Nemo enim potest sese obligare ad id quod implere nequit, sive quia *nullus* esset actus, sive quia esset *illicitus.* Ad rem facit *reg.* 58. *Juris* in 6°. Porro habilitas in casu necesse non est ut sit *actualis,* sed sufficit *habitualis,* idest sufficit ut persona capacitatem habeat, qua aliquando fiat habilis ad contrahendum matrimonium. Hinc valent sponsalia *impuberum.* Plura de hac re in tit. *De conditionibus* (IV. 5) nn. 26. et sqq.

23. Sponsalia contrahi possunt *vel per se vel per alios.* Contrahuntur per alios scilicet per procuratorem. Juxta c. ult. *De Procurat.* (I. 19) in 6°. matrimonium per procuratorem potest contrahi; a fortiori igitur contrahi possunt sponsalia per procuratorem. Verum non sufficit generale mandatum, sed requiritur *mandatum speciale* in determinatam personam cum qua quis vult sponsalitium contractum celebrare.

24. Juxta c. un. *De Despons. impuber.* (IV. 2) in 6°. *parentes* contrahere possunt sponsalia pro filiis suis puberibus vel impuberibus. Hæc vero sponsalia ut valeant debet accedere consensus vel expressus vel saltem *tacitus* ipsorum filiorum. Hinc sponsalia a parentibus pro filiis contracta proprie dici nequeunt contracta per alios. Consensus filiorum sufficit ut sit tacitus, qui consensus verificatur si filii præsentes adsint et taceant, dum parentes eorum nomine matrimonium futurum promittunt. Tale enim est negotium et a talibus personis geritur, ut filii indifferentes non possint permanere, sed debeant vel consensum præbere, vel adversam voluntatem manifestare. Hinc valet *reg.* 43. *Juris* in 6°. *'Qui tacet, consentire videtur.'*

25. Diximus *si præsentes* adsint; nam si parentes in absentia filiorum pro eis sponsalia contrahant, non sufficit ad eorum valorem ut filii contractum sponsalitium quomodocumque sciant, et taceant, sed necesse est ut ratum habeant contractum celebratum a parentibus. Ita in cit. c. un. *De desp. impub.* (IV. 2) in 6°. §. 2. Hæc vero ratihabitio potest fieri *vel tacite vel expresse.* Ut autem tacite dicantur filii consensisse in contractum sponsalitium, a parentibus in eorum absentia celebratum, requiritur talis *manifestatio*

contractus, et talis *taciturnitas* filiorum, quâ merito præsumatur eorum adhæsio voluntati parentum. Hæc omnia verificari dicunt auctores, si ipsis parentibus manifestantibus etiam per epistolam contractum sponsalitium filii taceant. Hoc enim in casu filii sese indifferentes gerere nequeunt, sed saltem ex honestate tenentur vel parentibus consentire vel illico contrariam pandere voluntatem.

26. Sponsalia contrahi possunt vel *absolute,* vel *sub conditione.* Cum sponsalia considerentur ceu alii contractus, nil mirum si iisdem apponi possunt conditiones, quarum effectus est ut suspendatur obligatio matrimonium contrahendi usque ad conditionis exitum. Quæ conditiones apponi possint in sponsalibus, et quanti valeat specialis quædam conditio apparebit ex dicendis in tit. '*De conditionibus appositis*' (IV. 5).

27. Quæritur: utrum in sponsalibus locum habere possint *arrhæ* et *pœnæ* contra injuste resilientes a sponsalitio contractu. — *Arrhæ* nomine venit quidquid a sponsis vel eorum parentibus sibi invicem traditur, quasi pignus in securitatem matrimonii futuri sub ea lege, ut qui absque causa recedat a sponsalitio contractu, amittat quod alteri dedit, et quod recepit restituere debeat. Arrhæ distinguuntur a *jocalibus* aliisque donationibus, quæ non fiunt in pignus secuturi matrimonii, vel sub implicita conditione ut sequatur matrimonium, sed solum in signum affectus, ac proinde obligatio non urget res acceptas restituendi si matrimonium non celebretur.

Arrhas in contractu sponsalitio locum habere posse tradunt communiter doctores, innixi dispositioni juris Cæsarei in ll. 1. C. et 18 ff. *De Sponsalibus* quas leges Jus Canonicum non reprobavit, immo probare videtur c. 14. C. 27. q. 2. nec non in cc. 3 et 7. C. 30. q. 5.

28. Quæritur etiam utrum *pœnæ* quoque adjici possint sponsalibus; ex. gr.: si mecum matrimonium non contraxeris, in pœnam centum mihi solves? Resp. Negative; argumento c. 29. h. t. et *Instructionis* Cardinalis Othmari *Rauscher**) quæ §. 109. hoc statuit:

*) „Instructio pro judiciis ecclesiasticis quoad causas matrimonialis", composita a dicto Cardinali *J. O. Rauscher,* Principe-Archiepiscopo Viennensi, examinata et commendata a 5 optimæ notæ doctoribus Romanis, approbata et acceptata est ab omnibus Episcopis Austriacæ ditionis in Conventu Episcoporum Austriacorum Viennæ a. 1856 habito. (Cfr. Collectionem *Lacensem* Conciliorum recentiorum. Tom. V. pag. 1286—1316.)

»Omnis pactio de pœna conventionali a parte quæ resiliret, solvenda, non tantum *illita,* sed etiam *invalida* est.« Hæc dispositio plane congruit dispositioni *Gregorii IX.* in c. 29. h. t.: »Cum libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda: mandamus, quatenus si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.« Causa autem ejusmodi dispositionis erat hæc: Sponsalia contracta fuere a quadam Teberga infra septennium cum quodam Petro filio Benedicti de Alferis. Parentes qui aderant, pœnam adjecerunt ab ea parte solvendam quæ a sponsalibus recessisset. Accidit ut inde Teberga facti pœnitens alteri viro nuberet. Quare Benedictus de Alferis judicio pulsavit Gemmam Tebergæ matrem ut pœnam statutam solveret.

29. At nonnulla objiciuntur ab hujus sententiæ adversariis (apud *Gasparri* in *Tractatu canonico de matrimonio,* 2. editio, Parisiis 1892. tom. I. n. 61., pag. 39.): 1°. In c. 29. h. t. sermo est de persona *juste* resiliente a sponsalibus; nam illa sponsalia quippe quæ essent intra septennium inita, aut nulla aut adveniente pubertate saltem rescindibilia erant; ergo theoria de pœna non imponenda in sponsalibus applicari quidem potest et debet respectu personarum *juste* resilientium, minime vero quoad personas injuste recedentes.

Resp. In c. 29. h. t. *Gregorius IX.* causam resiliendi, utrum justa esset an injusta, non respexit, sed solummodo *libertatem matrimonii.* Nam dicta sponsalia necessario nulla aut rescindibilia non sunt præsumenda; nam T. et P. ætatem pubertatis assecuti contractum sponsalitium etiam ratihabuisse poterant. Ergo ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

30. 2°. »Differentia inter arrham et pœnam est imaginaria«; quare ergo ab illis qui arrhas adjiciendas et restituendas concedunt, pœna reprobatur? — Resp. De arrhis *simplicibus* (in simplum) loquimur; nam arrhas in duplum vel in triplum etc. a pœnis in nomine tantum differre apparet; cfr. l. 5. C. *De sponsalibus et arrhis sponsalitiis.* Hoc præmisso dicimus 1°. arrham ex natura sua constitui in *parva* quantitate, cfr. Nov. 18. *Leonis* Augusti; 2°. arrham non solum esse *incitamentum* ad implendum contractum, sed etiam *testimonium* contractus ex l. 35. ff. *De contrahenda emptione* etc.; 3°. in arrhâ restitutâ neuter damnum patitur; in pœna vero solvenda solvens revera damnum patitur.

Quare vehementer miror quod cl. *Gasparri* hanc differentiam vocaverit *imaginariam,* vir peritissimus juris *civilis* Romanorum quod tamen in l. 71. ff. *De conditionibus et demonstrationibus* aperte dicit: »Aliud est eligendi matrimonii *pœnæ metu* libertatem auferri, aliud autem ad matrimonium *certa lege* invitari«; — cfr. tota *Nov.* 18. *Leonis* Augusti.*)

31. Tamen in eorum sententiam facile descendam, qui dicunt valere pœnas, quæ sponsalibus adjiciantur ab extraneis dummodo non notabiliter influant in libertatem matrimonii. Namque in casu solutio pœnæ haberi potest tamquam factum alienum quod partes contrahentes directe non tangit.

De effectibus Sponsalium.

32. Duplex est effectus sponsalium 1⁰. *Impedimentum publicæ honestatis,* de quo inferius tit. 4. n. 23. sermo erit. 2⁰. *Mutua obligatio contrahendi matrimonium.* Videlicet sponsalia valide contracta sive clam sive cum aliqua solemnitate, sub gravi ex titulo justitiæ obligant ad matrimonium celebrandum. Hæc autem obligatio non solum urget in foro conscientiæ, sed etiam valet in foro externo, ita ut coram judice detur actio ad obtinendum adimplementum obligationis ejusdem contra reluctantem. Etenim sponsalia constituunt contractum mutuum, seu bilateralem, et utrique onerosum in materia gravi, prout est conjugalis status hominis.

33. Hæc est propria notio, juxta principia juris nostri, de sponsalibus (cc. 10. et 17. h. t. et in cc. 46. et 47. C. 27. q. 2.). Quidquid sit de jure civili Romanorum, in quo licet initio sponsalia per stipulationem contraherentur, ac proinde parerent *actionem civilem ex stipulato,* tamen inde mutatis in pejus moribus factum est ut sponsalia in irritum sæpe sæpius cederent, et juxta legem 1. C. *De sponsalibus,* liceret utrique ex contrahentibus conditioni desponsatæ renuntiare et alteri nubere. Quare sponsalia in L. 1. ff. h. t. dicta sunt *nuda mentio et repromissio futurarum nuptiarum.*

Legislatio civilis pro Regno *Italiæ* §§. 53. et 54. contra resilientem injuste a sponsalibus, et quidem in forma solemni con-

---

*) Ex hac *Nov.* 18., non vero ex l. 5. C. h. t., multoque minus ex l. 134 ff. D. V. O. sequitur propositio: „Hæc pœna valebat et solvi debebat ex jure Romano“ ut ait *Gasparri* l. c. n. 60.

tractis, solummodo admittit actionem, infra annum promovendam ad refectionem *expensarum* assequendam.*)

34. Quod si sponsalitio contractui adjectum fuerit *juramentum*, præter obligationem justitiæ adest etiam obligatio religionis, quæ obligatio religionis est distincta ab obligatione justitiæ et quandoque juxta c. 16. h. t. et juxta principium, quod regit materiam juramenti, urget, licet obligatio justitiæ non possit urgeri; cfr. tit. *De jurejurando* (II. 24) nn. 7. et sqq.

35. Quæritur quando urgeat obligatio sponsalium. Profecto si adjecta fuerit *conditio* vel fuerit *præfinitum tempus* ad celebrandum matrimonium, obligatio non urget antequam conditionis eventus contingat, vel terminus designatus adveniat. Juxta enim *reg.* 85. *Juris* in 6⁰.: »*Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.*«

36. Quod si *pure* et *simpliciter* contracta fuerint sponsalia, *rigore juris* statim *cedit et venit* dies explendæ obligationis. Talis enim est indoles contractuum, quibus nec dies adjectus fuerit nec conditio. Verum ipsa præsumptiva intentio utriusque sponsi suadet aliquod tempus sibi invicem concessisse ante celebrationem matrimonii, secus enim si omnia in promptu fuissent, omniaque plana et expedita, certe non sponsalia, sed ipsum matrimonium contraxissent.

Si quæratur autem quodnam sit tale tempus, respondemus in foro *conscientiæ* unam partem teneri ad contrahendum matrimonium, quando altera parte exquirente, ipsa nullo probabili obstaculo detineatur.

In foro autem *externo* cum jus positivum taceat, æqua ad contrahendum dilatio *a judice* definiri poterit.

37. Quæritur *an possit compelli ad matrimonium is, qui absque justa causa renuat implere promissionem sponsalium.*

Binæ dispositiones, quæ sibi invicem adversari videntur, in Jure nostro exhibentur. In c. 10. h. t. enim traditur virum quemdam renuentem, observare fidem datam in sponsalibus, in judicium vocatum fuisse. Cum adhuc renueret matrimonium contrahere cum

*) „Jure *Gallico* obligatio sponsalitia cum relativo jure non recognoscitur, et ideo fortasse multi fideles sponsalia parvi faciunt," ait *Gasparri* c. l. n. 63. pag. 42. Lege *Austriaca* (C. A. C. §§. 45—46.) idem statuitur quod in Regno Italiæ; item in Codice Civili *Hispanico* §§. 47. et 49. In novissimo Codice Civili *Germaniæ* qui valebit a Cal. Januarii 1900, de sponsalibus agunt §§. 1297—1302. in quibus non actio ad contrahendum matrimonium, sed tantum actio ad resarciendum damnum injuste illatum infra biennium conceditur.

sponsa, judex expostulavit a Romano Pontifice, quid esset agendum. *Alexander III.* respondit, virum esse monendum, quod si monitis non acquievisset absque legitima causa, ait Pontifex, ecclesiastica censura esse compellendum, ad recipiendam mulierem in uxorem, et maritali affectione tractandam. In c. 17. autem h. t. quæsitum est a *Lucio III.*, quid esset agendum in quæstione sponsalium, in qua mulier renuebat contrahere matrimonium, ad quod contrahendum sese per sponsalia juramento firmata obstrinxerat. Romanus Pontifex respondit monendam esse potius mulierem, quam cogendam, et rationem affert quia coactiones solent habere difficiles exitus. Ipso primo intuitu oppositio inter utrumque caput apparet. In cap. enim 10. traditur reluctantem posse mediis juridicis *compelli* ad observandam fidem datam in sponsalibus; in cap. autem 17. coactio juridica excluditur, et potius *monitio* facienda proponitur.

38. Dicendum non est cum aliquibus canonistis in cap. 10. agi de *viro* reluctante, in cap. autem 17. agi de *muliere*, quæ majori indulgentia digna est. Nam quando sermo est de obligatione suscipienda, utique jura sunt mitiora mulieribus præ viris, sed quando agitur de obligatione legitime suscepta jus non distinguit inter virum et mulierem, sed obligatio ab utroque adimplenda est.*) Nec admitti potest explicatio eorum, qui docent illud *potius* cap. 17. idem significare ac *prius*, quasi diceret Pontifex, *prius* mulier monenda est, deinde cogenda. Nam ratio adducta a Pontifice excludit coactionem sive ante sive post monitionem.

39. Quomodo ergo conciliantur hæc duo capita? Resp. Verior conciliatio et in praxi tenenda est ut dicamus in c. 17. tradi *regulam* generalem, in cap. autem 10. exhiberi *exceptionem*. 1ª. ratio hujus conciliationis deducitur ex diversa *forma* eorumdem capitum. In c. 17. enim quæstio proponitur et resolvitur in forma *generali;* in c. 10. autem quæstio *peculiaris* et *specifica* tractatur, relate ad aliquod matrimonium, inter quædam individua contrahendum.

40. 2ª. ratio deducitur ex *indole* cap. 10. In eo enim coactio moralis censurarum non jubetur absolute, sed quia in casu proposito Pontifici verificabatur ratio specialis. Scilicet tales circumstantiæ concurrebant ob quas non timebantur mali exitus

*) Nihilominus S. C. Concilii adoptavit hanc sententiam in *Anconitan.* d. 30. Mart. 1748. (apud *Richter* und *Schulte: Decreta* etc. ad sess. 24. De Ref. matr. n. 18. pag. 223.)

matrimonii. Unde *Alexander III.* noluit constituere legem generalem de coactione semper adhibenda contra resilientem a sponsalibus. Quod vero mens fuerit *Alexandri III.* in cap. 10. compellendi reluctantem ad ineundum matrimonium solummodo in hypothesi in qua mali exitus non timerentur, patet ex specie eidem proposita. Sane agebatur de sponsalibus a duobus nobilibus pubescentibus, et ab eorum parentibus ideo contractis, ut interveniente matrimonio quæstio inter familias exstingueretur. Cumque parens viri vellet iterum arma sumere contra parentem mulieris, persuasit filio suo ut a sponsalibus recederet. Filius forsan inscius malæ intentionis parentis cum nullam aversionem haberet erga puellam, ex solo respectu erga patrem a sponsalibus resilere conatus est. *Alexander III.* considerans juvenem non odio, sed ex velleitate quadam a data fide resilire, et cæteroquin timeri non posse malos exitus ex matrimonio, immo sperari posse felices, nempe pacem familiarum respondit virum esse compellendum ad celebrandum contractum matrimonii.

Quapropter in præsenti materia sequens est præ oculis habenda regula: Scilicet si quæstio implorandæ fidei sponsalium coram judice agitetur, et liquido constet de valore sponsalium, judex debet *serio admonere* partem reluctantem de gravi obligatione, qua in conscientia adstringitur ad contrahendum matrimonium.

Quod si nihilominus obstinata voluntate obsistat ita ut appareat etiam in posterum duratura, adhiberi non debent *pœnæ ecclesiasticæ,* et coactio moralis ad obtinendum consensum matrimonialem, nam coacta conjugia solent habere difficiles exitus.

Hæc procedendi ratio capit. 17. œconomiæ gratia proponitur. Videlicet optime et indubie a Jure agnoscitur obligatio sponsalium, sed ea non semper urgetur ob majus malum quod prudenter prævideri potest: infelices nempe exitus coacti conjugii. Verum si omnibus circumstantiis perspectis, infelices effectus conjugii non possint timeri, hoc in casu servanda est dispositio cap. 10. qua statuitur reluctantem esse prius monendum, si monitis non acquiescat, esse compellendum ad servandam fidem datam alteri parti. Unde aliquando judex potest compellere invitum ad servandam fidem datam in sponsalibus.

41. Hæc perspicua nostri Auctoris theoria non semel a S. C. Concilii in praxim deducta est invocata expresse ipsius auctoritate; e. gr. novissimo tempore in *Melevitana Sponsalium* d. 25. Julii 1896.

42. Quæritur modo *quænam media eidem præsto erunt ad hanc coactionem exercendam.*

Jure *antiquo* expresso in c. 10. h. t. poterat judex statim gladio *censurarum* ferire sponsum reluctantem contrahere matrimonium. Verum jus hoc correctum fuit a Conc. Trident. in c. 3. Sess. 25. De Reform. ubi statuit non posse judicem uti gladio censurarum in causis expediendis, nisi quando via eidem præcludatur ad alia media efficacia exercenda, quæ præcipue sunt *exsecutio realis* vel *personalis.*

De Dissolutione Sponsalium.

43. Sponsalia in genere *resolvi* possunt; sequuntur enim naturam aliorum contractuum.

Tres sunt modi quibus sponsalia dissolvuntur: I°. Si ipse consensus tollitur; II. si objectum contractus sponsalitii fit impossibile; III. si objectum contractus sponsalitii subit notabilem mutationem.

Ad I^{um}. Sponsalia dissolvuntur, si ipse consensus tollitur *mutuo consensu.* Valet enim in sponsalibus c. 1. *De reg. Juris* (V. 41): *'Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.'* Quemadmodum igitur per mutuum consensum sponsalia contrahuntur, ita etiam per mutuum dissensum possunt resolvi. Hinc modus iste resolutionis sponsalium est non solum validus, sed etiam licitus.

Et quidem per mutuum consensum dissolvuntur sponsalia etiam *juramento* firmata c. 2. h. t.; cfr. tit. *De jurejurando* (II. 24) n. 9., ubi *regula* 42. *Juris* in 6°.: »*Accessorium naturam sequi congruit principalis.*«

44. Verum notandum est, per mutuum dissensum resolvi non posse sponsalia ab *impuberibus* contracta, quoadusque pubertas non advenerit. Ita in c. 8. *De Despons. Impub.* (IV. 2). Ratio hujus juridicæ dispositionis est, quia non est nimis favendum *temeritati* impuberum.

45. Ad II^{um}. Sponsalia dissolvuntur quando *objectum contractus sponsalitii fit impossibile.* Hoc autem accidit: 1°. *morte* alterutrius vel utriusque sponsi; nam mors omnia solvit; 2°. superveniente aliquo *impedimento matrimonii indispensabili* vel absolute vel relative. Talia impedimenta matrimonii absolute indispensabilia sunt: *perpetua amentia, impotentia* de qua videbimus in tit. *De frigidis* etc. (IV. 15) et *ligamen* i. e. matrimonium cum altera persona.

46. De duobus prioribus hisce impedimentis nullum dubium movetur; restringimus ergo sermonem ad matrimonium cum tertia

persona sponsalibus de futuro superveniens. *Satis est* ut matrimonium sit *tantummodo ratum* licet sit a Summo Pontifice dispensabile. Ita in cc. 31. h. t. et 1. *De sponsa duorum* (IV. 4).

Ratio est quia per matrimonium de præsenti a partibus contrahentibus acquiritur utrinque jus conjugale ita ut vicissim constituantur vir et uxor ac proinde non detur recessus ad priorem personam, cum qua contracta fuere solummodo sponsalia, idest solummodo fuit promissum jus conjugale.

47. Verum solutio hæc sponsalium eritne prorsus *absoluta,* ita ut soluto inde matrimonio, nunquam reviviscat obligatio eorumdem sponsalium?

Procul dubio pars, quæ matrimonium *non* contrahit, ex facto alterius liberatur prorsus ab obligatione suscepta erga eam partem, quæ contraxit matrimonium. Relate ad partem, *quæ contraxit matrimonium,* inspecto rigore justitiæ, nonnulli doctores retinent, sponsalia per matrimonium cum alia persona contractum non exstingui penitus, sed suspendi, ita ut soluto matrimonio hujusmodi sponsalia reviviscant. Scilicet si altera pars voluerit exspectare, nec aliquod factum ponat per quod juri suo renunciet, simulque verificetur solutio matrimonii, pars, quæ per injuriam matrimonium contraxit, tenetur matrimonium celebrare cum ea persona cum qua contraxerat sponsalia. Nam obligatio ex sponsalibus orta natura sua est *perpetua* et solummodo ob matrimonium celebratum ad effectum reduci nequit, id est ob interjectum impedimentum matrimonii suspenditur. Sublato igitur hoc impedimento, obligatio illa totam vim suam exserit, et exsecutioni mandanda est, si altera pars velit provocantque ad analogiam cum reviviscentia voti castitatis.

At verior nobis videtur esse contraria sententia. 1°. Contractus enim conjugalis inducit de se, i. e. ex ordinaria lege, statum *perpetuum,* contrarium sponsalibus antea initis ac proinde quamvis illicite, tamen valide videtur prorsus esse exstincta obligatio orta ex iisdem sponsalibus. 2°. Sententia quæ tenet obligationem ac jus prioris contractus sponsalitii etiam durante matrimonio superveniente adhuc perdurare et soluto matrimonio reviviscere, est contra bonos mores. Nam pars quæ exspectat, naturaliter afficitur desiderio assequendi proprium jus et exinde debet desiderare mortem conjugis compartis suæ. At desiderare mortem proximi certissime est contra bonos mores. Nonne totus h. l. titu-

lus VII. eo tendit, ut avertat votum captandæ mortis conjugis innocentis. 3°. Est prorsus immorale conjugem obligatum esse tertiæ personæ in eodem objecto.

48. Impedimenta relative indispensabilia sunt: a. professio solemnis; b. ordo sacer. Diximus »relative indispensabilia«; nam utrumque impedimentum rarissime quidem relaxatur, nunquam tamen ob sponsalia præcedentia. Eadem verificantur in matrimonio rato tantum.

Quoad professionem solemnem jam vidimus in tit. *De conversione conjugatorum* (III. 32) eidem inesse tantam vim, ut dissolvat etiam matrimonium ratum tantum. Dicta ergo de dissolutione matrimonii non consummati, *a fortiori* applicanda sunt sponsalibus de futuro; cfr. cc. 16. h. t. et 7. *De conversione conjug.* (III. 32). — Licet susceptio *ordinis sacri* non dissolvat matrimonium non consummatum, dissolvit tamen sponsalia de futuro; nam matrimonium ob impedimentum dirimens jam est impossibile. — Si *aliud impedimentum* matrimonii supervenit sponsalibus vel post sponsalia demum cognoscitur, sponsalia antecedentia nulla sunt, at in casu quo ex *culpa unius* inducebatur impedimentum, dispensatio mediis ordinariis petenda est a parte quæ inducebat impedimentum; cfr. inferius n. 54. —

49. Ad III^{um}. *Dissolvuntur sponsalia, si objectum sponsalium subit notabilem mutationem.* Objectum sponsalium est futurum matrimonium inter duas certas personas. Mutationes autem fieri possunt aut circa ipsam fidem sponsalitiam aut circa bona animi, corporis, fortunæ. Rursus hæ mutationes aut culpabiliter inducuntur aut licite fiunt.

50. *Mutationes quæ circa fidem sponsalitiam sine culpa inducuntur.* Si unus ex sponsis *ingreditur in religionem aliquam* vel emittit votum *ingrediendi* religionem, voluntate induxit mutationem in materia contractus sponsalitii. Eo ipso ergo alteri dedit libertatem; at jus in fut. matrimonium solo voto vel solo ingressu in religionem alteri non adimitur, sed suspenditur tantum.

51. Si sponsus *ordines minores* suscipit, distinguendum est: Si hoc facit intentione manendi in hisce ordinibus minoribus juxta exposita in tit. *De clericis conjugatis* (III. 3) nn. 1. et 12., et sponsa consentit, nihil innovatur circa jus sponsalitium.

Si vero vir ordines minores inscia et invita muliere suscipit et præcipue intentione ascendendi etiam ad majores ordines quæ

nostris temporibus ordinarie præsumitur, mulierem libertatem eo ipso recuperare, at jure non privari usque ad ordines majores de facto susceptos notant DD.

52. Hactenus consideravimus mutationes circa fidem sponsalitiam absque culpa factas; nunc loquimur II. de mutationibus *culpabiliter* inductis. Violatio fidei sponsalitiæ culpabilis saltem ordinarie verificatur: 1°. *nimia temporis dilatione.* Si præfinitus terminus fuerit ad *exstinguendam* obligationem statim eo tempore adveniente sponsalia soluta erunt, pro utraque parte vel saltem pro una, prout per utrumque sponsum, vel per unum, non steterit, quominus matrimonium intra tempus adsignatum contraheretur; c. 22. h. t.

Si tempus præfinitum fuerit ad *differendam* obligationem, scilicet ita ut ante illud tempus obligatio non urgeat, dilatio ad hoc tempus decurrens non solvit sponsalia. Quod si tempus præfinitum non fuerit, et una pars instet ut celebretur matrimonium, altera vero renuat absque legitima causa dilationis, prior pars poterit in genere resilire a contractibus. Pars enim quæ *injuste* recusat obligationi susceptæ satisfacere, eo ipso præsumitur renunciare juri suo et aliam partem solvere a quocumque onere.

Item eadem violatio fidei sponsalitiæ verificatur 2°. per *discessum* sponsi, qui *inscia* aut *invita* sponsa vel domicilium alibi figat, vel in alias partes sese transferat brevi non rediturus, sive id peragat ex causa utili et necessaria sive id peragat ex libera ejus electione. Conclusio hujusmodi eruitur ex c. 5. h. t. Ratio est quia notabilis rerum mutatio ex parte sponsi inducta est, qua sponsa vel teneretur domicilium mutare, vel diu exspectare reditum sponsi, cum gravi incommodo et periculo amittendi occasionem aliarum nuptiarum. Si sponsus intra semestre non redierit, sponsæ liberum erit matrimonium cum altero contrahere; S. C. C. in *Mediolanen.* d. 2. Oct. 1723.

53. Simili modo violatur fides sponsalitia 3°. quoties ab alterutra parte attentantur *sponsalia cum tertia persona.* Diximus »attentantur«; nam hæc nova sponsalia etiam jurata invalida esse, utpote illicita, per se patet.

54. A fortiori fides sponsalitia violatur 4°. crimine *fornicationis* cum alia persona sponsalibus supervenientis ex c. 25. *De jurejurando* (II. 24). Quæ fornicatio subsequens sive viri sive

mulieris semper solvit sponsalia in favorem partis *innocentis,* quia læsionem importat in eo quod est fides futuri conjugii.

Non solvit vero fornicatio sponsalia in favorem partis *nocentis,* quia nemo reportare debet ex suo crimine commodum. Id vero in genere verificatur, nam si per fornicationem contrahatur *impedimentum dirimens affinitatis,* quemadmodum contingeret si sponsus copulam haberet carnalem cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu, in hac hypothesi sponsalia dissolvuntur pro utraque parte. Res enim incidit in eum casum a quo incipere non poterat.

55. Dicunt vero doctores, in casu quod superveniat ex culpa unius ex sponsis, quodque *dispensari* soleat a Romano Pontifice, teneri ad procurandam dispensationem solummodo ordinariis expensis eam partem, quæ causam posuit impedimenti. Rationem vero inferunt ex eo, quod dispensatio necessaria est ad sarciendum damnum alteri illatum ex propria culpa.

56. Fides sponsalitia violatur *subsequenti* fornicatione, quia *antecedenti* nequit violari. Nihilominus etiam fornicatio quæ præcessit, considerari debet et distinguendus est duplex casus, idest vel fornicatio fuerit ab altera parte *cognita,* vel *non.* Si cognita fuerit tempore contractus sponsalium, non nocet sponsalibus, censetur enim unus contrahens alteri quemlibet defectum *condonare.*

57. Si vero fuerit *ignorata,* nocet, quia obligatio sponsalium suscepta præsumitur sub hac conditione 'dummodo res se habeant quemadmodum apparent'. Jamvero unus ex contrahentibus apparuisset honestus, cum criminosus fuisset.

58. Non desunt tamen Doctores, qui animadvertunt, ob præcedentem quidem fornicationem *mulieris* solvi sponsalia, quando vir crediderit eam esse virginem, eamque fama communis eousque talem existimaverit, non autem *viri,* quia in opinione communi magis est præjudicium honestatis mulieris, quam viri ob crimen fornicationis. — Verum non deest præjudicium honestatis viri.

59. Objectio quidem petita ex c. 25. *De jurejurando* (II. 24) quod vetat opponere *præcedentem* fornicationem, facile solvitur ex verbis ipsius c. 25. Nam vir spoponderat cum juramento se mulierem illam *semper* habiturum pro legitima uxore. In verbo enim »semper« haud obscure indicatur: virum nullo præteriti temporis habito respectu ducturum illam mulierem, sive esset honesta sive inhonesta præcedenti fornicatione quam condonavit vir saltem tacite et inclusive.

60. Præter violationem fidei sponsalitiæ accidere possunt III. *mutationes* sc. *in bonis animi vel corporis vel fortunæ alterutrius ex contrahentibus.* Hæ autem mutationes sunt defectus qui aut sponsalibus de facto superveniunt aut ante sponsalia jam exsistentes postea patefiunt.

Si superveniat hæc mutatio notabilis, obligatio perseverat solum pro parte, quæ notabilem mutationem passa est, non vero tenet amplius pro alia parte. Nam obligatio præsumitur suscepta cum implicita conditione 'si res ita permanent quemadmodum sunt tempore contractus'. — Quod si præcesserit mutatio, solvuntur sponsalia ob aliud principium, quia sponsalia præsumuntur contracta sub implicita conditione: 'Si res ita sint quomodo apparent'. Indifferens autem est si mutatio sit animi vel corporis vel etiam fortunæ etc. Sufficit ut sit mutatio gravis momenti idest talis, quam si altera pars cognovisset, procul dubio sponsalia non contraxisset.

61. Porro mutatio notabilis *animi* censetur verificari quoties alteruter ex sponsis contrahat infamiam ob furtum, homicidium, apostasiam vel aliud grave crimen. Item si appareat vitio aliquo ex. gr. ebrietatis maculatus, vel fiat aleator, turbulentus, vel demens.

62. Mutatio notabilis *corporis* verificatur quoties alteruter ex sponsis incidat in morbum incurabilem, et præsertim contagiosum. Item si corporis vel membrorum deformitatem contrahat. Cfr. c. 25. *De Jurejurando* (II. 24).

63. Mutatio notabilis in bonis *fortunæ* contingit cum unus ex sponsis ex honesta conditione in paupertatem incidat, quæ prævideri non poterat Hinc immutatio fortunæ quæ poterat prævideri, sponsalia non solvit.

64. Inter mutationes notabiles doctores adsignant inimicitias graves, quæ exoriantur inter parentes utriusque sponsi, vel inter ipsos sponsos, quia difficiles exitus solent in matrimoniis producere.

Verum in hac re a judice qui de dissolutionis causa decernere debet, caute est procedendum et præsertim consideranda est dispositio animi *utriusque sponsi,* et probabilitas futuræ conjunctionis animorum inter utrumque. Quæ probabilitas si verificetur, non est admodum attendenda actualis dissociatio animorum. Insuper investigandum sedulo est, utrum dissociatio actualis sit necne *vera* an *simulata;* cfr. c. 10. h. t. et dicta superius in nn. 37. et sqq.

65. Modus extraordinarius quo dissolvuntur sponsalia valida, est IV°. *dispensatio Romani Pontificis.* Proponimus ergo: Solus Romanus Pontifex potest ex justa causa dispensare super sponsalibus. »Solus Romanus Pontifex«, non prælati Papâ inferiores; nam agitur hic de auferendo jure quæsito quod competit uni Principi in societate, ergo soli Papæ. — Romanus Pontifex *potest* dispensare; nam 1°. de facto dispensat; ergo potest dispensare. »De Pontificis enim potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est«. *S. Alphonsus* in *Theol. moral.:* De matrimonio. n. 1120. cit. *Benedicto XIV.;* 2°. dispensat in *matrimonio* rato tantum, a fortiori in sponsalibus. — »Ex justa causa«; nam dispensatio sine causa non solum illicita, sed et invalida esset; dispensat enim in jure naturali.

Dispensat »super sponsalibus« in se validis. Exemplis novissimi temporis ostendi potest sponsalia in se quidem sustineri, sed dissolvi interveniente auctoritate Papæ. Cum dubium proponeretur »An sit locus remotioni impedimenti *Nihil transeat* in casu«, S. C. Concilii d. 10. Sept. 1887. in *Ostunen.* respondit: »Affirmative, *prævia dispensatione,* facto verbo cum Sanctissimo; monito viro, ut pro posse æquam compensationem, arbitrio Archiepiscopi determinandam, tribuat sponsæ et proli ab ea susceptæ.«

Ex hac responsione tota quæstio dispensationis sponsalium egregie illustratur. Etenim si persona quædam contra matrimonium ineundum opponit sponsalia inter ipsam et unam de partibus contrahentibus, hæc oppositio vocatur impedimentum »*Nihil transeat*«, sc. persona obligata nequaquam transeat ad nuptias, inaudita persona opponente. Si deinde valor dictorum sponsalium non valet probari, locus est remotioni impedimenti »*Nihil transeat*« absque dispensatione; S. C. Conc. in *Bellunen.* d. 20. Aug. 1887.; si vero constet de valore sponsalium, dictum impedimentum absque Sedis Apostolicæ auctoritate ob causas graves, inprimis ob matrimonium »civile« inter contrahentes jam initum, dispensantis, non tollitur. Attamen dispensatio hæc non conceditur nisi cum onere reparandi damna et prospiciendi educationi prolis fortasse procreatæ; cfr. causam *Melevitanam* d. 25. Julii 1896. a S. C. Concilii decisam.

66. Restat ut duo animadvertamus 1°. non eandem requiri in omnibus supra expositis *probationem.* Nam si causa solutionis sponsalium procedat ex impedimento sive dirimente sive impediente matrimonium, cum interveniat periculum animæ, non requiritur plena probatio, sed sufficit probatio *semiplena,* quæ nempe ratio-

nabile dubium ingerat de valore aut etiam de liceitate matrimonii contrahendi in exsecutionem sponsalium.

67. Si vero agatur de causa solutionis, quæ solum concedat facultatem uni ex contrahentibus resiliendi a sponsalibus, probatio causæ debet esse *plena,* quæ nempe rationabile dubium in contrarium removeat. Nam in hypothesi agitur de damno inferendo tertiæ personæ, seu illi contra quam sponsalia nulla esse dicuntur.

68. 2ª. Animadversio respicit ipsum *actum* solutionis sponsalium. Scilicet si causa resiliendi a sponsalibus non sit certa et explorata, sed sit *dubia,* sive quoad suam exsistentiam, sive quoad suam extensionem et valorem et altera pars sit invita; non poterit quis illico a sponsalibus resilire, sed opus erit ut *ecclesiastica auctoritas* interveniat et quæstionem dirimat. Casus enim est in quo decisio judicialis necessaria est, quæ certum finem imponat dubietati ne partium arbitrio lis finienda remittatur. Quod si causa moraliter *certa* sit solutionis sponsalium, *in genere et per se* non est necessaria auctoritas Ecclesiæ, quæ decernat de valore sponsalium, sed pars, quæ cognoscit propriam libertatem, potest *auctoritate privata* a sponsalibus resilire; atque ita agere perinde ac si sponsalia non intercessissent. Nam ipsa certitudo moralis eximit unam partem ab obligatione in sponsalibus contracta.

69. Dixi *de se et in genere,* nam in specie et ob relationes speciales potest requiri auctoritas ecclesiæ; ex. gr. si causa resiliendi non fuerit publice, et sufficienter cognita, et e contra communiter cognoscantur sponsalia valida. In hac enim hypothesi ob periculum scandali fidelium necessaria erit auctoritas Ecclesiæ, quæ pronunciet de cessatione obligationis.

B. De Matrimonio.

70. Matrimonium potest in genere considerari prout est *officium naturæ,* et definitur: *'Maris et feminæ (legitima) conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens'*, c. 11. *De præsumptionibus* (II. 23). Definitio hæc conjugiis convenit sive christianorum sive infidelium.

71. In specie matrimonium accipitur prout est sacramentum idest prout exstat in Ecclesia Christi, ex Christi ipsius institutione, qui assumpsit ipsum contractum naturalem conjugii in signum unionis suæ cum Ecclesia eique gratiam supernaturalem tribuit, qua contractus ipse naturalis, et legitimus fieret Sacramentum, quod definiri potest *contractus legitimus et indissolubilis inter*

virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad prolis procreationem, evectus a Christo Domino ad dignitatem sacramenti.

72. Dicitur 1°. *contractus legitimus;* debet enim celebrari a *personis de jure habilibus;* et quidem habilitas hæc debet verificari in ordine ad jus naturale, divino-positivum et ecclesiasticum.

2°. *Indissolubilis.* Hæc qualitas ex lege evangelica propria est matrimonio christiano, in quo facta maritali conjunctione, verificatur plena ratio similitudinis unionis perpetuæ, quæ est inter Christum et Ecclesiam. Hinc matrimonium infidelium absolute indissolubile non est, quia ex privilegio fidei (quod vocant Paulinum, ex *S. Paulo)* dissolvi potest. Hinc pariter matrimonium fidelium solummodo ratum dissolvi potest virtute clavium.

3°. *In quo traditur et acceptatur mutua potestas etc.*

Verba hujusmodi exprimunt specifice jus, quod traditur vicissim a personis contrahentibus. Quamvis enim matrimonium institutum sit etiam in mutuum adjutorium, et quamvis in statu naturæ corruptæ habitum sit ceu remedium concupiscentiæ, juxta illud *Pauli* 1. Cor. VII. 9: 'melius est nubere quam uri'; tamen principaliter ordinatur ad procreationem prolis.

4°. *Evectus a Christo Domino etc.*, scilicet Christus Dominus ipsum contractum matrimonialem fidelium fecit signum sacrum, quod sanctificaret ipsos fideles, et eorumdem animos *gratia* sibi invicem conciliaret et devinceret in ordine ad fines conjugii obtinendos, conjugesque adjuvaret ad onera status conjugalis ferenda, præcipue tamen »ad ingenerandam Ecclesiæ sobolem« *(Leo XIII.* in Encyclica »*Arcanum«).* — Claritatis gratiâ matrimonium distinguendum est a) prout est *contractus* vel *causa (in fieri)* et b) prout est *status (in facto esse).* Utrumque vocatur matrimonium, sed unum est efficiens, alterum effectum. Optime exprimitur utrumque momentum in c. 11. De præs. (II. 23) supra in n. 71. citato. Hæc distinctio bene notari debet.

73. *Divisiones* matrimonii plures sunt: 1°. Dividi solet *in legitimum, ratum simpliciter,* et in *ratum* et *consummatum* simul:

Legitimum est illud quod contrahitur ab infidelibus, servatis tamen legibus naturalibus, et jure divino-positivo.*) Huic matrimo-

*) Utrum etiam civilis potestatis leges necessario servari debeant, inferius tractabitur, n. 108.

nio opponitur matrimonium *illegitimum*. — Diximus *ab infidelibus*. Nam matrimonium, quod contrahitur inter baptizatos, vel est sacramentum, vel est prorsus nullum. Hinc matrimonium quod civile appellant, ad exclusionem matrimonii christiani inter fideles, juxta doctrinam et praxim Ecclesiæ est *illegitimum* prorsus, et vitæ consuetudo inde sequens est *concubinatus;* cfr. *Syllabum Pii IX.* nn. 65., 66., 73.; Encyclicam *Arcanum Leonis XIII.* §. »Neque quemquam.«

Ratum matrimonium dicitur illud quod contractum est inter baptizatos servatis dispositionibus juris tum naturalis, tum divinopositivi, tum ecclesiastici, quodque proinde ab Ecclesia recognitum est et ratihabitum. Hoc matrimonium ut dicatur simpliciter ratum, subsequi non debet copula carnalis inter contrahentes.

Quod si matrimonio *rato* accedat commixtio carnis, idest copula carnalis, matrimonium appellatur *ratum et consummatum.*

Ratum ergo dicitur matrimonium in quantum opponitur matrimonio *vero* i. e. m. *valido non baptizatorum,* et significat *matrimonium validum baptizatorum,* c. 7. *De divortiis* (IV. 19). Hoc matrimonium ratum i. e. baptizatorum, iterum distinguitur in matrimonium *ratum tantum* et m. *ratum et consummatum.*

74. 2⁰. Matrimonium aliud est *publicum,* aliud *clandestinum;* aliud quod dicitur *conscientiæ,* cui accedit *matrimonium morganaticum.* — *Publicum* est matrimonium illud, quod in facie Ecclesiæ contrahitur, et contrahentes tum quoad conversationem, tum quoad jura conjugalia, ceu vir et uxor ab omnibus habentur. *De clandestino matr.* vide tit. 4. h. l.

Matrimonium *conscientiæ* illud est, quod contrahitur præsertim in remedium conscientiæ, et quidem contrahitur cum solemnitatibus substantialibus requisitis, quin tamen celebratio ejus in populo vulgetur, immo ea lege contrahitur ut occultum remaneat. Hinc omittuntur denunciationes, et contrahitur coram Parocho et duobus testibus fidelissimis, qui perpetuo silentio obstringuntur. Hoc matrimonium urgente aliqua necessitate, et remoto periculo luctuosi exitus contrahi potest. De hoc matrimonio agit *Benedictus XIV.* in sua constitutione *'Satis vobis'* (35ª. in ejus Bullario) d. 17. Nov. 1741. Plura de hoc in tit. *De clandestina desp.* (IV. 3) nn. 23. et sqq.

Morganaticum (sinistræ manus, ad legem salicam) vero illud est, quod aliquando contrahitur a personis nobilibus occulte, sed

coram Parocho et testibus, ea tamen conditione ut uxor et liberi ex tali matrimonio suscepti obtineant solum portionem certam bonorum ad sustentationem congruam necessariam, quin tamen jus habeant succedendi in omnia bona defuncti illustris, et in jura nobilitatis, dignitates et titulos defuncti ipsius. Hoc matrimonium præsertim in Germania frequentabatur.

75. 3°. Matrimonium aliud est *verum*, aliud *putativum*, aliud *præsumptum*. *Verum* illud est quod adhibitis solemnitatibus requisitis contractum fuerit inter personas de jure habiles. *Putativum* matrimonium illud est quod *re* quidem est *irritum*, ob latens impedimentum, sub quo contrahitur, tamen in facie Ecclesiæ contractum fuit *bona fide* saltem ab uno ex conjugibus, et contrahentes in opinione communi reputantur ut veri conjuges. Igitur ut matrimonium in se nullum dici possit putativum, requiritur a) *credulitas probabilis communitatis*, qua nempe communiter omnes cives retineant, illud esse validum; b) *bona fides* saltem ex parte *unius* conjugis. Si enim desit ex utraque parte bona fides, deerit prorsus fundamentum legitimæ cohabitationis, et erit potius occultus concubinatus. Hinc statim ac conjuges in notitiam deveniant nullitatis conjugii, debent ab usu matrimonii cessare, et dispensationem ab Ecclesia postulare. Quod si dispensatio concedi nequeat, matrimonium haberi debet ceu nullum, et partes contrahentes ab omni vinculo solutæ sunt. Filii qui ex matrimonio putativo nascuntur, licet unus tantum ex conjugibus fuerit in bona fide, a jure ceu legitimi retinentur. Ita in c. 3. *Qui filii sint legitimi* (IV. 17) et in praxi S. C. Concilii. Legitimitas enim est in jure causa favorabilis.

76. *Præsumptum* matrimonium illud est, quod ab ipso jure, posito aliquo facto, supponitur et retinetur contigisse, ita ut probatio in contrarium directa non admittatur. De hoc matrimonio agunt cc. 15. et 30. h. t., ex quo infertur matrimonium præsumptum esse illud, quod præsumptione juris et de jure censetur intervenisse inter personas quæ post inita valide sponsalia copulam liberam inter se habuerunt. Plura de matrimonio hoc præsumpto jam vidimus in tit. *De præsumptionibus* (II. 23) nn. 11. et 12. et videbimus in tit. *De clandestina desponsatione* (IV. 3) n. 38.

77. Quæstiones quædam solvendæ sunt quæ naturam matrimonii melius patefaciunt.

Ad substantiam matrimonii requiritur mutua traditio et acceptatio juris in corpora. Hæc autem mutua traditio debet exprimi per *consensum mutuum*. Hinc consensus mutuus necessarius est, et debet sufficienter exprimi exterius per verba vel signa. Quid vero dicendum si verba vel signa exprimant consensum, sed tamen consensus internus seu animi adhæsio non adest?

Profecto matrimonium non adest. Nam consensus verus et sincerus deest, si solummodo in verbis et non in animo consistat. Quid vero de hac re canonice sentiendum sit deprehenditur ex c. 26. h. t. 'Tua nos duxit'. Quidam cum non posset pertrahere ad turpia puellam, finxit se illam ducere velle in uxorem eique absque ulla solemnitate et absque ullo teste dixit: 'Joannes te desponsat', cum ipse revera Joannes non vocaretur. Secutum est inde carnale commercium; deinde vir pertæsus conversationis cum illa, adiit Episcopum eique exposuit se non vocari Joannem, et ficto animo matrimonium contraxisse. — Episcopus exposuit speciem Romano Pontifici, qui animadvertit mutationem nominis non officere validitati matrimonii. Nam vir in propria persona contraxerat cum puella. Solum potuisset officere fictio. Idest, ait Pontifex, si *probari* posset non interfuisse verum et sincerum consensum, utique matrimonium invalidum erit. At nescio, ait Pontifex, quomodo potuisset id constare Episcopo, cum nullus adesset testis, et cum verba prolata a Joanne consensum ipsum verum ac sincerum exprimerent. Ut igitur matrimonium nullum declararetur, necesse erat *probare* fictionem interfuisse; secus pro valore matrimonii judicandum erat. Quare ex hoc capite infertur consensum fictum non sufficere in contractu conjugali, sed præsumi semper in foro externo verum et sincerum consensum esse illum, quem exprimunt verba contrahentium, donec contrarium probetur.

78. Hic autem consensus verus et sincerus est prorsus *personalis*, idest concipi et exprimi debet ab ipsis contrahentibus. Hinc non tenet matrimonium contractum *a parentibus*, licet filii præsentes tacuerint. Electio enim status perpetui tale est negotium, quod requirat consensum positivum, ita ut sola taciturnitas nequeat haberi ceu signum certum voluntatis interioris. Neque nimis urgenda est paritas matrimonii cum sponsalibus, quæ juxta c. un. *De despons. impuberum* (IV. 2) in 6°., sustinentur si a parentibus contrahantur pro filiis præsentibus et tacentibus. Non enim est eadem indissolubilitas sponsalium et matrimonii. Parentes

utique poterunt disponere et præparare pro filiis statum conjugalem, filiorum vero erit statum ipsum figere et acceptare. Proinde præsumptio consensus quæ agnoscitur a jure in negotio sponsalium, non invenitur extensa et applicata contractui matrimonii. Hinc si parentes pro filiis contrahere matrimonium contenderent, agerent extra limites patriæ potestatis, et filii non tenerentur assensum præbere. Nec per consequens filii tacentes præsumi possunt consensum præbuisse.

79. Quæritur *utrum ad valorem matrimonii filiorum familias requiratur tanquam essentiale elementum consensus parentum?*

In c. 12. *De Regul.* (III. 31) ait *Clemens III.* puellam in ætate nubili constitutam in electione propositi liberum arbitrium habere, neque cogi posse ad sequendam voluntatem parentum. Ex hujusmodi principio sequitur neque jure antiquo fuisse requisitum consensum parentum, ut filii familias valide contraherent matrimonium. Quidquid vero sit de jure antiquo, certum nunc est ex dispositione Conc. *Trident.* in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.*, valere matrimonia filiorum familias, contracta invitis et reluctantibus parentibus, quamvis *ordinarie* requiratur consensus parentum ex honestate, ita ut ab Ecclesia reprobentur, ceu illicita conjugia contracta a filiis familias, parentibus *rationabiliter* adversantibus.

80. Sciendum siquidem est oratores Regis Gallorum a Patribus Conc. Trid. duo expostulasse, 1°. ut declararentur irrita matrimonia *clandestina;* 2°. ut declararentur pariter irrita matrimonia filiorum familias, contracta *absque consensu parentum.* Concilium in cit. c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* accepit primam petitionem, secundam vero non accepit, scilicet non declaravit invalida matrimonia filiorum familias celebrata contra votum parentum. Et merito. Quamvis enim judicium parentum plurimum sit attendendum a filiis in electione status perpetui, ac proinde habeantur uti illicita matrimonia filiorum familias, quando rationabiliter parentes adversantur, tamen semper verum est, electionem hujus status debere esse factum personale ipsorum filiorum, et licet mala prævideri possint ex conjugiis filiorum contractis, parentibus contradicentibus, tamen majora mala prævideruntur secutura ex matrimoniis, quæ contraherentur sub imperio alieno, quamvis hoc imperium esset voluntas ipsorum parentum. In conjugiis enim ubi vinculum dirigitur ad mutuum amorem, et ad animorum conjunctionem, consensus ipsorum contrahentium est essentialiter attendendus.

81. Quæritur *utrum per alium possit hic consensus præstari; utrum nempe per procuratorem matrimonium possit contrahi?*

Juxta c. 9. *De Procurat.* (I. 19) in 6°., matrimonium contrahi potest per procuratorem, nam in hac re imitatur naturam reliquorum contractuum in quibus contrahens potest per alium consensum præbere. Verum visum est doctoribus, matrimoniis per procuratorem contractis non favorem assistere, sed potius odium juris obstare, quare magna in iis adhibenda est *cautela.* Hinc ipsum jus nonnullas conditiones ponit.

82. 1°. Requiritur *speciale mandatum* tum in ordine ad ipsum *negotium* explendum, scilicet ad contrahendum matrimonium, tum etiam in ordine ad *personam* cum qua vult contrahi conjugium.

83. 2°. Requiritur ut procurator *per seipsum* mandatum exsequatur. Procurator igitur non potest *subdelegare* aliam personam in suo officio, nisi hæc facultas sit eidem tributa in mandato. Præsumitur enim electam fuisse industriam personæ determinatæ.

84. 3°. Requiritur ut mandatum in sua virtute permaneat usque *ad momentum celebrationis contractus.* Ratum enim mandatum potest revocari, ita ut matrimonium contractum a mandatario dissentiente mandante nullum sit, licet revocatio mandati seu dissensus non innotuerit mandatario, S. C. Concilii in *Eugubina-Perusina* d. 5. Julii 1727. Ratio est quia matrimonium contrahitur per consensum de præsente, idest requiritur consensus actu, quo matrimonium contrahitur. Revocatio autem non intimata procuratori debet *probari,* quare revocatio hæc fieri debet coram testibus. Posita autem revocatione quæ potest probari, mandati, matrimonium contractum a procuratore invalide non potest reddi validum ratihabitione, quæ in aliis contractibus supplere potest actum celebrationis contractus. Nam quia celebratio matrimonii publico jure nulla est ob defectum, matrimonium si velit revalidari, denuo publicis actibus celebrari debet; secus si revocatio mandati probari nequit; nam tunc sufficit ratihabitio tacita, dummodo perduret consensus alterius partis.

85. Ob allatam rationem mutui consensus de præsenti tenendum est neque *quoad aliquos effectus* valere matrimonium contractum a mandatario pro mandante *præmortuo.* Contractus enim matrimonii ceu actus præsens non retro trahitur ad diem mandati.

De matrimonio uti sacramento.

86. Quæritur utrum in matrimonio in concreto spectato, quodque inter Christianos sit celebratum, distingui possit ratio contractus a ratione sacramenti, ita nempe ut *dari possit aliquod matrimonium fidelium, quod valeat ceu contractus et tamen non sit sacramentum.*

87. Resp. Ex quæstione ita proposita quisque videt in ea non quæri utrum in *abstracto et logice* ratio contractus in matrimonio secerni possit a ratione sacramenti, sed quæstionem ipsam esse prorsus concretam; utrum nempe exsistat vel exsistere possit aliquod matrimonium fidelium validum, quod non sit simul sacramentum.

88. *Vasquezius* et alii *affirmativam* sententiam propugnarunt. Eorum opinio innitebatur præsertim c. 2. *De clandest. despons.* (IV. 3) et c. 1. sess. 24 *de Ref. matrim.* In istis enim locis traditur, matrimonia fidelium clandestina, idest contracta absque ulla benedictione sacerdotali, et absque ritu religioso, fuisse utique recognita ab Ecclesia uti valida, et rata fuisse, verum fortiter reprobata. Cur vero, ajunt Doctores isti, matrimonia hujusmodi reprobata fuerunt, nisi quia non erant sacramenta?

89. Verum contra sentiendum est cum communi et certa sententia. I°. Si enim attendamus ad conceptum matrimonii Christiani, habemus Christum Dominum penes *Matthæum XIX.*, 8. revocasse matrimonium ad primævam suam institutionem. Videlicet Christus Dominus fecit esse sacramentum illud ipsum matrimonium quod antea fuerat legitimus contractus naturalis. Ubi ergo inter fideles desit sacramentum, deest etiam legitimus contractus.

In hoc insuper est constans loquendi ratio sacrorum canonum, ut nempe dicant, *ipsum matrimonium christianum esse sacramentum,* et Christum Dominum promeruisse gratiam, quæ sanctificaret amorem naturalem conjugum, et firmaret indissolubilem unitatem. Ita Trid. sess. 24. *De Ref. matrim.* in expositione doctrinæ de sacramento matrimonii.

90. Quod vero attinet ad rationem adversariorum, possumus ex ea inferre II^um^. argumentum pro nostra sententia. Et sane in c. 2°. *De clandest. despons.* (IV. 4) traditur matrimonia clandestina quæ ab istis conjugibus manifestantur, perinde habenda esse, ac si fuissent primitus coram Ecclesia celebrata, idest inter matrimonia rata recensentur. Conc. vero Trid. in cit. c. 1°. sess. 24. *de Ref. matrim.* explicite uti rata habet matrimonia clandestina

ante suum decretum contracta, scilicet matrimonia quæ fuerunt inita absque ritu religioso et sacerdotis assistentia. Jam vero in sensu canonum *matrimonium ratum* idem est ac *sacramentum*. Igitur matrimonium clandestinum ante Concilium Trident. eo ipso quod erat contractus, idest absque etiam cærimonia religiosa, erat pariter sacramentum.

91. Probatur autem ex c. 7. *De divortiis* (IV. 19). »Etsi matrimonium *verum*«, ait *Innocentius III.*, »inter *infideles* exsistat, non tamen est ratum: inter *fideles* autem *verum et ratum* exsistit, quia sacramentum fidei (sc. baptismus), quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum illo durante perduret«; ideo, concludit Pontifex, matrimonium infidelium — positis ponendis — potest dissolvi, matrimonium fidelium minime dissolvitur. — Unde Contractus matrimonialis in non baptizatis et in baptizatis non eundem producit effectum: in uno casu *verum* matrimonium cum certa dissolubilitate, in altero *verum et ratum*, quod dissolvi nequit. Si effectus non est idem neque causa i. e. contractus ipse non eadem esse potest. Quia vero in jure naturali idem revera est contractus, inæqualitas se referre debet ad supernaturale. Ergo unus est contractus matrimonialis naturalis, alter supernaturalis, tribuens gratiam; exinde sacramentum. — Idem fortasse perspicacius ex ipsis verbis *Innocentii* deducitur. »Sacramentum fidei, ait, ratum efficit conjugii sacramentum.« Nonne Pontifex hic loquitur seclusa ulla mentione benedictionis sacerdotalis de *conjugii sacramento?* Certo igitur sacerdotalis benedictio ad conjugii sacramentum necessaria non est.

Matrimonium igitur quod est *ratum*, est etiam *sacramentum* et proinde matrimonia clandestina quæ rata dicuntur sunt etiam sacramenta. Et merito; nam posito quod Christus voluerit matrimonium esse unum ex septem sacramentis, absonum prorsus fuisset, ut Ecclesia reciperet ut rata matrimonia quæ non essent sacramenta. Ergo matrimonia fidelium eo ipso quod sint legitima debent esse sacramenta, licet contracta fuerint absque ritu sacro, absque sacerdotis benedictione.

Non est ergo sacramentum quædam qualitas supernaturalis, quæ ex benedictione sacerdotis accedat contractui conjugali jure valide posito, sed est proprietas inhærens ipsi contractui legitime celebrato.

92. Verumtamen adverti potest: si matrimonia clandestina erant sacramenta, cur Ecclesia vehementer eadem reprobavit?

Respondeo: *ob malos exitus* quos solebant habere, et eo quod fideles eadem celebrantes videbantur contemnere ritus et præscriptiones canonicas, non autem quia non essent sacramenta.

93. III^um^. argumentum infertur ex aliis locis juris. Omittentes literas apostolicas *Pii VI., Pii VIII., Greg. XVI.*, necnon *Pii IX.*, directas ad Regem *Sardiniæ* die 9^a^. Sept. a. 1852, et allocutionem consistorialem diei 27. Sept. ejusdem anni, quæ incipit *'Acerbissimum'*, omittentes quoque propositiones 66. et 73. *Syllabi* ejusdem Papæ d. 8. Dec. 1864 publicati damnatas commemoramus solum literas Encyclicas *Leonis XIII. 'Arcanum'*, ubi in §. »Neque quemquam« hæc expresse traduntur: »Non potest hujusmodi distinctio (sc. »distinctio a Regalistis prædicata vi cujus contractum nuptialem a sacramento distinguunt«), seu verius distractio probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. — Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quæ a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat.«

94. Ex doctrina superius exposita sequitur non sacerdotem, uti opinabatur *Melchior Canus* et alii quidam, sed ipsos *contrahentes* esse ministros sacramenti matrimonii. Nam ipsi ponunt et verbis vel signis exprimunt *consensum*, contractum legitimum celebrant, in quo ratio sacramenti residet.*) Hinc si sacerdos — post dispositionem Tridentinam de præsentia Parochi — solummodo præsens sit, et intelligat voluntatem manifestatam a contrahentibus

*) Si Dr. *J. Freisen* in opere suo alioquin doctissimo *„Geschichte des canonischen Eherechtes“* etc. (Tübingen 1888), pag. 151 et sqq. §. 18., probare intendit, ad matrimonium *vere* perfecteque contrahendum *essentialiter* requiri præter

licet sit ipse invitus et nullum verbum proferat sustinetur matrimonium, scilicet est ratum et proinde sacramentum.

95. »Christus Dominus«, ait *Leo XIII.*, »dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure«. Quidquid ergo pertinet ad essentiam *contractus* matrimonialis, idipsum pertinet etiam ad essentiam *sacramenti* matrimonii. Itaque pertinet ad essentiam hujus sacramenti mutuus consensus signis sufficienter expressus (sive in fieri sive in facto). At quæritur: Nihilne aliud requiritur ad valide recipiendum sacramentum matrimonii? Utique requiritur etiam sacramentum fidei i. e. baptismus; nam sacramentum fidei ex vero matrimonio ratum efficit sacramentum conjugii et plenam indissolubilitatem eidem tribuit, c. 7. *De divortiis* (IV. 19). Conjugii sacramentum enim apud fideles et infideles exsistere si affirmabant *Innocentius III.* in c. 8. *De divortiis* (IV. 19) et *Honorius III.* in c. 11. *De transact.* (I. 36), verbum »sacramentum« in *latiori* sensu sumi debet. Verumtamen baptismus sive antea sive postea a contrahentibus receptus efficit, ut hoc sacramentum conjugii *latioris* sensus fiat ratum i. e. matrimonium ab Ecclesia agnitum ideoque sacramentum in *strictiore* sensu, sc. legis *Evangelicæ* (Trident. cn. 1. *De sacramento matrimonii*). Non est nostrum hic quæstionem valde disputatam de materia et forma hujus sacramenti explicare, at hoc semper retinendum est: duo requiri ad valide recipiendum sacramentum matrimonii: a) conjunctio legitima, b) character baptismalis.

96. Nihil refert utrum contractus matrimonialis præcesserit an susceptio baptismi. Nam mystica significatio nuptiarum Christi cum Ecclesia non solum verificatur in ipso contractu matrimoniali (in fieri) sed etiam in »illo summæ conjunctionis vinculo quo vir et mulier inter se conligantur« *(Leo XIII.* in Encyclica *Arcanum),*

---

consensum etiam consummationem, hoc non accurate asseritur: nam „carnalis commixtio est quidem de *secunda* perfectione matrimonii (operatione), non de *prima*, quæ consistit in ipso *esse* rei" ait *S. Thomas* in III. S. q. 42. a. 4. c. — Ceterum etiam ss. canones ponunt essentiam matrimonii in *solo* consensu; sic *Nicolaus I.* in c. 2. C. 27. q. 2.; sic *Alexander III.* c. 14. *De sponsalibus* (IV. 1), sic *Innocentius III.* cc. 23. et 25. ejusd. tit., sic *Eugenius IV.* in decreto ad *Armenos;* sicut in lege Romanorum jam clare exprimebatur, e. gr. in l. 30 ff. de R. J. — Ceterum ipse auctor revocavit sententiam suam in *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. 67. (61.) pag. 376. et sqq.

i. e. in contractu matrimoniali (in facto); et eadem hæc significatio sacra est et efficiens gratiam.

Si conjuges matrimonio in infidelitate contracto juncti ambo baptizantur, in ipso baptismo recipiunt sacramentum matrimonii etiam absque renovatione consensus matrimonialis; nam hæc renovatio est aliquid superfluum, quia matrimonium in vigore pristino perdurat, »cum per sacramentum baptismi matrimonia non solvantur«, c. 8. De divortiis (IV. 19), uti S. C. Inq. in responso d. 20. Sept. 1848. dato et d. 27. Sept. ejusd. a *Pio IX.* approbato expresse declaravit; cfr. etiam responsio S. C. Inq. ad Vic. Ap. *Natal* d. 11. Julii 1886 ad 8^{um}. *(Gasparri* II. pag. 256.) Quare improbabilis omnino est sententia *Vasquezii* quem sequitur *Schmalzgrueber* in h. t. nn. 309. et sq. dicentis matrimonium in infidelitate contractum etiam post utriusque conjugis conversionem nunquam transire in *verum sacramentum.* — Quodsi alii, uti *Laymann* etc., exigunt renovationem consensus ad constituendum matrimonii *sacramentum,* ratio hujus postulati omnino non intelligitur; nam hujusmodi consensus nequaquam est consensus *novus*, sed ad summum nova declaratio consensus in contrahendo matrimonio præstiti vel conjunctionis matrimonialis adhuc exsistentis. —

Si unus ex conjugibus est baptizatus, alter vero non baptizatus, quæstio exoritur, utrum baptizatus recipiat sacramentum matrimonii necne. Quæstio dependet a solutione alterius quæstionis, sc. utrum baptismi sacramentum sit elementum constitutivum sacramenti matrimonii an tantum conditio sine qua. Si prius conceditur, sacramentum matrimonii non recipitur in proposito casu; si alterum, sacramentum conferri parti baptizatæ videtur.

97. Ex theoria superius a nobis propugnata sequitur etiam ad Ecclesiam pertinere potestatem ea decernendi, quæ spectant ad vinculum matrimonii, sive quoad causas matrimoniales idest quæ vinculum conjugale respiciunt, sive quoad impedimenta præsertim dirimentia. Nam cum ratio contractus in matrimonio christiano non secernatur a sacramento, potestas Ecclesiastica, non autem potestas civilis erit, quæ decernet, quænam sit materia apta matrimonii, et quæstiones definiet, quæ ipsum valorem contractus respiciunt seu judicabit utrum necne elementa sacramenti posita fuerint.*) Sit

*) Attamen hæc præcipua quidem est ratio, non tamen unica; S. P. *Leo XIII.* in sua Encyclica *Arcanum* d. 10. Febr. 1880 aliam quoque affert,

I.
De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus.

98. De istis causis ita decernit concilium Tridentinum in c. 12. sess. 24. *De Ref. matrim.* Si quis dixerit *'causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, A. S.'*

99. Janseniani et regalistæ, ut censuram concilii effugerent, non dubitarunt asserere 1°. nomine judicum ecclesiasticorum venire posse ipsos *principes christianos,* qui sacra potestate inter fideles gaudent; concilium vero non designare quinam in specie essent judices Ecclesiastici. Ita Launojus in opere *De regia in matrimonium potestate.* 2°. Adnotarunt Tridentinos Patres non determinasse originem potestatis judicum Ecclesiasticorum, ac proinde dixerunt potestatem in causis matrimonialibus decernendis posse competere judicibus ecclesiasticis *ex indulgentia et concessione principum laicorum;* 3°. tandem adnotarunt concilium non exclusisse *comparticipem* potestatem principis et Ecclesiæ, in rebus matrimonialibus.

100. Hanc theoriam in hisce tribus animadversionibus expressam, suam fecit Pseudo-Synodus *Pistoriensis* a. 1786. Eam vero in 3 propositionibus: 58.—60. contentam reprobavit *Pius VI.* in Const. *Auctorem fidei* d. 28. Aug. 1794. *(Denzinger: Enchiridion* nn. 1421—1423.); item *Pius IX.* in Lit. Ap. »*Ad Apostolicæ*« d. 22. Aug. 1851., necnon in Allocutione d. 27. Sept. 1852 *(Denzinger* c. l. n. 1501.), tandem in *Syllabo* d. 8. Dec. 1864. in nn. 68—71., inprimis in n. 74. hujus tenoris: »Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent«.

101. Data opera autem S. P. *Leo XIII.* in sæpe citata Encyclica *Arcanum* refellit ejusmodi errores in §. »Attamen Naturalistæ«. Spectata natura matrimonii jam legitimi consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ quæ rerum sacrarum sola habet magisterium. At quia matrimonium inter christianos semper est sacramentum et

---

nempe „matrimonium jam sua vi, sua natura, sua sponte esse sacrum" idque 1°. „cum Deum habeat auctorem" qui hominem in diversitate sexûs creavit et matrimonium illo protoparentis effato fundavit: „Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una", *Matth. XIX.* 5. et *Gen.* II. 24.; 2°. cum matrimonium „fuerit vel a principio quædam Incarnationis Verbi Dei adumbratio".

quoniam »de sacramentis statuere et præcipere ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, plane absonum est potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores *rei civilis* velle esse translatam«. — Secundum porro adversariorum argumentum plane ridiculum est, etsi solam historiam consulere volumus. »Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiæ repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciæ vel a principe Judæorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanæ mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii, de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et cæde religionem Christi opprimere adolescentem: præsertim cum jus illud ab Ecclesia profectum a civili jure interdum adeo dissideret, ut *Ignatius Martyr, Justinus, Athenagoras* et *Tertullianus,* tamquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriæ leges favebant.« Postquam autem ad christianos imperatores pervenit summa in republica potestas, eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui de matrimoniis ferebat Ecclesia leges, a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distantes. »Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse *agnoscerent* et declararent.« — Tertia objectio jam cum prima sepulta est; nam si matrimonium inter christianos est sacramentum, *exclusiva* de eo potestas spectat ad Ecclesiam ita ut de potestate comparticipe loqui prorsus absurdum est.

Ratio denique *apologetica* hic non est prætereunda. Ecclesia enim a sua origine matrimonium usque ad nostra tempora tam sancte conservabat, tuebatur, defendebat, ut passiones populorum in hac petra sola sint fractæ, cum matrimonium sub patronatu gentilium vel hæreticorum vel etiam civilis potestatis in dies magis de sanctitate sua, non dico sacramentali, sed jam naturali amitteret. Nonne hoc virtutis divinæ signum splendidum est; cfr. Enc. *Arcanum* §. »Igitur confitendum«.

II.
De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia.

102. Diximus ex exposita superius doctrina descendere: Ecclesiæ potestati jure proprio et exclusivo competere facultatem constituendi *impedimenta,* quæ præsertim *dirimentia* dicuntur, scilicet, quæ ipsum vinculum et valorem contractus respiciunt. Cum enim in christiano matrimonio ipse legitimus contractus sit realiter sacramentum, ipse contractus est res sacra, et ab ea auctoritate ordinabitur, quæ res sacras ordinat et disponit. Scilicet Ecclesia, cui commissum fuit a Christo regimen animarum et administratio sacramentorum, jure suo, et exclusivo determinabit conditiones, quibus personæ fideles reddantur idoneæ ad legitimam celebrationem conjugii.

103. Hinc a primis etiam sæculis, Ecclesia impedimenta posuit dirimentia, quin ullam relationem exprimeret ad societatem civilem, immo inter christianos habita fuerunt ut illegitima matrimonia contracta solummodo juxta leges imperiales. Id referunt *S. Ignatius Martyr,* in epist. ad *Polycarpum* cp. 5., *S. Justinus Martyr,* in *Apologia majori* n. 15., et *Athenagoras* in *Legatione pro Christianis* nn. 32. 33. Hinc etiam videmus Ecclesiam ex legibus imperialibus nonnullas fecisse suas et adoptasse, alias vero expresse reprobasse; ex. gr. legem *Constantini* relatam in *Codice* l. 7. C. *De Repudiis* necnon l. 8. *Theodosii* et *Valent.* AA. C. ejusd. tit. in qua definiuntur crimina ob quæ solveretur matrimonii vinculum.

104. Tandem exemplum exclusionis potestatis civilis, in impedimentis constituendis quoad matrimonium, nobis dedit concilium Tridentinum, cum petentibus oratoribus regis Galliæ, ut statuerentur duo impedimenta, scilicet clandestinitas et dissensus parentum, admisit quidem clandestinitatem, respuit vero parentum dissensum. Quare in parte dogmatica sessionis de matrimonio ponit ceu principium et fundamentum suarum definitionum, matrimonium esse sacramentum et deinde definit in canonibus 3°. et 4°. Ecclesiam posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

105. Quam definitionem Pistorienses explicantes de potestate Ecclesiæ non *originaria*, sed *derivata* a civili auctoritate condemnavit *Pius VI.* in Constitut. Dogmatica *'Auctorem fidei'* in censura propositionis 54., scilicet hanc propositionem, in qua

Synodus Pistoriensis docuerat potestatem Ecclesiæ in statuendis impedimentis non esse originariam, condemnavit ceu eversivam cnn. 3., 4., 9., 12. tridentinorum sess. 24. et ceu propositionem hæreticam.

106. *Nihil ergo poterunt principes laici in matrimoniis suorum subditorum?*

Responsum dabit ipse S. P. *Leo XIII.* in cit. Enc. §. »Eoque magis«: »Item non ipsa (sc. Ecclesia) ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quæ matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei publicæ præsunt.« Ex hisce verbis patet: Jure decernunt et cognoscunt qui reipublicæ præsunt non de ipso contractu matrimoniali, sed solum de *consequentiis* matrimonii, iterum non de omnibus consequentiis, sed tantum de *consequentiis matrimonii quæ in genere civili versantur.* Ergo leges civiles nequeunt constituere: a) impedimenta matrimonii *dirimentia,* neque b) impedimenta *prohibentia,* nisi per accidens, sc. in quantum consequentiarum civilium non erit particeps qui præscripta civilia non adimplet, neque c) de consequentiis a contractu matrimoniali *inseparabilibus,* e. gr. de legitimitate prolis.

Possunt vero præsides civitatum exigere, ut matrimonia in *libris publicis Status* adnotentur ad habendam probationem legalem eorundem. — Deinde ordinare ea quæ spectant ad *hæreditates* constituendas: possunt videlicet arcere a successionibus hæreditariis filios enatos ex matrimonio inito, spretis legibus status. — Possunt leges ferre, quæ respiciunt *dotem* vel *privilegia civilia* contrahentium.

Si matrimonium inter christianos semper esse sacramentum et hoc sacramentum in nulla alia re consistere nisi in ipso matrimonio concedas, rejiciendi erunt non tantum errores *Protestantium* qui matrimonii sacramentum omnino negant, et errores Janseniorum et Regalistarum qui separato contractu a sacramento illum amandant ad potestatem civilem, hoc ad Ecclesiam: sed etiam sententiæ illorum catholicorum scriptorum, uti *Sanchezii* in *Disputationibus de matrimonio,* l. VII. disp. 3. n. 2., qui contractum matrimonialem etiam civili potestati subjiciunt in statuendis impedimentis, *limitate* quidem respectu principum christianorum, *integre* autem

respectu principum infidelium; denique rejicienda est sententia illorum qui facultatem statuendi impedimenta *dirimentia* reservant Ecclesiæ, *prohibentia* tamen etiam civili potestati tribuunt. Nam si potestas civilis aliquo legislativo jure pollet in contractum matrimonii sacramentalem, nihil est cur eidem potestati jus irritandi non tribuatur quod jus adesse solet in jure leges ferendi.

107. Ulterius gressum ponentes quærimus utrum *civili potestati competat jus in matrimonia non-baptizatorum* et quo se extendat? Expresse hac de re scripserunt *Felix Cavagnis* in suo »*Jure publico ecclesiastico*«, Romæ edito a. 1883. l. IV. nn. 176. et sqq. et *Adr. Resemans* (vir *Hollandicus): De competentia civili in vinculum conjugale infidelium,* Romæ 1887.; *Gasparri:* in suo cl. *Tractatu de matrimonio* I. nn. 281.—296. etc.

1°. Certum est *Ecclesiæ* directe nihil competere in matrimonia non-baptizatorum arg. c. 8. *De divortiis* (IV. 19).

2°. Si quid civili potestati revera competit, id solum eidem potestati competere potest quod est *conveniens juri naturali.*

3°. Si quæstionem coarctamus ad constituenda impedimenta dirimentia et prohibentia, tres sunt AA. sententiæ: I^a^. quæ *negat* quamcunque competentiam potestatis civilis in matrimonia infidelium (nisi illam quæ ei competit in matrimonia baptizatorum); II^a^. quæ adjudicat eidem potestati competentiam constituendi impedimenta *prohibentia;* III^a^. quæ admittit etiam jus constituendi *dirimentia.* Secundam ex hisce sententiis inconsequentem esse jam supra vidimus; — quare remanet tantum solutio quæstionis utrum possit potestas civilis impedimenta quoad matrimonia non-baptizatorum constituere necne.

I°. *Affirmanti* sententiæ, teste cl. *Gasparri,* favet: a) turma AA., inter quos divus *Thomas (Gasparri* c. l. n. 281. not. 1^a^. n. 283.) b) praxis missionariorum apud Infideles (c. l. n. 284.); c) resolutiones SS. CC. de Prop. Fid. et ipsius S. Officii (c. l. nn. 285 – 288.) Has resolutiones in dubium vocari nequire ex eo lucescit quia *Gasparri* archivium S. C. de Prop. Fid. ipse, alterum S. Officii per amicum suum Archivistam ejusdem S. Officii consuluit. Documenta S. C. *Inquisitionis* quæ affirmanti sententiæ favent sunt: Instructio d. 29. Oct. 1739., et responsum d. 20. Sept. 1854.; S. Congregationis *de Prop. Fid.* d. 8. Oct. 1631., resp. d. 26. Junii 1820. cum annexa Instructione.

Porro responsum ultimum prodiit a *Particulari Congregatione super rebus Sinarum* ad missionarium Eyot in *Tunkino Occidentali;* Instructio Secretarii adjuncta approbatione S. ejusdem Particularis Congregationis caret, sive quia nunquam approbatione erat instructa sive quia instrumentum approbationis casu quodam deperiit. Quæ circumstantia notatu digna est; nam *ratio cur* Potestati civili competat jus in matrimonia infidelium, in hac Instructione solâ explicatur, cum in ceteris S. Sedis actis hac de re *factum* tantum competentiæ agnoscatur.

Nihilominus non desunt auctoritates externæ quibus contrarium commendari videtur. Et 1°. quidem *Innocentius III.* in c. 8. *De divortiis* (IV. 19) quasi principium generale hoc statuit: Si judicandum est de matrimonio cum aliquo impedimento juris humani dirimente inito, quæri debet, utrum contrahentes fuerint baptizati necne. Si baptizati erant, matrimonium irritum est; secus, matrimonium valet, quia non-baptizati »constitutionibus canonicis non arctantur.« De legibus potestatis civilis omnino tacet. — 2°. *Benedictus XIV.* in Const. *Singulari nobis* d. 9. Febr. 1749., judicans de matrimonio inter hebræum virum et hæreticam (baptizatam) mulierem inquirit utrum hoc matrimonium invalidum sit ex impedimento dirimente a) legis Mosaicæ, b) legis civilis ex parte *viri,* an legis *Christianæ* ex parte *mulieris.* Respectu obligationis legis civilis quæ hic nos tangit sola, Pontifex ita disserit: Lex civilis (Romanorum) unica exsistit, sc. l. 6. C. *De Judæis* quæ matrimonium inter personam christianam et judaicam omnino prohibet. »Verum«, ait *Benedictus,* »duæ huc occurrunt difficultates: prima, *quod hæc lex utpote a laico Principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet«;* secunda, quia l. 6. citata non erat irritans. — Non dices: Agebatur in casu de matrimonio non duorum infidelium, sed de matrimonio saltem ex una parte ecclesiæ subjecto. Hoc verum est, nihilominus potestati civili non ideo tolleretur jus in partem sibi subjectam, quod altera pars Ecclesiæ subjicitur; cfr. *Gasparri,* c. l. n. 297. et cit. Const. *Singulari* §. 2.

Huic ergo Pontifici juris canonici peritissimo potestatem civilem jus constituendi impedimenta in matrimonia infidelium habere nequaquam exploratum erat, potius contrarium.

Nam in alia Const. »*Postremo mense*« d. 28. Febr. 1747. §. 68. hæc exponit: »Si de sponsaliorum validitate aut invaliditate, item-

que de obligatione, aut contra, deberet judicium fieri, res autem inter Hebræum et Hebræam intercederet, æquum esset sententiam ferre legibus consentaneam, et consuetudinibus Hebræorum, communis enim et probata opinio est, in judiciis hujusmodi oportere non juri Pontificio, vel civili, sed legi, et Mosaicæ consuetudini adhærere.« *Communis, ait, et probata opinio est, in judiciis de sponsalibus etiam Judæorum non oportere adhærere juri civili.* A fortiori non adhærendum juri civili quando agitur non de accessorio, sed de principali, sc. de matrimonio. Et quia potestas judiciaria et p. legifera sunt correlata, sequitur neque adhærere oportere juri civili in legibus circa matrimonia etiam infidelium ferendis. — Non negamus quidem hisce verbis Pontificis aliquam difficultatem creari circa cessationem valoris legis Mosaicæ, sed hæc difficultas nostram quæstionem non attingit, quippe quum jus civile simpliciter excludatur.*)

Etsi igitur sententia affirmans spectata *auctoritate* valde probabilis est, negans tamen non caret sua probabilitate.

II°. Inquiramus utri sententiæ faveant *rationes internæ.* Præmittendum est: Potestati civili illud jus competat necesse est in matrimonia infidelium quod ei competit in matrimonia baptizatorum: sc. »decernendi et cognoscendi de illis rebus quæ matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur«. *(Leo XIII.* in Encl. »*Arcanum«.)* Si reipublicæ plus potestatis in matrimonia infidelium, inprimis igitur potestas constituendi impedimenta dirimentia, competere dicitur, hoc provenire debet aut ex jure *proprio* sive *nativo* Reipublicæ aut ex jure *devolutivo.* Ex jure *proprio* sive *nativo* provenire potestas dicitur quando natura et finis alicujus Societatis hanc potestatem secum fert ita ut hæc potestas sine ipsius Societatis læsione amitti nequeat. Jure proprio ergo sive nativo Societati civili competere dicitur potestas, præcipue constituendi impedimenta dirimentia, in matrimonia infidelium tunc quando ex natura et fine Societatis civilis hæc potestas profluit eique essentialiter inhæret. Dato ergo Societati civili competere potestatem constituendi impedimenta dirimentia quoad matrimonia vera ex jure *proprio* et *nativo,* concedamus necesse est aut eidem Societati eandem potestatem competere in matrimonia

*) Cl. *Resemans* in suo opusculo (pag. 85. et sqq.) hanc *Benedicti XIV.* Constitutionem non respexit.

christiana*) aut Christum Dominum elevando matrimonium ad dignitatem sacramenti læsisse jura Societatis civilis, quod utrumque absurdum est: unum ex superius expositis, alterum ex ipsis verbis Domini: »Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari!« *Matth. XXII.* 21.

Ergo si potestas specialis revera Societati civili competit in matrimonia infidelium, hæc deduci nequit nisi ex jure *devolutivo.* Devolvi potestas triplici modo potest vel ab inferiore ad superiorem vel a superiorem ad inferiorem vel ab æquali in æqualem. De secundo et tertio modo devolvendi hic loquimur. Societas civilis enim sub aliquo quidem respectu æqualis et coordinata, sub altero autem inferior et subordinata Ecclesiasticæ Societati est; utraque vero Societas a Deo est.

Quotiescunque ergo Societas ecclesiastica jura quæ ei competerent, exercere nequit in rebus necessario ordinandis, altera Societas a Deo creata subintrat *supplendo* in quantum potest. Quando autem Ecclesia exercere potest propria jura, Respublica denuo se restringere debet ad ea quæ ei naturaliter competunt.

Hæc sententia congruit doctrinæ in Encyclica »*Arcanum*« a S. P. *Leone XIII.* explicatæ quæ in §. »Attamen Naturalistæ« matrimonio etiam infidelium sanctitatem ex origine et natura, teste historia, vindicat et deinde pergit: »Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium.« Quæ auctoritas Ecclesiæ etiam in casibus necessitatis *per* principum imperium servatur. Matrimonia infidelium *solo* jure *naturali* regi rationabiliter contendi nequit. Nam jus naturale in re matrimoniali est aliquid *relativum,* quod videmus in impedimento consanguinitatis I^{i}. gradus lin. collateralis, et *imperfectum* quod optime arguitur ex ipsa praxi Ecclesiæ. Ut ad perfectionem diversis temporibus, locis circumstantiisque convenientem perducatur, requiritur legislatio positiva, uti videri potest etiam in aliis contractibus juris naturalis. — *Potestatem ergo civilem impedimenta dirimentia in matrimoniis infidelium constituere posse jure devolutivo* — sententia rationibus externis et internis vere probabilis est.

---

*) Id quod *Sanchez* in *Disputationibus de matrimonio* revera facit in l. 7. disp. 3. tota.

108. Quæritur, *quænam potestas in Ecclesia statuere valeat impedimenta dirimentia?*

Antiquis temporibus non desunt exempla aliquorum impedimentorum, quæ statuta sunt non a suprema auctoritate Ecclesiæ, sed a conciliis particularibus. Ex. gr. concilium *Neocæsariense* cn. 2. constituit impedimentum affinitatis.

109. At tractu temporis ad vitandam confusionem, et ad inducendam uniformitatem in tanto negotio, factum est ut designatio et constitutio alicujus impedimenti recenseretur inter causas majores, quæ reservatæ sunt supremæ auctoritati in Ecclesia, Romano nempe Pontifici et concilio generali. Hinc cum archiepiscopus prohibuisset Parochis, ne assisterent matrimoniis quæ contraherentur absque denunciationibus cumque hæc matrimonia irrita et nulla decrevisset, S. C. Concilii mandavit eidem ut quam primum suam constitutionem revocaret. *(Ben. XIV.* de *Syn. Diœces.* l. 12. c. 5. n. 2.) Hinc etiam in S. Congregatione d. 2. Decembr. 1628 nullius valoris habitæ sunt constitutiones Synodi *Kioviensis* d. 11. Octob. 1619, quibus declarabantur irrita matrimonia clandestina, in locis in quibus promulgatum non fuit Decretum concilii Tridentini. Conf. id. *Ben. XIV.* cit. loc. n. 7.

110. Tandem animadvertimus, neque consuetudinem *particularem* modo posse introducere impedimentum matrimonii, nam uniformitas non servaretur. Attamen particularis consuetudinis virtutis novissimum exemplum habemus in Hispania respectu formæ sponsalium; cfr. superius dicta ubi agebatur de forma sponsalium. Novum impedimentum non inducebatur quidem, at antiquum impedimentum et prohibens et dirimens restringebatur. Et sane inducere, restringere, abrogare ejusdem est potestatis. — Utique *universalis* consuetudo id posset, et revera induxit impedimentum *cultus disparitatis,* teste *Benedicto XIV.* in Brevi »*Singulari orbis*« d. 9. Febr. 1749; §. 10.

111. Quæritur an Episcopus possit impedimenta *impedientia* matrimonium statuere?

Impedimenta impedientia ea dicuntur, quæ matrimonium reddunt solummodo *illicitum.* Antiquitus poterant episcopi leges ferre generales in propria Diœcesi, quibus matrimonii honesta et licita celebratio regeretur. Hinc ex. gr. mos præmittendi publicas denunciationes matrimonio, primitus fuit proprius alicujus Diœceseos, et tandem obligatio præmittendarum denunciationum a *Latera-*

nensi IV. extensa fuit ad universam ecclesiam, ceu impedimentum impediens, c. 3. De cland. desp. (IV. 3).

112. Verum cum legislatio Ecclesiæ ad modum juris communis, undique uniformiter aptata est, etiam in impedimentis impedientibus, induci cœpit uniformitas. Quare ne varia esset Diœcesium consuetudo, etiam materia de statuendis impedimentis *impedientibus* facta est causa major, ac proinde reservata supremæ potestati Ecclesiasticæ. Hinc hodiernis temporibus non possent episcopi vel Synodi particulares aliquod impedimentum impediens constituere ad modum *legis*, idest per modum dispositionis generalis in Diœcesi vel Provincia.

113. Dixi per modum *legis;* nam per modum *præcepti* in casibus particularibus potest utique episcopus matrimonium impedire, ita ut si matrimonium contra ejus interdictum contrahatur, licet validum, tamen sit illicitum. Hinc in tribunalibus Ecclesiasticis etiam primæ instantiæ invaluit, ut si nullum declaretur matrimonium ex titulo impotentiæ, pars, quæ impotens apparet prohibeatur, quominus alias contrahat matrimonium absque nova Ecclesiæ venia.

Hæc porro facultas prohibendi matrimonia in casibus particularibus ob rationabiles causas ad scandalum vitandum, ad detegendum latens impedimentum quod exsistere dubitatur, procedit ex ipso munere pastorali episcoporum, quo tenentur peccatum, quo fieri possit, impedire.

114. Quare ajunt Doctores, etiam *Parochum* posse ad aliquod tempus differre matrimonii alicujus celebrationem ob motivum aliquod rationabile. (Conf. *Bened. XIV. De Syn.* l. 8. c. 14. n. 5. et l. 12. c. 5. n. 4.)

115. Quæritur *quinam subjiciantur impedimentis dirimentibus et impedientibus matrimonium.*

Profecto si sermo sit de impedimentis *juris naturæ* et *legis divinæ* impedimenta hujusmodi *omnes* etiam infideles obligant, lege enim naturali et divino-positiva omnes tenentur. Quare Christus Dominus de impedimento ligaminis absolute ait *'Ab initio autem non fuit sic . . . Quicunque dimiserit uxorem suam . . . et aliam duxerit, mœchatur, et qui dimissam duxerit mœchatur'.* Impedimenta autem quæ ad jus naturæ vel ad legem divinam pertinent sunt:

116. I°. Ex defectu *materiæ contractus: Impotentia perpetua et antecedens* vel utriusque vel alterutrius ex contrahentibus. Nam quia matrimonium ordinatur essentialiter ad procreationem prolis, essentia matrimonii corruat necesse est, quando actus de se apti ad prolis procreationem fieri nequeunt.

117. II°. Ex defectu *consensus:* 1°. sc. ex defectu *cognitionis essentialis* qui defectus verificatur in infantibus et in ceteris usu rationis carentibus, e. gr. amentibus; b) quando adest *error substantialis,* de quo infra.

118. 2°. Ex defectu *voluntatis* qui defectus certo adest quando *vis;* probabiliter adest, quando *metus gravis* cadens in constantem virum injuste ab externo extortus verificatur juxta dicta in tit. *De iis quæ vi* (I. 40) n. 7, (lib. I. pag. 417.); item quando verificatur *fictio.*

119. III. Ex defectu *habilitatis personarum:* 1°. *In consanguinitate saltem in primo gradu lineæ rectæ.* Idest pater filiam ducere non potest nec mater filium. Ratio enim ordinis et dependentiæ immediatæ excludit rationem conjugii. Namque inter patrem et filiam ex arctissima conjunctione sanguinis, disponente natura ipsa, intercedit adeo vehemens vinculum amoris sui generis idest paterni et filialis, ut rationabiliter non possit componi cum amore alterius ordinis et generis, prout est amor concupiscentiæ et conjugii. Adjungenda hic videtur, licet non cum tanta certitudine, consanguinitas in primo gradu *lineæ collateralis æqualis;* cfr. dicenda inferius in tit. *De consanguinitate* (IV. 14) nn. 12—13; — et cn. 5. *Lateranensis I.* apud *Denzinger* c. l. n. 304.

120. Ad defectum habilitatis contrahentium pertinet: 2°. *Ligamen* i. e. vinculum exsistens cum alia persona. Jus enim quod irrevocabiliter uni traditum est, non potest alteri tradi. Item *Sponsalia,* in quantum sunt impedimentum prohibens, ex eadem ratione.

121. Hisce sepositis impedimentis, certum est infideles non *directe* subjici ceteris impedimentis, quæ sunt juris Ecclesiastici. Ecclesia enim infideles potestate sua non tangit, juxta illud *S. Pauli* in 1. *Cor.* V. 12 *'quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare'?,* c. 7. *De divortiis* (IV. 19) et *Benedictum XIV.* in Const. »*Singulari*« §. 2. Dicimus *directe;* nam *indirecte* etiam non-baptizatos subjici potestati Ecclesiæ, ex variis locis juris arguitur, e. gr.

ex cc. 13., 14., 16. *De Judæis* (V. 6), Clem. un. ejusd. tit. (V. 2), et in cit. Const. *Benedicti XIV.* d. 9. Febr. 1749 »*Singulari nobis*«. —

Quæri deinde potest utrum infideles teneantur impedimentis juris ecclesiasticis *post suum baptismum?* Distinguo: 1°. Conversi ligantur omnibus impedimentis etiam ecclesiastici juris baptismo *supervenientibus;* 2°. quodsi impedimenta ejusmodi baptismum *antecedunt,* iterum distinguendum est inter impedimenta *naturali vinculo* fundata et mere *ecclesiastico* jure creata. Si naturali vinculo fundantur impedimenta, exsistit ante baptismum vinculum quidem, sed absque impedimento, c. 8. *De divortiis* (IV. 19), post baptismum ex vinculo statim oritur impedimentum. Hoc naturale vinculum adest in *consanguinitate,* S. C. de Prop. Fid. d. 23. Aug. 1852 ad II^{um}. in *affinitate* ex copula sive *licita* sive *illicita;* S. C. de Prop. Fid. d. 23. Aug. 1852 ad I^{um}.; S. C. Inq. ad Archiep. *Quebecensem* d. 3. Mart. 1825 *(Gasparri,* c. l. I. 701—702.), in cognatione *legali.* — Interiores quidem rationes suaderent, vinculum naturale adesse etiam in *publica honestate;* nam affectus matrimonialis appropinquat natura sua unam partem contrahentium consanguineis alterius: nihilominus S. C. Inq. d. 26. Sept. 1837 decidit: *Impedimentum non subsistere.* (Coll. *Paris.* n. 875. apud *Gasparri* c. l. I. 732.) — *Crimen* quod inter baptizatos causat impedimentum, quando a non baptizatis perpetratur, non creat impedimentum neque post baptismum S. C. de Prop. Fid. d. 23. Aug. 1852 ad 2^{um}. neque *cognatio spiritualis* v. gr. ex baptismo in necessitate collato.

122. At quid de hæreticis et schismaticis?

Præscindimus ab impedimento clandestinitatis de quo infra in tit. *De clandestina desponsatione* (IV. 3). Quoad reliqua impedimenta juris Ecclesiastici, *probabilior* sententia est, quæ tenet etiam acatholicos hisce impedimentis subjici. Nam 1°. communis est doctorum sententia *hæreticos et schismaticos teneri legibus Ecclesiæ;* cfr. l. I. tit. 2. n. 31. In re autem nostra, cum sermo præcipue sit de sectis hæreticorum, qui ab Ecclesiæ communione recesserunt, quando jam impedimenta in jure communi exsistebant, dicendum est eadem impedimenta etiam quoad ipsos acatholicos perseverasse, secus ex rebellione commodum reportassent, idest libertatem contrahendi matrimonium absque ullo obstaculo juris Ecclesiastici. Poterunt sectæ acatholicorum solvi ab impedimentis venia Ecclesiæ, at solutionem factam fuisse non constat. Immo potius con-

trarium patet. Nam sæpe nulla declarata sunt conjugia hæreticorum contracta contra leges Ecclesiæ. Ita pluries declaravit S. C. Concilii, ex. gr. d. 26. Sept. 1602, d. 19. Januarii 1605 et d. 2. Augusti 1725. Accedit etiam *Bened. XIV.* in Const. cit. »*Singulari Nobis*« §. 13. in qua docet etiam acatholicos teneri impedimento cultus disparitatis, quod certe est impedimentum juris Ecclesiastici, introductum per consuetudinem Ecclesiæ, cfr. etiam responsum S. C. Concilii ad ep. *Rosnavien.* (Hungaria) d. 20. Aug. 1780. *(Denzinger* c. l. nn. 1350. et sqq.)

123. Accedit etiam in conjugiis acatholicorum ante conversionem contractis Ecclesiam solitam esse dispensare, quando veram fidem amplectuntur; ex adverso autem Ecclesia non dispensat in conjugio infidelium quando convertuntur. Hinc S. C. Inquisitionis tradidit Episcopis *Germaniæ* facultatem absolvendi ab impedimentis Ecclesiastici juris, circa matrimonia contracta in hæresi.*)

124. Neque dicant per hanc sententiam præjudicium gigni filiis progenitis ex matrimoniis hæreticorum absque solemnitatibus Ecclesiæ; nam filii habentur uti legitimi quando saltem unus ex parentibus fuerit in bona fide circa valorem sui matrimonii. Ita tenuit S. C. Concilii etiam nostris temporibus in causa *Herbipolensi* ann. 1858. Jamvero in partibus hæreticorum et schismaticorum conjuges præsumuntur esse in bona fide, præsertim mulier, ob imbecillitatem intellectus, qua incapax est ingrediendi et percipiendi quæstiones canonicas difficiliores. Hanc præsumptionem fundare in aliqua *probabilitate* sententiæ contrariæ non licet; nam etsi aliqui optimæ notæ canonistæ antiquiores, uti *Schmalzgrueber* in h. t. n. 378., *Piechler* in h. t. n. 98. etc., impedimentis mere ecclesiastici juris hæreticos in Germania non ligari defenderent, hodie post tot tamque claras S. Sedis expositiones probabilis dici nequit; cfr. Dr. *J. Fr. Schulte: Handbuch des katholischen Eherechtes* (Latine: Manuale Juris matrimonialis catholici edidit Dr. J. Fr. Schulte, Professor Jur. Can. in Universitate *Pragensi)* Giessen, 1855, pag. 228. qui auctor egregie totam quæstionem exponit, licet postea — factus »altkatholisch« (sc. neohæreticus) — mira consequentia contradicat principiis hic explicatis.

---

*) *Facultates quinquennales* a S. C. de Prop. Fid. concedi solitæ: n. 3. „Dispensandi . . . cum *hæreticis conversis* etiam in 2. simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat 1^{um}."

De impedimentis impedientibus.

125. Hæc sunt quatuor: *'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum'*, quibus accedunt: *clandestinitas* et *mixta religio.*

I. *Ecclesiæ vetitum* idest præceptum *particulare* auctoritatis Ecclesiasticæ, qua ob rationabiles causas, ex. gr. ob timorem gravium rixarum, publici scandali et præsertim ob suspicionem fundatam latentis impedimenti dirimentis, prohibet uni vel utrique, idest viro et mulieri ne audeant matrimonium inire.

126. Qua in re animadvertimus *vetitum Ecclesiæ,* posse esse aliquando impedimentum *dirimens.* idest quando *Summus Pontifex,* qui impedimenta dirimentia potest constituere, prohibet aliquod matrimonium cum clausula irritante.

127. II. *Tempus,* quod *feriatum* dicitur illud est quo solemnes nuptiæ interdicuntur. Hoc tempus olim diu perdurabat, a Tridentino Sess. 24. c. 10. *De Ref. matrim.* coarctatum est, ut decurrat tempore *Adventus* usque ad *Epiphaniam* inclusive, et a *die Cinerum* usque ad *Octavam Paschæ* inclusive. Hoc tempore in quo fideles præsumuntur impensius vacare operibus pietatis, prohibentur solummodo solemnitates et nuptiales benedictiones, nec prohibetur celebratio contractus matrimonialis, si hic fiat absque solemnitatibus et absque nuptiali benedictione.

Idem distinctius præcipit *Rit. Rom.* tit. 7. cp. 1. n. 18.: »Postremo meminerint Parochi, . . . (tempore vetito) . . . *solemnitates* nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest«. Matrimonium autem *omni* tempore contrahi potest, saltem de jure communi; nam *particulari* jure ipsum matrimonium prohiberi posse, arguitur ex responso S. C. de Prop. Fid. d. 5. Julii 1841 ad Vic. Ap. *Tonkini Occidentalis* ad 1^{am}. part.: »Benedictio nuptialis quæ est in *Rituali,* non prohibetur tempore vetito, *dummodo non adsit consuetudo non contrahendi matrimonium etiam sine solemnitate tempore vetito;*« et de facto prohibetur, e. gr. in diœcesi *Ratisbonensi,* ubi in Rit. Ratisbonensi minori (edito an. 1855., pag. 187. n. 17.) hoc statuitur: »Matrimonium tempore vetito contrahi potest, *non tamen sine dispensatione Ordinarii;*« cfr. etiam *Compendium Juris Ecclesiastici* quod scripsit *Dr. Simon Aichner,* Episcopus Brixinensis et Princeps etc.; editio 7^{a}. Brixinæ 1890. pag. 620. §. 181. 2^{0}. ubi »de consuetudine omni-

bus ferme diœcesibus communi« loquitur idque recte si Austriam Germaniamque attendamus. *Promulgationes* quoque sive *banna* eodem jure particulari vetantur quando agitur de matrimonio intra tempus clausum ineundo, secus si sponsi matrimonium sunt contracturi extra tempus vetitum.

Solemnitates ergo secundum Rituale Rom. consistunt: in benedicendo nuptias, in traducendo sponsam, in celebrando nuptialia convivia; de singulis pauca.

I. *Benedictio nuptiarum* duplex est: una simplex, solemnis altera. Prior in Rituali, altera in Missali Romano continetur. Simplex in Rituali dari potest et debet quotiescunque matrimonium coram parocho active se habente initur. — Solemnis in Missali consistit aut in missa pro sponso et sponsa aut saltem in commemorationibus hujus missæ quando Rubricæ missam non concedunt e. gr. feriis privilegiatis, et duabus orationibus: una post »Pater noster« et altera ante »Placeat« in fine Missæ. — De hac solemni benedictione nunc observandum est quod statuit S. C. Inq. in decreto generali d. 31. Aug. 1881. hujus tenoris: »Benedictionem nuptialem quam exhibet missale romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missæ celebrationem juxta rubricas, et *extra tempus feriatum*, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint; benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.« Ex hisce sequitur benedictionem solemnem intra tempus feriatum nunquam concedi posse neque ab Ordinario, quia agitur de lege generali.

II. Traductio sponsæ de domo paterna ad domum sponsi ideo generaliter erat illicita quia consummare matrimonium prius non licebat, *Benedictus XIV.* in *Inst. 80.* Sed quia nostris temporibus matrimonii consummatio nullo tempore est prohibita, etiam traductio, ubi mos est, dummodo fiat absque solemnitatibus, permittitur.

III. Idem quod de traductione sponsæ, dicendum erit de celebrandis conviviis; tempore quadragesimæ necnon jejunii particularis, e. gr. per Adventum, observanda sunt præcepta jejunii. Ceteris temporibus convivia absque excessu et solemnitate externa non vetantur.

128. IV. *Sponsalia* valida nec legitime resoluta, impediunt quominus relicta altera parte, alteruter ex sponsis contrahat matrimonium cum tertia persona. Per hoc enim matrimonium læditur obligatio legitime contracta in sponsalibus. De sponsalium resolutione et dispensatione sermo erat superius.

129. V. Votum castitatis quomodo dividatur in *simplex et solemne*, jam alias vidimus, sc. in tit. *De voto* (III. 34). Votum autem simplex ordinarie non dirimit, sed solum *prohibet* matrimonium ex c. un. *De voto* (III. 15) in 6°. Diximus »ordinarie«; nam excipitur votum simplex in *Societate Jesu* emissum juxta Const. »*Ascendente*« *Gregorii XIII.*, (de quo infra in tit. 6. h. l. n. 7.) et votum quod emittitur ab uxore clerici majoris juxta exposita in tit. *De conversione conjugatorum* (III. 32) n. 9. — Votum castitatis simplex, in quantum impedimentum matrimonii prohibens est, complectitur: votum *non nubendi. — castitatis perfectæ, — ingrediendi Religionem* (etiam *Congregationem*) *— suscipiendi sc. Ordines.* Votum servandi castitatem juxta statum, sc. vel virginalem vel conjugalem, huc non pertinere per se patet. —

Votum non nubendi et perfectæ castitatis *directe* impedit matrimonium quia objectum utriusque per se excludit matrimonium; cetera vota (prohibentia) *indirecte* tantum impediunt matrimonium; nam ineundo matrimonium is qui votum ejusmodi emisit, se exponit periculo violandi votum. — Vota hæc omnia desinunt esse impedimenta: cessatione et dispensatione. 1°. *Cessant* vota non nubendi vel perfectæ castitatis ad tempus facta elapso tempore. — Cessant vota ingrediendi Religionem (Congregationem) et suscipiendi ss. ordines, si Superiores votis talibus obstrictos legitime ante professionem solemnem vel susceptos ss. ordines dimiserint quin hæc dimissio causata fuerit culpa ipsorum petentium, e. gr. ob infirmitatem. — 2°. *Dispensat* vero in votis supra memoratis Ordinarius; exceptis votis ingrediendi Religionem (in stricto sensu) et perfectæ et perpetuæ castitatis quæ absolute emissa reservantur Summo Pontifici juxta dicta in tit. *De voto* (III. 34) nn. 4., 14—18. — Quos denique *effectus* producant singula hæc vota in casu matri-

monii illicite contracti (circa debitum conjugale) exponere: non est nostrum, sed pertinet ad theologiam moralem.

130. Istis quatuor impedimentis impedientibus adjungenda est V. *clandestinitas* in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum. Nam matrimonia clandestina semper prohibita fuerunt; c. 3. *De clandestina desponsatione* (IV. 3) et Trid. Sess. 24. c. 1. *De Ref.*

131. VI. Adjungi potest alia clandestinitas, sc. *omissio denunciationum trium* præmittendarum matrimonio, in quibus tamen ex rationabili causa potest Episcopus dispensare;

132. Necnon VII. *cultus disparitas* inter partem catholicam et acatholicam quæ »mixta religio« vocari solet, de qua infra.

De impedimentis dirimentibus.

133. Memoriæ adjuvandæ gratia sequentibus versibus impedimenta dirimentia concluduntur:

»Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
»Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
»Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
»Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
»Hæc socianda vetant connubia, facta retractant«.

Ex quibus versiculis patet, 15 esse impedimenta dirimentia matrimonium quorum tamen aliqua subdividi solent. Huic in versiculis impedimentorum enumerationi alteram adjungere liceat ex visceribus rei sumptam, quam superius jam innuebamus. Ex ipsa enim matrimonii definitione requiruntur ad valide ineundum matrimonium *tria:*

I. *Objectum contractus* i. e. mutua corporum potestas in ordine etc.
II. *Consensus verus* i. e. sensus duorum in idem.
III. *Habilitas personarum,* ad quam refertur etiam forma solemnis Conc. *Tridentini* observata; nam eos qui, licet sint obligati, Tridentini formam non observant, »s. Synodus ad sic contrahendum omnino *inhabiles* reddit.« Ad tria ergo hæc capita reducuntur omnia impedimenta: scilicet

I. Ex defectu objecti contractus exsurgit 1. impedimentum *impotentiæ,* de quo in tit. 15. h. l.
II. Ex defectu consensûs veri exsurgunt impedimenta:
2. *Defectus usûs rationis* — tit. 2. h. l.; *ætatis* — ibid.
3. *Erroris substantialis* — tit. 1. n. 135.; *erroris circa statum servilem* tit. 9.

4. *Defectus consensûs* — tit. 1. n. 139.
5. *Vis et metûs;* tit. 1. n. 140. — l. I. tit. 40.
6. *Raptus;* tit. 1. n. 152.
7. *Conditionis appositæ;* tit. 5.

III. Ex defectu habilitatis personarum exsurgunt impedimenta et quidem

A. ex defectu *libertatis externæ:*

8. *Ligaminis,* tit. 4. et 19. h. l.;
9. *Professionis religiosæ,* tit. 6.;
10. *Ordinis sacri,* tit. 6.;

B. ex nimia *propinquitate:*

11. *Consanguinitatis,* tit. 14.;
12. *Affinitatis,* tit. 14. et 13.;
13. *Quasi-affinitatis* sive *publicæ honestatis,* tit. 4.;
14. *Cognationis spiritualis,* tit. 11.;
15. *Cognationis legalis,* tit. 12;

C. ex *aspiratione matrimonii criminosa:*

16. *Criminis* tit. 7.;

D. ex diversitate contrahentium respectu sacramenti fidei:

17. *Cultus disparitatis.* tit. 1. n. 169.

E. ex defectu formæ substantialis:

18. *Clandestinitatis,* tit. 3.

Operæ pretium esset hoc ordine servato tractare impedimenta matrimonii dirimentia, at duce Auctore h. l. sequamur ordinem Decretalium; nam peritus quisque, adjutus indice et systemate exposito, necessaria et utilia facile inveniet. Sit

1°. De impedimento erroris.

134. Error est: *'falsa apprehensio rei'.* Error potest dare causam contractui et appellatur *antecedens,* vel potest versari in mente contrahentis, dum contractus perficitur et dicitur error *concomitans.* Uterque error sive antecedens sive concomitans, potest esse in *personam* vel in *qualitates* personæ. Error personæ verificatur quando una persona accipitur pro alia. Error qualitatis verificatur, cum quis solummodo reputat in persona adesse aliquam qualitatem, quæ revera non adest, vel viceversa.

Error *in personam* qui dicitur etiam *substantialis* sive sit antecedens sive concomitans, dirimit matrimonium. Nam revera

non adest consensus et intentio contrahendi cum illa persona, cum qua contractus exterius perficitur. Apprime hoc verificatur adagium juris 'Errantis nulla est voluntas' c. 2. C. 29. q. 1. §. 1. Deest ergo fundamentum contractus. Celebre exemplum habes in *Gen. XXIX.* 21. et sq.

135. Error autem *in qualitatibus* regulariter non reddit nullum matrimonium. Nam qui errat circa qualitatem, cognoscit personam quoad substantiam, et per consequens etiam cum errore adhuc potest velle ipsam personam. Quare remanet substantia contractus idest sufficiens consensus habetur ad obligationem ineundam. Hinc ex. gr. si mulier credebatur virgo vel nobilis, vel dives, et revera destituta hisce qualitatibus inde reperiatur, matrimonium valet. Præsumitur enim virum voluisse contrahere cum muliere illa determinata, et qualitates illas suppositas solummodo reddidisse virum propensiorem ad matrimonium. Sic etiam error in nomine personæ præsentis non irritat matrimonium. Etenim qui contrahit sub ficto nomine: contrahit in propria persona. c. 26. h. t.

136. Verum error in qualitatibus matrimonium dirimit 1^0. si error versetur circa qualitatem conditionis servilis. c. 2. *De conjugio servor.* (IV. 9) et totum titulum infra.

137. 2^0. Si error qualitatis *in personam redundat.* Id verificatur quando qualitas *individuat personam,* e. gr. primogenita alicujus familiæ, et ipsa persona non cognoscitur nisi in hac qualitate ita ut altera pars contrahens personam in hac qualitate individuante tantum *cognitam* ducere velit in matrimonium. — Quodsi persona quædam alteri contrahenti non solum ex qualitate aliqua individuante nota est, sed etiam *aliunde,* præsertim *ex visu,* error circa qualitatem ejusmodi per se non est *substantialis.* Nihilominus matrimonium nullum esse potest non ex titulo erroris, sed ex defectu conditionis appositæ non verificatæ.

Impedimentum erroris substantialis, saltem respectu ritus matrimonialis Occidentalium, rarissime verificari potest, si casum contrahendi *per procuratorem* excipias. Nam si duæ personæ contrahentes sunt præsentes, unaquæque persona alteri nota est ex ipsa præsentia. Et nisi *voluntas* aliter statuit, interpretatio naturalis hæc est: Contraho cum hac præsente persona. Quodsi consensus *restringitur* ad personam in quantum verificatur in ipsa certa qualitas, et hæc conditio deducitur in pactum, jam non de

errore res est, sed de conditione matrimoniali contractui apposita; hæc materia autem tractabitur in tit. 5. h. l. —

Omnes S. C. Concilii decisiones in id conveniunt, ut si nulla adjecta conditione matrimonium inter præsentes contrahebatur, valor ejusdem matrimonium sustineatur, licet una persona alteram nobilem, divitem, honestam etc. falso, sive ignorantia sive fraude capta, putaverit et si notitiam habuisset, nunquam contraxisset, cfr. præcipue causas: *Romanam* d. 27. Maji 1820 (*Richter et Schulte: Decreta* pag. 244. n. 84.); *Valachien.* d. 29. Dec. 1862. (A. S. S. vol. I. pag. 257—265 et 371—377.)

138. *Error in re matrimoniali.* Facilius quam error in *persona* verificatur error »in *re*, sc. falsa apprehensio ipsius matrimonii essentiæ.

Essentia matrimonii consistit in conjunctione maritali, sc. præcipue in potestate corporum mutua in ordine ad actus per se aptos ad generationem prolis. Si igitur persona prorsus ignoraret hanc conjunctionem maritalem, et matrimonium putaret societatem *amicalem*, e. gr. in mutuum adjutorium, ignorantia ejusmodi esset circa *finem essentialem* ideoque circa ipsam essentiam matrimonii. At quia »nihil volitum nisi præcognitum«, etiam consensus deficeret in ipsa essentia matrimonii. Ergo nullus esset consensus, exinde nullum matrimonium. Hæc in theoria, practice difficilior est solutio: nam in foro externo præsumitur non ignorantia, sed scientia in personis nubilibus.

Aliter res se habere videtur quando ignorantia non se extendit ad finem essentialem matrimonii, sed *ad medium quo finis ille unice assequendus est:* sc. ad copulam carnalem. E. gr. Si persona matrimonium reputans quidem contractum quo liberi procreantur, ignorat tamen quo modo id fiat, error circa medium essentiale verificatur. — Hunc casum accidere posse vix negabit quisquam. Inprimis observandum est hanc ignorantiam non præsumi, sed in foro externo probari debere. — Deinde notetur S. C. Concilii in casibus exsurgentibus non dedisse resolutionem peremptoriam, sed œconomicam tantum, i. e. supplicabat Summo Pontifici, ut dispensaret super matrimonio non consummato. Non dicas: Si dispensavit Papa super matrimonio rato, aderat revera matrimonium; nam dari potuit hæc dispensatio *ad cautelam*.

In causa tractata in S. C. Concilii dd. 18. Dec. 1869. et 28. Maji 1870. responsum fuit: »*Affirmative* sc. consulendum est

Ssmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu), vetito mulieri transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione: idque notificetur eidem mulieri ante novam propositionem.« Sane causa ob quam obfirmato animo nunquam Rosa mulier voluit convenire (sc. consummare matrimonium), ea erat, quod ipsa nesciret talem turpitudinem matrimonio junctam esse; ac pro certo haberet, eam posse cum viro degere vitam, quam antea cum parentibus degere consueverat: simulque affirmavit, se usum corporis neque huic neque ulli alteri viro unquam esse præbituram. (A. S. S. vol. V. pag. 551—554.)

Ad rem illustrandam conferri possunt etiam causæ decisæ in S. C. Concilii d. 6. Aug. 1881. (matrimonium »literarium«) et *Herbipolitana* d. 7. Julii 1883. (insania causata fortasse ex ignorantia consummationis matrimonii).

Matrimonium ergo cum tali ignorantia validum esse videtur; quia qui finem non ignorans actum ponit, necessario vult actum illum, licet in accidentibus sit ignarus. Nam qui finem vult, medium, præsertim unicum, velit necesse est. Sed huic assentioni objici potest: Ejusmodi persona velle finem dici nequit; nam vult quidem communem vitam, vult fortasse educationem liberorum aliunde venientium, procreationem autem prolis ex se minime vult. — Ceterum ejusmodi personæ vel ad matrimonii consummationem tandem convertuntur cognita re vel matrimonium inconsummatum relinquunt sæpe ex aliqua corporis infirmitate; cfr. cit. causas dd. 18. Dec. 1869. et 28. Maji 1870. (ubi *frigiditas* quædam adesse videbatur) necnon d. 7. Jul. 1883 (ubi *insania* sequebatur).

Uti in essentia, sic etiam in bonis matrimonii (sc. prolis, fidei, sacramenti) error accidere potest, e. gr. matrimonium dissolubile, conjunctionem cum pluribus etc. quis putat.

Si matrimonium cum tali errore contrahitur sic tamen, ut falsa apprehensio nequaquam in pactum deducatur, matrimonium valere nunquam non respondit Sedes Apostolica; cfr. decisionem S. C. Inquisitionis d. 2. Oct. 1680 ad dubium Episcopi *Bosnen.* »An sit validum matrimonium contractum inter catholicam et schismaticum — hæreticum cum intentione fœdandi vel solvendi matrimonium?« »Si ista sint deducta in pactum seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla: *sin aliter, sunt valida*«: item dec. ejusdem S. C. d. 1. Aug. 1748. necnon responsum ad

Episcopos *Transilvaniæ* d. 20. Maji 1754. apud *Benedictum XIV.* in *Syn. Diœc.* l. 13. cp. 22. nn. 8. et 9.

2°. De impedimento defectus consensus.

139. Deficere potest consensus: a) deficiente necessaria personæ vel rei *cognitione* — de hoc defectu sermo erat in præcedentibus: b) exsistente aliqua causa extrinseca, quæ signa externa ponit, qua de re loquemur in impedimento *vis et metus;* c) quando neque ignorantia neque vi vel metu influente ex causa intrinseca signa consensus externa ponuntur absque interno consensu; de hoc casu nunc agendum est. Qui defectus consensus ex ipsa voluntate procedens verificari potest: I°. in »*matrimonio civili*«; II°. in *fictione* vel *simulatione;* III. in *joco;* de singulis pauca.

I°. Constat »*matrimonium civile*« secundum leges nonnullarum Civitatum *præmitti* debere matrimonio ecclesiastico (cfr. legem in *Germania* d. 6. Febr. 1875, §. 67., et Codicem Criminalem Imperii Germanici, §. 337. et epistolam S. P. *Leonis XIII.* ad Cardinalem *Di Canossa* et Episcopos *Venetos* d. 8. Febr. 1893). Item constat »matrimonium civile« in se »vi ac ratione justi matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse quam ritum ac morem, jure civili introductum« (Encyclica *Arcanum* d. 10. Febr. 1880 §. »Præcipuas curas«). Hisce præmissis dicendum est: In locis ubi c. »Tametsi« est promulgatum, »matrimonium civile« neque *per accidens* vim ac rationem justi matrimonii habere potest ex dicendis in tit. 3. h. l.

At in locis ubi lex Tridentina non viget, aliter res se habet. Nam si sponsi occasione »matr. civilis« intendunt verum matrimonium, de facto contrahunt matrimonium verum, utique illicite, sc. contra legem in *Lateranensi IV.* latum, c. 3. *De clandestina desp.* (IV. 3). Quare fideles, excluso necessitatis casu, admonendi sunt, ut in ineundo »matrimonio civili« nihil intendant nisi »ritum ac morem civicis legibus introductum«; item quando agitur de »matrimonii civilis« valore dijudicando, interrogentur, quid voluerint. Si apparet nihil intendisse nisi ritum civilem, matrimonium ex defectu consensus nullum censetur; cfr. causam *Matrimonii* agitatam in S. C. Concilii dd. 4. Maji, 20. Julii, 24. Sept. 1878. —

II°. *Fictio* sive *simulatio consensus.* Quia consensus est animus totius contractus et quia consensus *simulatus* nullus est con-

sensus, nam signa externa tantum usurpat, facile intelligitur matrimonium ex simulato consensu exsurgere posse nullum.

At in foro externo non præsumitur simulatio et fictio, sed verus consensus; ergo consensum a signis externis exsulasse rite probandum est. Hanc probationem difficillimam esse, jam innuit *Innocentius III.* in c. 26. h. t. — Quum interiora scrutari prætor non possit, judicare debet: 1° ex *causa* fictionis; 2°. ex *conjecturis* sive *circumstantiis* contractum matrimonialem antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus. — Exemplum celebre matrimonii ob simulatum consensum nullius habes in causa *Parisiensi* dd. 7. Julii, 1. Sept. 1883. necnon 7. Martii 1885. (A. S. S. vol. 18. pag. 14—31.)

III°. Matrimonii per jocum contracti exemplum præbet causa *Asculana* d. 14. Dec. 1889. Ex omnibus circumstantiis (ex indole viri et ex facti adjunctis) apparuit: non serio, sed joci causa matrimonium fuisse contractum. S. C. Concilii interrogata: »An constet de matrimonii nullitate in casu?« respondit: »*Constare de nullitate matrimonii*«.

3°. De impedimento vis et metus.

140. *Vis* est *impetus exterior cui resisti nequit.* Cum vis non possit ipsam voluntatem afficere, actus imperatos hominis solummodo potest attingere. Quare si sub influxu vis tantum externus actus ponatur deficiatque prorsus interior adhæsio et consensus, procul dubio matrimonium sub impulsu externæ vis initum nullum est.

141. *Metus differt a vi* quia licet ex impulsu externo incutiatur, tamen voluntatem ipsam agentem supponit. Definitur autem '*Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio*', l. 1. ff. *Quod metus causa.*

In re nostra, hoc juxta canones tenendum est principium: '*Metus gravis, extrinsecus, injuste incussus, ad extorquendum consensum,* irritat ipso jure matrimonium.' Matrimonium enim debet plena securitate seu libertate gaudere, ne infelices exitus pariat. Cf. cc. 14. 15. h. t. et 2. *De eo qui duxit in matrim.* (IV. 7).

Hinc matrimonium sub metu contractum non recensetur inter actus validos et rescindibiles, bene vero est per se invalidum. Nam ob suam connaturalem indissolubilitatem, si semel est validum non amplius dissolvitur. Hinc rescindibilitas cum matrimonii conceptu componi nequit; illud enim faceret solubile et temporaneum.

'Matrimonium', ait S. Thomas, 'est natura sua perpetuum; si esset validum, sed rescindibile, evaderet temporaneum'.

142. Prima qualitas metus est ut sit *gravis*. Gravis metus dicitur ille *qui cadit in constantem virum*, scilicet taliter debet esse incussus, ut sub ejus actione viri etiam prudentis et constantis mens trepidet, nec consilii sui plene sit domina, cc. 1. et 4. *De his, quæ vi* (I. 40). Cum vero metus sit affectio animi, sequitur naturam aliarum modificationum, quæ non pendent solummodo ab extrinseca causa, sed maxime a majori vel minori animi ipsius virtute et dispositione. Hinc in metus æstimatione attendenda est plurimum *qualitas personæ*, quæ metum passa est; c. 4., C. 32. q. 6. — Quare *Panormitanus* in c. 14. h. t. in 6°. merito adnotat in casu mulieris ad irritandum matrimonium, requiri metum qui non in virum, sed in *mulierem* constantem cadat.

Malum etsi grave censeri debet in se, non est grave respectu matrimonii quoties non est imminens; nam viæ ad malum evitandum variæ patebunt; cfr. *Reiffenstuel:* in tit. *De iis quæ vi metusque causa fiunt* (I. 40) n. 19.

143. Ex qua theoria bene inferunt Doctores, etiam metum *reverentialem* posse aliquando irritum facere matrimonium. Metus hic reverentialis est ille quo quis aliquid facit vel non facit ob timorem offendendi personam cui *reverentiam* præstare debet. Profecto si metus ex sola reverentia erga parentes vel alios majores concipiatur, solus regulariter non sufficit ad irritandum matrimonium. Sed si debitæ reverentiæ conjungatur continua *objurgatio*, seu *vexatio*, minæ et diuturna offensio, vel rigidæ et importunæ persuasiones austeri parentis vel superioris cui resisti non solet, potest inde metus excitari, qui in animo filii vel subditi adeo influat, ut filii vel subditi non amplius consilii sui domini, mens trepidet et impos fiat resistendi alieno imperio.

Ex quo metu taliter incusso matrimonium si contrahatur, quisque videt, ipsum ex libera electione et voluntate non procedere, sed potius ex fixo et irrevocabili proposito parentis vel superioris, qui modis omnibus vult obtinere consensum personæ sibi subditæ. Quare metus hujusmodi ceu gravis reputatur et sufficiens ad irritandum matrimonium. Ita sentit *Lessius De Just. et Jure* lib. II. cap. 17.; *Sanchez: De matrim.* lib. 4. disp. 7. n. 7. et S. C. Concilii in variis resolutionibus, e. gr. in *Veneten.* d. 4. Maji 1889.

144. Ceterum qualitatem metus æstimabit prudens judicis arbitrium, omnibus circumstantiis inspectis tum in ordine ad entitatem ipsius incussi metus, tum in ordine ad relationem personarum.

145. Secunda qualitas metus est ut sit *ab extrinseco* incussus, nempe *a causa libera*, idest ab homine. Si enim a causa *necessaria et naturali*, ex. gr. si concipiatur ex periculo naufragii, vel alterius damni naturalis, matrimonium valet. Nam causa naturalis et intrinseca timoris homini injuriam non irrogat quia *injuste* non incutitur; proinde non lædit libertatem matrimonii. Matrimonium enim in hac hypothesi, nullo cogente eligitur ab ipsa persona quæ contrahit, quæque eligit matrimonium ceu medium, quo conscientiæ suæ consulat.

146. Tertia qualitas metus est ut sit *injuste incussus*. Nam si legitime incutiatur idest a judice, qui ex. gr. urgeat matrimonium sub pœna excommunicationis, vel infamiæ vel carceris etc. matrimonium validum est. Censetur enim metus in casu ab ipso jure incussus, et per consequens non præsumitur ipsum jus irritare matrimonium.

147. Quarta tandem qualitas metus est, ut sit *directus ad extorquendum actum*. Hinc si pater ob læsum honorem filiæ suæ, simpliciter ulciscendi animo mortem minitetur juveni qui puellam oppressit, et hic ad vitandam mortem proponat matrimonium, valet. Ratio est quia matrimonium in casu eligitur a juvene ipso ad redimendam vexam et ad evitandum malum imminens, ac proinde non cadit sub dispositione legis irritantis, quæ loquitur de metu quoad matrimonium incusso.

148. Ceterum cum actus positus sub metu, naturali jure sustineatur, eo quod metus non auferat voluntarium, et ordinarie ex jure positivo irritum fiat, non est jus extendendum ultra suos limites a legislatore positos. Leges enim irritantes odiosæ sunt et rigidæ interpretationis.

149. Quæritur utrum metus *purgari* possit.

Metus ideo irritat matrimonium quia impedit plenam libertatem consensus. Quare si pars quæ ex metu invita erat, fiat volens, potest matrimonium revalidari. Quoties ergo consensus libere, sive per verba sive per signa manifestatur, verificatur purgatio metus. Hinc juxta cc. 21. h. t. et 4. *Qui matrimonium accusare* (IV. 18) spontanea et diuturna cohabitatio, vel copula quæ libere et non coacte intercedat inter conjuges, habentur ceu juridica præsumptio

purgati timoris et convalidati conjugii, ita ut probatio contra matrimonium metu initum non admittatur amplius. Etenim longa et spontanea vitæ consuetudo, vel copula libere posita ostendit, cessasse timorem et accessisse consensum liberum.

150. Verum post formam substantialem contractus matrimonialis inductam a Tridentino c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* distinguendum inter metum *publice* incussum et metum *occultum*, idest inter impedimentum publicum procedens ex metu, et impedimentum occultum. — Si enim impedimentum est *occultum*, et altera pars perseverat in consensu suo, pars vero, quæ metum passa est, sciens matrimonium prius contractum fuisse nullum, consensu accedat, matrimonium validum redditur. Nam cum initio servata fuerit forma tridentina, ita ut coram Ecclesia prius matrimonium tanquam validum habeatur, consensus partis læsæ, qui accedit, quoad forum internum complet defectum, qui aderat. Ut autem hæc revalidatio locum habeat requiritur 1°. ut pars, quæ metum passa est, *sciat* primum matrimonium fuisse nullum. Nam secus erraus poneret consensum et forsan consensus datus non fuisset, si scivisset matrimonium esse nullum. 2°. ut perseveret consensus *alterius* partis.

151. Quod si impedimentum ex metu fuit *publicum* non sufficit consensus positus occulte, sed requiritur nova celebratio matrimonii, coram Ecclesia, servata forma tridentina. Nam prius matrimonium non solum in foro interno fuit nullum, sed nec fuit validum in foro externo. Cf. *Bened. XIV.* in *Inst. Eccl.* 87. nn. 61. sqq.

4°. De impedimento raptus.

152. In Decretalibus *Greg. IX.* legitur titulus *De Raptoribus* (V. 17). At raptus de quo agit *Gregorius IX.* differt ab impedimento raptus de quo agit Tridentinum in c. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* Nam impedimentum raptus, de quo sermo est in decretalibus *Gregorii IX.*, confunditur cum impedimento vis et metus. Sane in c. 7. *de Rapt.* (V. 17) species est de raptu, qui obstat matrimonio, et traditur raptum obstare solummodo ob dissensum et aversionem; ita ut si postea consensus accedat libere, et quod displicebat, incipiat placere, censeatur remotum esse impedimentum, ut valide contrahi possit matrimonium.

Ergo dissensus et aversio animi ad amussim procedebat ex vi et metu incusso ad matrimonium contrahendum. Igitur proprie dicta

distinctio non erat jure decretalium inter impedimentum raptus, et impedimentum vis et metus.

153. Conc. Tridentinum cit. loco ponit impedimentum distinctum. Raptus hujusmodi, qui est veluti *furtum mulieris*, juxta Tridentinam legem dirimit matrimonium, *quoadusque mulier sit sub potestate raptoris adhuc posita;* etsi libere consentiat in matrimonium, tamen matrimonium nullum est. Si vero evaserit a potestate raptoris, et constituatur in loco tuto, in quo nempe non subjiciatur imperio raptoris ipsius, sed libera prorsus sit et domina actuum suorum, poterit matrimonium celebrare. Tridentinum scilicet non respexit directe ad libertatem consensus, sed potius ad *libertatem loci* et personæ mulieris raptæ. Præsumit enim Concilium, mulierem sub potestate raptoris liberam non esse, sed esse sub influxu metus; hæc autem est præsumptio juris et de jure, quæ directe contrariam probationem non patitur. — Auctor hic verbis *dubiis* utitur; nam impedimentum raptus non solum impedimentum metus ex præsumptione juris et de jure est, sed impedimentum proprium lege positiva Tridentina introductum quod dirimit matrimonium etiam in foro *interno*. Perseverat ergo metus quoadusque mulier non evaserit e manu viri, et nisi hoc accidat, non potest inter utrumque consistere matrimonium validum.

Igitur raptus constituit impedimentum distinctum ab impedimento metus, quia in impedimento metus requiritur ut metus perseverat actu in ipsa celebratione matrimonii.

154. At quid est raptus? En verba Tridentini: »Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat« etc. Unde patet: 1°. impedimentum dirimens raptus respicere tantum raptorem et raptam ideo ut et raptor et rapta valide possit matrimonium cum tertia persona inire; 2°. raptum non solum actum significare, sed etiam conditionem mulieris nondum in locum tutum et liberum restitutæ; 3°. impedimentum raptus non esse perpetuum, sed cessare cessante raptu. — Hisce præmissis quæritur: Quid est raptus in sensu Conc. *Tridentini:* nam raptus uti crimen ab aliis aliter (secundum legislationes) definitur. — Raptus — ut impedimentum dirimens matrimonii — est *abductio mulieris violenta de loco in locum non tutum matrimonii ineundi causa.*

155. Explicatio definitionis: 1°. Raptus est *abductio violenta:* ad rapiendum enim necessario requiritur vis; aliter amoveri dicitur. Vis tamen hic non stricte est accipienda, sc. de sola vi physica, sed etiam de morali, i. e. si abductio causatur gravi metu vel odiosis artibus.

2°. Dicitur abductio violenta *mulieris: quæcunque* enim mulier si rapitur, sive virgo, sive uxor, sive vidua; sive honesta sive corrupta, etiam publica meretrix; sponsa quoque si rapitur, impedimentum adest.

156. Quæritur utrum raptus *viri* possit esse impedimentum dirimens matrimonii?

In diversas sententias scinduntur Doctores.

Nonnulli sequuntur sententiam *affirmativam*, dicentes nomina maris et fœminæ in matrimonio esse *correlativa*, ac proinde juris dispositionem in c. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* in Tridentino positam, viro etiam applicandam esse.

Accedit etiam principium: *Ubi eadem est ratio; ibi etiam et eadem esse debet juris dispositio.* Jam vero etiam vir et præsertim adolescens, rapi violenter potest et constitui sub potestate mulieris ad contrahendum matrimonium. Ergo quia etiam relate ad virum verificari potest eadem injuria, idem crimen et metus vel verus vel præsumptus, dicendum est etiam relate ad virum raptum posse esse impedimentum dirimens matrimonium.

157. Alii e contra docent, juxta dispos. Trident. in c. 6. sess. 24. *De Ref. matrim.* raptum viri non esse impedimentum dirimens matrimonium.

Nos cum istis sentimus. Dicimus ergo raptum viri non esse impedimentum dirimens ex cit. c. 6. sess. 24. Nam si consideretur raptus juxta antiquam canonum dispositionem, quando impedimentum raptus confundebatur cum impedimento vis et metus, idest si vir raptus sit revera sub influxu vis et metus, profecto consistere non poterit matrimonium inter raptum virum et mulierem, quæ raptum fecit. Consideremus ergo raptum prout est impedimentum distinctum ab illo vis et metus.

Jam vero in cit. c. 6. Tridentini sermo est *expresse* de muliere, statuitque concilium, inter raptorem et raptam matrimonium consistere non posse, quoadusque rapta mulier fuerit sub potestate raptoris. Accedit scopus Patrum Tridentinorum, qui hoc impedimentum constituerunt ceu pœnam ad impediendos frequentes casus

raptus mulierum, qui contingere solebant. Jam vero infrequens prorsus est casus raptus viri. Ergo hic non incidit sub dispositione Tridentina.

Accedit, dispositionem Tridentinam esse pœnalem idest odiosam. Atqui in odiosis rigida adhibenda est interpretatio. Etiam dispositiones juris Romani non ad virum se extendunt, sed loquuntur de mulieribus tantum; cfr. ll. 5. §. 2. ff. *Ad legem Juliam* et 1. C. *De raptu virginum seu viduarum.*

158. Neque dicant nomina maris et fœminæ in matrimoniis esse correlativa; nam Tridentinum sermonem suum coarctat ad mulierem raptam, et ob sexus infirmitatem vult aliquid distinctum disponere ad tutandam libertatem mulieris.

Neque valet secunda ratio adversariorum *'Ubi eadem ratio, ibi eadem esse debet legis dispositio'*; nam valeret ad summum, quando hoc impedimentum inductum fuisset dumtaxat ad libertatem tuendam in conjugali contractu. Sed impedimentum hoc inductum fuit ob frequentiam criminis raptus mulierum. Quæ ratio cum non verificetur relate ad viros, dicendum est relate ad viros non verificari eamdem juris dispositionem. Quare licet in raptu viri agnoscendum sit crimen raptus, quia vir modo illegitimo abripitur, tamen matrimonium si libere et absque vera vi vel metu incusso contrahatur a viro ipso, plene sustinetur.

159. 3°. Dicitur: *De loco in locum non tutum.* Requiritur ergo translocatio aliqua. Quare non verificatur impedimentum raptus quando locus ubi mulier habitat, cessat esse tutus; nam in hoc casu ad summum de sequestratione erit sermo, non de raptu. Translocatio ista moraliter est accipienda sc. non de solo conclavi mulieris, sed de habitatione ejus generaliter. In eadem autem domo raptus verificari posset quando mulier de uno in alium tabulatum vi transferretur ab alia familia habitatum. — Si alter locus esset tutus, jam impedimentum Tridentini cessaret.

160. 4°. *Matrimonii ineundi causa.* Ad impedimentum ergo raptus constituendum in viro matrimonium contracturo duo adesse debent: a) ut sit *raptor;* b) ut rapuerit *ad hunc finem* ineundi sc. matrimonium. — Raptor autem sive per se sive opera aliorum (mandans) esse quis potest. — Non omnis raptus sufficit ad constituendum impedimentum Tridentini, sed raptus tantum ad matrimonium ineundum; quia jura considerant crimen raptus in ordine ad matrimonium ut consulant ejus libertati, et in odiosis et cor-

rectoriis antiqui juris extensio ad casus similes admittenda non est. Insuper raptus constituit impedimentum dirimens, quia leges præsumptione juris et de jure præsumunt metum. Igitur quemadmodum metus ut constituat impedimentum dirimens debet esse incussus in ordine ad matrimonium contrahendum, ita etiam in hunc finem debet esse directus raptus mulieris. Hinc si mulier raperetur ob *alium* finem etiam turpem, et mulier deinde consentiret in matrimonium, validum esset matrimonium hujusmodi quia abducta non fuit mulier contrahendi matrimonium causa. Atque ita resolutum fuisse a S. C. Concilii die 23. Jan. 1585 refert *Galemart.* Cf. *Giraldi: Expos. Juris Pontif.,* ad c. 7. *De Raptoribus.* Cfr. etiam clausula in dispensationibus super impedimento matrimonii addi solita: »Dummodo mulier *propter hoc* rapta non fuerit.«

161. *Divisio.* Raptus, uti est impedimentum matrimonii, dividi solet in raptum *violentiæ* et *seductionis.* Claritati hujus difficilis materiæ consulere volentes, ponimus 3 casus: I. Mulier omnino invita est respectu sive raptus sive matrimonii. II. Mulier vult et matrimonium et raptum, dissentientibus fortasse illis personis in quorum potestate mulier est. III. Mulier invita est respectu matrimonii, non quoad raptum. Ad casum I^{um}. Si omnes definitionis termini verificantur et mulier est omnino invita tum quoad matrimonium, tum quoad raptum, impedimentum raptus certe adest.

162. Ad casum II^{um}. *Si mulier et matrimonium vult et raptum,* matrimonium sic contractum validum censendum est; nam raptus in hoc casu raptus minime dici potest, sed potius fuga, quam communi consensu vir et mulier capiunt et alio se transferunt ad contrahendum matrimonium, quod in loco ubi mulier commorabatur, contrahere non potuissent ob resistentiam rationabilem parentum vel legitimorum mulieris custodum.

Notandum tamen est consensum mulieris in matrimonium (cum ejusmodi raptore) non esse præsumendum, sed esse probandum saltem in foro externo. Probatur autem ordinarie ex seriis tractatibus raptum præcedentibus, inprimis ex sponsalibus, arg. c. 6. *De raptoribus* (V. 17) dicentis: »Cum ibi raptus dicatur admitti (committi), ubi nihil ante de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum et prius eam desponsaverit quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.«

Sed fortasse objicies: Si mulier quidem et matrimonium vult et raptum, parentes tamen rationabiliter dissentiant, tunc videtur adesse impedimentum raptus.

Objectio autem probatur sic: S. C. Concilii in celebri responso d. 24. Jan. 1608. sic resolvit: »Concilium (sc. Tridentinum in c. 6. *De ref. matr.)* procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta *terminos juris civilis*« (A. S. S. I. pag. 54.) Atqui juxta terminos juris civilis raptus crimen committitur etiam in muliere volente invitis tamen parentibus vel legitimis curatoribus;*) cfr. *S. Thomam* in S. th. 2. 2^{æ}. q. 154. a. 7. c. Ergo. — Huic argumentationi respondetur: Dato illam S. C. Concilii resolutionem d. 24. Jan. 1608 revera exsistere (Editor enim Actorum S. Sedis vol. I. pag. 54. adnotat: »Datum non est in archivio S. C. C. reperire hanc resolutionem, quamvis diligenter in illud inquisivimus«) animadvertimus raptum in eo sensu quod significet violentiam, parentibus illatam non cadere sub terminis juris civilis Romanorum; nam neque in l. 5. §. 2. ff. *Ad legem Juliam* neque in l. 1. C. *De raptu virginum* expresse statuitur raptum committi etiam sola violentiâ parentibus illatâ; quodsi revera raptus in hoc sensu inveniretur in jure Romanorum, dispositioni civili certe derogatum esset c. 6. *De raptoribus* (V. 17) *Lucii III.* supra citato. — Ejusmodo interpretatio posterioribus S. C. Concilii resolutionibus confirmatur, e. gr. in *Mediolanen.* d. 20. Aug. 1661. (A. S. S. I. pag. 56.), in *Olomucen.* dd. 29. Jul., 26. Aug., 1769. et 14. Martii 1772. (A. S. S. I. pag. 58.), præcipue in causa *Aquen.-Massilien.* d. 16. Febr. 1889. (A. S. S. XXI. pp. 593—619.) — Dissensus parentum respectu matrimonii filiæ ad summum impedimentum prohibens potest esse, dirimens nunquam erit juxta c. 1. sess. 24. *De ref. matr.* —

163. Ad casum III^{um}. *Mulier vult raptum, sed non intuitu matrimonii ineundi.* — S. C. Concilii in celebri resolutione d. 24. Jan. 1608. statuit: »Concilium (c. 6. *De ref. matr.* Tridentini) procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis.« Atqui jus civilis Romanorum (hoc intelligitur) in l. 1. C. *De raptu virginum* (IX, 13) loquitur de volentibus sive nolentibus virginibus sive aliis mulieribus. »Si enim ipsi raptores metu vel atrocitate pœnæ ab hujusmodi facinore se tem-

*) *Gasparri:* I. n. 552. pag. 378.

peraverint, nulli mulieri sive *volenti*, sive *nolenti* peccandi locus relinquetur: quia hoc ipsum *velle* mulierum ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam, *inducitur*. Nisi etenim eam *sollicitaverit*, nisi *odiosis artibus* circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere«. —

Convenit hic 3^us^. casus cum casu 1°. in eo quod mulier matrimonium contrahere debet in loco non tuto et contra propriam voluntatem.

Differt autem hic ab illo quod in primo casu *vi* mulier in locum non tutum abducitur, in hoc autem *voluntate* pergit vel fugit.

Si hæc mulieris voluntas »insidiis, sollicitationibus, odiosisve artibus nequissimi hominis qui meditatur rapinam, inducitur«, certe adest crimen raptus juxta terminos juris civilis c. un. C. *De raptoribus virginum*. Et quia matrimonium in hoc casu *doli* non minus periclitatur quam in casu *violentiæ*, locum habet etiam dispositio Tridentini c. 6. *De ref. matr.* ideoque matrimonium censendum est nullum; S. C. Concilii in sæpe citata causa d. 24. Jan. 1608. et in *Parisien.* dd. 25. Jun. et 27. Aug. 1864. (A. S. S. I. pag. 15—23.)

Idem valere videtur, si vir non quidem causa fugæ vel discessus erat, *fugâ* tamen abutebatur ut cum muliere in loco non tuto constitutâ contraheret matrimonium quod mulier non intendebat.

Quodsi vero vir non fuga, sed commoratione mulieris post discessum electa abutitur ita ut locus per se tutus machinante viro fiat non-tutus, ad contrahendum matrimonium a muliere non intentum, hoc matrimonium valere censendum est; nam agitur hic non de raptu, sed de mera sequestratione.

Nihil refert utrum parentes fugæ consentiant an dissentiant; nam violentia solis parentibus illata non constituit *impedimentum* raptus, uti supra vidimus in n. 163., licet *crimen* raptus juxta Codices pœnales*) illa violentia committi non excludatur.

164. Uti ex ipsis verbis Tridentini vidimus, impedimentum raptus *cessat*, quando mulier desinit commorari in loco non tuto, absque ulla dispensatione. Attamen Ordinarius potest sibi reservare judicium de cessatione commorationis mulieris in loco non tuto, et ideo matrimonium contractum absque hoc Ordinarii judicio

*) Cfr. *Das Strafgesetzbuch für das deutsche Reich*. 1893. §§. 235. et 237. necnon *Code pénale français*, art. 354. (Gasparri: c. l. n. 555.)

ubi ad liceitatem requiritur, validum quidem est, sed non licitum quandoquidem contrahebatur contra vetitum Ecclesiæ. —

165. Super impedimento raptus ecclesiastico *dispensare* potest Summus Pontifex isque solus, attamen non solet dispensare, imo et in facultatibus generalibus et in dispensationibus specialibus addi consuevit clausula: »Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit et, si rapta fuerit, in raptoris potestate non exsistat,« hæc ultima pars in fac. generalibus continetur. Nihilominus teste *Gasparri*: c. l. n. 560. S. Sedes in extraordinariis circumstantiis dispensat et dispensationem etiam aliis delegat; cfr. Acta S. C. de Prop. Fide pro Imperio *Sinensi* pag. 12., d. 31. Jan. 1796. —

166. Circumstantia raptus sive purgati sive non purgati in supplici libello ad impetrandam aliquam dispensationem, e. gr. affinitatis, semper adjici debet; alioquin dispensatio esset nulla; S. C. Concilii dd. 1. Dec. 1583. et 6. Apr. 1606. apud *Riganti,* l. c. nn. 96. et sqq. — S. C. Inq. d. 15. Jun. 1875. apud *Schneider: Fontes Jur. Novissimi* pag. 87. not. 1ª. Si revera raptus circumstantia exposita est, adjungitur vetitum Ecclesiæ: »Quodsi dictus V. præfatæ M. supervixerit, perpetuo absque spe conjugii remaneat,« de quo tamen impedimento prohibente facile dispensatur.

167. Præter impedimentum matrimonii dirimens Conc. Tridentinum statuit etiam pœnas in raptorem eique cooperantes his verbis: »Nihilominus (i. e. licet raptam in uxorem possit habere positis ponendis) raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure *excommunicati* ac perpetuo *infames,* omniumque *dignitatum incapaces,* et, si clerici fuerint, de proprio *gradu,* decidant. — Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis *dotare*«.

Excommunicatio in raptorem eique cooperantes quippe quæ ab ipso Tridentino fuerit lata, etiam nostris temporibus valet. Quamvis hæc excommunicatio nemini sit reservata, tamen in dispensationibus a Summo Pontifice super aliquo impedimento, e. gr. affinitatis concessis, in quarum supplici libello raptus circumstantia exposita fuit, non *decet* sacerdotem neque Episcopum absolvere nisi facta delegatione ob manus rei a Summo Pontifice appositas; *Gasparri:* c. l. n. 561. — Ceteræ pœnæ latæ quidem sententiæ non urgent ante sententiam *declaratoriam* judicis, cfr. *Grundriss des kath. Eherechts* von Dr. Franz *Heiner.* (Compendium Juris

matrimonialis catholici auctore Dr. Fr. Heiner). Editio 3ª. Münster i. W. 1895. pag. 131. n. 4. Pœnas, præsertim excommunicationem procedere pari passu cum impedimento patet ex sæpe citata resolutione S. C. Concilii d. 24. Jan. 1608.

5°. De impedimento cultus disparitatis.

168. Dispares cultu dicuntur *personæ, quæ* non in eadem, sed *in diversa religione versantur.* Hinc disparitas cultus duplex est 1ª. inter *baptizatam* personam et infidelem, seu *non baptizatam;* 2ª. inter personas baptizatas catholicam et acatholicam.

Rursus disparitas hæc cultus vel est *antecedens* vel *subsequens* matrimonium. *Antecedens* est quando contrahitur matrimonium exsistente ipsa disparitate cultus. Subsequens est quando post contractum matrimonium duorum catholicorum una pars vel »labatur in *hæresim* vel decidat *in gentilitatis* errorem« [c. 7. *De divortiis* (IV. 19)] aut e converso post contractum matrimonium duorum *infidelium* vel *hæreticorum* una pars convertatur ad veram fidem.

Disparitas cultus antecedens inter personam fidelem et infidelem, idest baptizatam et aliam non baptizatam, constituit impedimentum *dirimens* matrimonium de quo agitur in cc. 15. et 17. C. 28. q. 1.

Altera disparitas cultus antecedens est solummodo *impediens* impedimentum, de quo fit sermo in cn. 16. ibidem.

De antecedente tantum cultus disparitate nunc loquimur et quidem I°. de impedimento cultus disparitatis dirimente quod *disparitas cultus* simpliciter dici solet; II°. de imp. cultus disparitatis prohibente quod communius *mixtæ religionis* vocatur. Sit ergo I°. *De cultus disparitate (simpliciter).*

169. Inprimis quærendum est in quo propius consistat disparitas cultus? Impedimentum disparitatis cultus tunc solum locum habet quando una pars *certe* pertinet et altera *certe non* pertinet ad *non-baptizatos.* — Tota quæstio hic pendet a collatione *baptismi,* de professione fidei in hoc impedimento non quæritur. E. gr. si baptizatus homo uxorem ducere vult mulierem baptizatam quidem, sed prorsus *incredulam,* impedimentum disparitatis cultus non obstat. E contrario si baptizatus homo in matrimonium ducere vult mulierem externe prorsus catholicam, at non baptizatam, impedimentum hoc adest; cfr. c. 7. *De divortiis* (IV. 19). — Deinde ulterius progredientes ponimus quoad collationem baptismi in ordine

ad matrimonium sequens axioma: *Quotiescunque dubium circa valorem baptismi dissolvi nequit vel non oportet, baptismus validus est censendus in ordine ad matrimonium.*

Explicatio: 1°. Nihil interest in nostra quæstione, utrum dubium circa valorem baptismi sit *juris* an *facti.*

2°. Dubium dissolvi potest duplici ratione: a) diligenti examine juxta modum brevi indicandum; b) collatione baptismi sub conditione facta.

170. Quæritur hic an liceat, quando dubium diligenti examine dissolvi nequit, illud dissolvere conferendo conditionatim baptisma? Distinguendum inter personam *catholicam* et *acatholicam.* Si pars cujus baptisma in dubium vocatur, est *catholica,* baptizari sub conditione potest et debet in ordine ad salutem animæ necnon ad sacramentalem matrimonii gratiam certe assequendam; attamen si matrimonio inter duas personas catholicas jam contracto supervenit dubium de valore baptismi alterutrius vel utriusque conjugis, hoc dubium nullo modo præjudicat matrimonio antea contracto, uti expresse declaravit S. C. Concilii in *Tarvisina* d. 4. Martii 1737. Quæstioni enim »An Laura Delfini (de cujus baptismo dubium serium ac probabile post diligentem investigationem remanserat) baptizari debeat sub conditione in casu«, S. C. reposuit: *Affirmative* sub conditione et secreto et *sine præjudicio validitatis matrimonii*«. Similiter in *Ripana* d. 12. Dec. 1733; cfr. Ubaldum *Giraldi* in *Expositione Jur. Pontif.* (Romæ 1829) p. I. sect. 615. n. 5. —

Quodsi pars de cujus baptismo dubitatur, est *acatholica* hæc persona tunc solum sub conditione baptizanda est quando converti vult ad fidem catholicam, in ceteris casibus nequaquam baptizari debet.

171. 3°. Modus quo examen peragitur, variis decretis S. C. Inquisitionis proponitur, ex quibus ultimum depromimus d. 18. Sept. 1890 hujus tenoris:*) »Illustrissime et Reverendissime Domine, Literis datis d. 18. Apr. 1890 Vicarius capitularis, ad animarum quieti et saluti prospiciendum, declarari rogabat a S. Sede, quod per dispensationem super impedimento *mixtæ religionis,* si dubium de baptismo hæreticæ partis persistat, ut istis in regionibus non raro contingit, etiam dispensatio super impedimento *disparitatis*

*) Cfr. etiam Responsum S. Officii ad Ep. *Sangallen.* d. 3. Apr., 1879. apud *Aichner: Compendium.* §. 172. not. 4).

cultus, ad cautelam concessa, intelligenda sit. Res ad hanc supremam Congr. S. Officii delata est, quæ approbante SS. D. N. Tibi pro norma communicanda sequentia decreta mandavit, scilicet:

1. Proposito dubio: An Calvinistæ et Lutherani, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?

Feria IV., d. 17. Nov. 1830 responsum fuit: Quoad hæreticos, quorum sectæ ritualia præscribunt collationem baptismi *absque necessario usu materiæ et formæ essentialis,* examinari debet casus particularis; quoad alios, *qui juxta eorum ritualia baptizant valide,* validum censendum esse baptisma. *Quod si dubium persistat,* etiam in 1°. casu censendum esse validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii; *si autem certo cognoscatur* nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectæ, nullum est matrimonium.

2. Proposito dubio: utrum, si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit *opportunum* solvere dubium de his, qui sic dubie baptizati sunt, in rebus quæ ad matrimonium spectant habendi sint ac si vere et valide baptizati fuerint?

Feria IV., d. 9. Sept. 1868, responsum fuit: *censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*«

Romæ, die 18. Sept.

R. Card. *Monaco.*

Inprimis attendamus ad duo S. C. Inq. responsa quæ pro norma ab eadem S. C. communicata fuerunt; in his exhibetur *regula* in examinando baptismate respectu valoris matrimonii observanda:

Consule *ritualia* sectæ ad quam pertinet vel pertinebat persona acatholica. Si ritualia præscribunt *collationem baptismi validam,* validum censendum est baptisma. — Si ritualia præscribunt *collationem baptismi absque necessario usu materiæ et formæ,* examinetur *casus particularis.* Effectus autem hujus examinis potest esse triplex: Aut certo cognoscitur *nullum* baptisma ex consuetudine actuali illius sectæ aut dubium dissolvi nequit aut dubium dissolvi non oportet, e. gr. quia periculum est in mora vel ob resistentiam partis hæreticæ. — In primo casu *nullum* est matrimonium in secundo et tertio censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*)

*) Si quis attentis variarum sectarum Ritualibus instructionem accuratiorem desiderat, consulat responsiones S. C. Inq. ad Ep. *Savanensem* (in Statibus

Ex hac regula resolvuntur sequentes casus: 1°. Matrimonium non-baptizati cum persona certo vel dubie baptizata est invalidum, S. C. Inp. d. 7. Jul. 1880 ad 1^um^. — 2°. Matrimonium dubie baptizati cum persona certo vel dubie baptizata est validum, dummodo non obstet impedimentum matrimonii dirimens, e. gr. consanguinitatis, clandestinitatis etc., S. C. Inq. d. 7. Julii 1880 ad 3^um^.

172. Generaliter loquendo clara sunt exposita, at nunc aggredienda est quæstio magis intricata: Quid agendum si matrimonium contrahebatur cum certitudine vel cum dubio circa validitatem baptismi utriusque vel alterutrius partis et postea certo appareat baptismum vel utrique vel alterutri non vel invalide fuisse collatum?

Quando apparet utramque partem certo non esse baptizatam, matrimonium validum est, »non ratum« quidem, sed »verum«, uti ait *Innocentius III.* in c. 7. *De divortiis* (IV. 19).

Præmisso hoc casu respondemus: Quoties matrimonium contrahebatur cum certitudine vel præsumptione baptismi, matrimonium validum erat. Et quia validum erat, postea — detecta invaliditate baptismi — non redditur invalidum; quia matrimonium semel validum, semper validum. S. C. Inq. enim non distinguit inter judicium de baptismo *ante* matrimonium et *post* matrimonium, sed simpliciter declarat: »*Censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*« — Mandat ergo quodammodo matrimonium contracturis qui dubii sunt de ipsorum baptismo: Sic contrahite uti ceteri christiani et validum erit matrimonium vestrum. —

Confirmatur autem nostra propositio ex S. C. Inq. decisione d. 20. Julii 1840. Etenim in casu vir protestans dissoluto matrimonio cum muliere Anabaptisticæ sectæ secundum matrimonium contraxerat cum muliere Lutherana. Quæstioni »Quænam ex istis mulieribus tamquam ejus uxor haberi debet«, S. C. d. 20. Julii 1840 respondit: »Dummodo constet de non-collatione baptismi mulieris Anabaptistæ, primum matrimonium *fuisse* nullum; secundum vero, dummodo nullum aliud impedimentum obstet, *fuisse* validum.«

Sane ex ipso verbo »*fuisse*« eruitur judicium ferri de matrimonio non eo tempore quo casus proponebatur S. C. Inq., sed illo

Unitis Americæ Septentrionalis) d. 1. Aug. 1883. (in *Monitore Ecclesiastico:* vol. IV. p. 2. pag. 81., apud *Gasparri:* c. l. n. 604.)

tempore quo matrimonium contractum fuit; nam ex Rituali et consuetudine sectæ Anabaptistarum jam tunc præsumptio militabat *contra* validitatem baptismi (cfr. etiam responsionem S. C. Inq. d. 1. Aug. 1883 ad 2^{um}. in 2^{a}. quæstione), econtra ex Rituali et consuetudine Lutheranorum *pro* validitate baptismi. — Concludi ergo potest: Matrimonium initum cum certitudine vel præsumptione baptismi in utraque parte et sine impedimento dirimente, valide est contractum, etsi *postea* detegatur, baptismum alterutrius esse nullum. I. *Quoad matrimonium inter personas catholicas* consequitur hoc etiam ex responso S. C. Concilii d. 4. Martii 1737. supra citato. Baptismus enim nullum generat præjudicium validitati matrimonii antea christiane contracti. II. Quoad matrimonium inter personas *mixtæ* religionis, sc. catholicam et hæreticam, vel *acatholicæ* religionis a nonnullis hoc in dubium vocatur. Sic *Lehmkuhl* in sua *Theologia morali:* II. n. 752. opinatur matrimonium mixtum, cui supervenit certitudo de non-baptismo alterutrius partis, tunc solum valere quando contractum erat *cum dispensatione* super impedimento mixtæ religionis prohibente. »Nam«, ait, »ecclesiasticus Superior licentiam talis matrimonii concedens, quantum est ex parte ecclesiasticæ legis, directe et expresse quidem ab impedimento impediente dispensavit, at tacite et hypothetice etiam censendus est ab impedimento dirimente, si forte adesset, dispensasse.

Si vero sine Ecclesiæ dispensatione tale matrimonium initum est, in dubio baptismi validi practice quidem matrimonium ut validum habetur atque agenda sunt omnia, sicut in matrimonio valido: verum re ipsa validum est aut invalidum, prout baptismus acatholici conjugis re ipsa validus fuit aut non. Quare si postea illum certe invalidum esse detegitur, matrimonium necessario est revalidandum.«

Secundum hanc theoriam matrimonia absque dispensatione super impedimento mixtæ religionis contracta invalida essent judicanda quando certitudo de non-baptismo alterutrius postea acquireretur: ideo matrimonia talia non solum inter personas mere acatholicas et inter personas mixtæ religionis nulla obtenta mixtæ religionis dispensatione, sed etiam inter personas mere catholicas essent invalida. —

At ejusmodi theoria sustineri nequit; nam 1°. S. C. Inq. supplici libello alicujus Vicarii Capitularis (d. 18. Apr. 1890.), ut S. Sedes dignaretur declarare quod per dispensationem super im-

pedimento *mixtæ religionis,* si dubium de baptismo hæreticæ partis persistat — ut istis in regionibus non raro contingit — etiam dispensatio super impedimento *disparitatis cultus,* ad cautelam concessa sit intelligenda, non respondit: *Pro gratia,* sed decreta d. 17. Nov. 1830. et 9. Sept. 1868. communicanda mandavit quæ continent hoc axioma: In dubio »censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii«. —

2ª. Ratio cur theoria supra memorata sustineri nequeat, desumitur ex responso d. 20. Julii 1840.: S. C. Inq. — uti vidimus — respondit: »Dummodo constet de non-collatione baptismi mulieris Anabaptistæ, primum matrimonium fuisse nullum; secundum vero, dummodo nullum aliud impedimentum obstet, fuisse validum«. Agebatur autem in casu de viro protestante qui dissoluto priore cum muliere Anabaptista matrimonio contraxit cum muliere Lutherana. Utique secundum matrimonium quippe prorsus hæreticum, *absque dispensatione* super imp. mixtæ religionis contractum est; nihilominus S. C. non respondit »matrimonium cum dicta Lutherana *præsumendum esse* validum«, neque respondit: »matrim. illud *esse* validum«, sed respondit: »m. *fuisse* validum« significans hoc verbo matrimonium jam a contractu ob præsumptionem baptismi utriusque fuisse valide contractum. — Cui responso concordat etiam responsum S. C. Concilii d. 4. Martii 1737. superius allegatum. —

Neque opponas responsum S. C. Inquisitionis d. 5. Febr. 1851. (apud *Gasparri:* c. l. n. 602.) hujus tenoris: »Generatim loquendo qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tamquam valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari hæreticum de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum: sed oratorem, quoties occurrunt casus particulares hujus generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum fer. IV. d. 17. Nov. 1830 a *Pio VIII.* adprobatum.« Nam clausula »*nisi forte certe et evidenter constet*« etc. clare demonstrat matrimonium *nullum* esse posse etiamsi antea cum præsumptione baptismi utriusque initum fuit. —

Respondemus: Hoc concludi minime potest nam de nullitate in responso d. 5. Febr. 1851. nihil commemoratur, sed casus particulares cum expositione omnium omnino circumstantiarum ad S. Sedem transmittendi mandantur. At etsi revera de nullitate sermo esset, facile de iis casibus interpretari posses, ubi præsum-

ptio de baptismo jam ante matrimonium deerat. — Ergo firma remanet nostra propositio.

173. Quæritur *quo jure sit inductum impedimentum dirimens ex cultus disparitate.*

Hanc quæstionem fuse pertractat *Bened. XIV.* in Const. *Singulari Nobis,* d. 9. Febr. 1749. Affert Summus Pontifex sententiam *Soti,* qui in variis locis sacræ scripturæ *V. T.* agnoscit jus divinum dirimens matrimonium ob cultus disparitatem. Sic *Deut.* VII. 2.—3. et 1. *Esdr.* X. 2. Verum adnotat Pontifex in hisce locis non esse sermonem de impedimento dirimente, sed solummodo impediente. Nam 3. *Regum* XI. 3. supponitur validum conjugium Salomonis cum alienigena. Quod si autem fuerit impedimentum dirimens, illud certe non fuit generale, et quoad omnes nationes gentium sed solum relate ad quasdam, idest relate ad Hethæos, Cananæos etc. de quibus in *Deut.* VII. 1. Per se igitur disparitas cultus non erat impedimentum dirimens.

Insuper quidquid sit de hoc impedimento non valet ratio a Vetere ad Novum Testamentum. Nam conditio politico-religiosa reipublicæ Judaicæ exigebat ut populus non confunderetur cum aliis nationibus. Hinc licet disparitas cultus fuisset jure divino impedimentum dirimens in V. T. non sequeretur et esse in N. T.

Sed dici posset *Paulum* interdixisse fidelibus ne jugum ducerent cum infidelibus 2. *Cor.* VI. 14. At Ecclesiastica traditio hanc inhibitionem Pauli accepit de impedimento impediente ob periculum perversionis. Hinc remoto periculo ob justas rationes permissum fuit, primis Ecclesiæ temporibus, conjugium fidelium cum infidelibus et piissimæ mulieres absque criminis nota, contraxerunt matrimonium cum infidelibus, quos ad Christi fidem converterunt.

Canones autem in n. 168. citati, 15. quidem habet auctorem *S. Ambrosium,* 17. vero ex concilio particulari *Urbanensi* desumptus est. Insuper uterque potest explicari de simplici prohibitione matrimonii.

174. Cum igitur nulla lege generali sub pœna nullitatis prohibitum fuisse reperiatur matrimonium christianorum cum infidelibus, dicendum est ab initio non obtinuisse in Ecclesia impedimentum dirimens cultus disparitatis et hujusmodi impedimentum introductum fuisse paullatim ex usu et consuetudine Ecclesiæ. Scilicet fideles et pastores videntes periculum et incommoda ex conjugio fidelium cum infidelibus derivare, horrorem concipere cœperunt

adversus connubia cum infidelibus, et uti nulla traducere cœperunt. Hæc opinio et praxis propagatæ sunt, et in moribus populi christiani receptæ fuere. Quare hoc impedimentum dirimens ex cultus disparitate procedens, est solummodo impedimentum *juris Ecclesiastici consuetudinarii.*

175. Quo posito quæri potest, *utrum impedimentum hujusmodi robur suum habeat inter illos, qui ad fidem convertuntur in regionibus, ubi christiana fides nunc primum prædicatur.*

Quæstio hæc agitata est cum primum Sinenses et Japonenses incœperunt converti ex Ethnicismo ad fidem Christi. Et quidem videbatur, hoc impedimentum non vigere in regionibus in quibus fides christiana incipit prædicari. Nam cum impedimentum cultus disparitatis suam virtutem repetat non ab ipso jure Ecclesiastico scripto quod generale est et omnes Christi fideles ligat, sed a consuetudine, dicendum esse videbatur hoc impedimentum non valere ubi consuetudo introducta nondum fuerat *(Benedictus XIV.* c. l. §. 19.)

176. Quod argumentum a fortiori valebat pro sectis separatis, quarum asseclæ forsan inter Japonenses vel Sinenses commorantes matrimonium inierant cum infidelibus. Nam non omnes consuetudines Ecclesiæ Catholicæ communes sunt sectis ab ea separatis.

177. Verum dictum est a *Bened. XIV.* in cit. constit. impedimentum cultus disparitatis omnes Christianos urgere etiam acatholicos, licet commorentur ii in regionibus Ethnicorum. Nam impedimentum hujusmodi non procedit ex consuetudine aliqua particulari, sed procedit ex consuetudine universali, quæ universam complectitur societatem Christianam. Scilicet consuetudo hujusmodi induit naturam legis universalis, quæ omnes homines ligat, eo ipso quod per baptismum inter Christi fideles adscribantur.

178. Quare consuetudo hujusmodi constituit jus commune Christianorum, in quo proinde dispensare potest solummodo auctoritas suprema in Ecclesia.

Et revera refert *Benedictus XIV.* in cit. constit. *Gregorium XIII.* concessisse Missionariis Japoniæ facultatem dispensandi cum novis Christi fidelibus in isto impedimento, et etiam nunc vicariis Apostolicis S. C. de Prop. Fid. tribuit eandem facultatem dispensandi in eodem impedimento disparitatis cultus.

Circa hanc dispensationem super impedimento cultus disparitatis quæritur: Quibus sub conditionibus concedenda est ejusmodi dispensatio: I. *in regionibus infidelium;* II. *in regionibus christianorum?*

Ad I^um^. Dispensatio super impedimento disparitatis cultus concedenda non est nisi quando verificantur hæ conditiones: 1°. »Ut in tuto sit fides *contrahentis catholici,* remoto probabili periculo perversionis. 2°. Ut in tuto sit educatio *prolis* in fide contrahentis catholici, datis debitis cautionibus. 3°. Ut interveniat probabilis spes de conversione *contrahentis infidelis,* spectatis indole, inclinatione et agendi ratione. 4°. Ut adsint *graves causæ* in singulis casibus, in quibus dispensandum est. 5°. Ut non concedatur dispensatio nisi in locis tantum, ubi sunt *plures infideles* quam Christiani«. Cfr. *Monita ad Missionarios Provinciæ Schantung-Meridionalis.* Puoli 1886. pag. 65—66. necnon *Gasparri:* c. l. nn. 610. et sqq.; Instructionem S. Officii d. 11. Jul. 1886. ad Vic. Apostolicum *Natal.* ad 6^um^.

Notandum hic est: impedimentum disparitatis cultus posse etiam *cessare* in casu extraordinario, sc. quando persona christiana emigravit in partes infidelium ita ut reditus sperari posse nequeat, neque aliæ personæ christianæ adsint vel si adsint, fortiori tamen impedimento a matrimonio cum illa persona retineantur, e. gr. consanguinei primi gradus.

Probatur hoc responso S. C. Inq. d. 4. Juni 1851. desumpto a cl. *Gasparri* (c. l. n. 623.) ex Collectione Parisien. n. 890. Familia enim christiana emigraverat in longinquas partes infidelium absque spe redeundi. Grandiores facti filii et filiæ nubunt cum paganis sine dispensatione (quæ erat impossibilis). »Quid juris in hoc casu? Tenenturne impedimento disparitatis cultus? Quid juris ubi fides eorum est in tuto, ut fit aliquando? et ubi sunt in bona fide, ut plurimum evenit?« S. C. d. 4. Jun. 1851. reposuit: »*In propositis circumstantiis non esse inquietandos, facto verbo cum Ssmo. Ssmus approbavit.*«

Fortasse verbum »non esse inquietandos« quis intellexerit de bona fide eorum non turbanda. At impedimentum hoc revera cessare, concluditur: a) *ex approbatione Summi Pontificis;* nam merum monitum non turbandi bonam fidem non indiget approbatione Sanctissimi; b) *ex ipso responso;* etenim non dicitur: Qui in bona fide sunt, non esse inquietandos, sed »In propositis circumstantiis non esse inquietandos«; c) ex sana ratione; nam lex ecclesiastica, licet sit irritans, non obligat cum tanto incommodo, ut ejusmodi personæ per totam vitam vel continentiam servent idque

sine salutis remediis, vel in concubinatu, materiali utique plurimum, vivant.

Ad II^{um}. Quid de dispensatione in nostris regionibus. Auctores non veteres tantum, sed etiam recentiores usque ad novissima tempora gloriari poterant: Inaudita est dispensatio super hoc impedimento in regionibus christianorum. At nostris temporibus ex legislationibus modernis necessariam evasisse hanc dispensationem maxime dolendum est.

Legislationes enim civiles pæne omnes*) non agnoscunt impedimentum disparitatis cultus. Et quia ex una parte contractus civilis præbet speciem veri matrimonii, ex altera numerus non-baptizatorum de die in diem crescit neglegentia parentum christianorum, casus »matrimonii civilis« inter personam catholicam et judaicam vel non-baptizatam augentur. — Tandem si pars catholica conscientiæ angoribus permota matrimonium verum inire desiderat, S. Sedes, benigna mater, dispensationem etiam super hoc impedimento dare cogitur. Sic S. C. Inquisitionis mulieri catholicæ cum Judæo per plures annos civiliter junctæ liberis fide catholica educatis sub cautelis in matrimoniis mixtis apponi solitis dispensationem concessit, d. 5. Sept. 1888; dd. 22. Febr. et 1. Martii 1889.; cfr. *Archiv für kath. Kirchenrecht* (Archivium Juris eccles. catholici) vol. 63. (57.) pag. 118. et sqq.

In extraordinaria Episcoporum facultate a S. C. Inq. 20. Febr. 1888. tributa dispensationem super impedimento cultus disparitatis non excludi satis constat; cfr. S. C. Inq. d. 18. (20.) Martii 1891.

II°. De matrimoniis mixtis.

179. Cultus disparitas inter personam catholicam et personam acatholicam non dirimit matrimonium. Nec objici potest c. 15. C. 28. q. 1. in quo matrimonium cum hæretica persona contractum comparatur matrimonio contracto cum infideli. Nam quidquid sit de antiqua juris dispositione, præsertim in aliqua regione, nunc certum est saltem ex generali contraria consuetudine, non amplius irritum censeri matrimonium catholicos inter et acatholicos contractum, servata tamen forma substantiali ab Ecclesia statuta ubi

*) In *Austria* subsistit hodiedum impedimentum etiam in foro *civili*. „Sed potest eludi vis legis, si persona baptizata se omnis religionis expertem formaliter jam antea declaravit". *Aichner* in *Compendio* cit. §. 172. not. 4.)

promulgatum est Tridentinum concilium. Verum matrimonia hujusmodi in genere Ecclesia semper detestata est. Nam ut in sententia magnæ notæ auctorum docet Card. *Petra* in tom. IV. comm. ad Const. *'Cum nonnulli'* 12ª. *Joannis XXII.* n. 12, experientia compertum est ex hujusmodi matrimonio tot ac tanta sequi spiritualia incommoda tum ipsi conjugi catholico, tum liberis ac christianæ reipublicæ, ut plerumque charitatis legi adversetur omnino. Huc afferri possunt c. 16. C. 28. q. 1. necnon canones plurimorum antiquorum conciliorum et præsertim c. 14. concilii *Chalcedonensis.*

Breviter exponit omnia mixti matrimonii damna S. P. *Leo XIII.* in sua Encyclica »*Arcanum*« circa finem hisce verbis: »Illud etiam cavendum est, ne scilicet conjugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine: animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad cetera *concordes.* Quin imo ab ejusmodi conjugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem præbent *vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum,* periculum religioni creant *conjugis catholici,* impedimento sunt bonæ institutioni *liberorum,* et persæpe animos impellunt, ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine«. Periclitatur igitur concordia conjugum, periclitatur fides salusque æterna conjugis catholici ac liberorum; propagatur indifferentismus. — Præterea neglegenda non est inæqualitas jus partis catholicæ et hæreticæ. Cum catholica enim pars vinculum indissolubile intendat, econtra hæretica juxta falsam suam doctrinam matrimonium ex diversis causis dissolubile esse firmiter credit.

180. Matrimonia mixta igitur non solum quando verificantur damna prædicta, jure *naturali* sunt prohibita, sed etiamsi non verificantur, semper jure ecclesiastico *communi.* Quare non licet positis conditionibus de jure naturali ponendis, matrimonium mixtum inire absque dispensatione *Summi Pontificis* qui solus super hoc impedimento jure ordinario dispensat. Etenim »facili negotio«, ait *Benedictus XIV.,* »perspicere est, hujuscemodi conjugia licita aliter evadere non posse, præterquam in vim dispensationis a *Romano Pontifice* obtentæ, exclusis episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint«; cfr. *Syn. diœc.* l. 9. c. 3. n. 2. et l. 6. c. 5. n. 2. — Hoc exclusivum S. Sedis jus Summi Pontifices posteriores pari modo reclamabant ita ut hodie contraria sententia quam *S. Alphonsus* in *Theol. mor.:* De sacra-

mentis in genere n. 56. valde probabilem vocat, improbabilis et etiam in Germania prorsus derelicta censenda sit. — Dispensationes autem hujusmodi S. Sedes per organum S. C. Inquisitionis impertit in *omnibus* casibus sc. etiam tunc quando dispensatur super aliis impedimentis, e. gr. consanguinitatis, una cum imp. mixtæ religionis. — Nonnunquam autem obtinent episcopi indultum speciale dispensandi super hoc impedimentum vel ad triennium vel pro certo numero casuum urgentiorum (e. gr. 100), de quo indulto sermo redibit inferius.

181. Si quæratur quænam conditiones requirantur ab Ecclesia ut admittantur mixta matrimonia, respondemus, antiquitus requisitam fuisse *promissionem* conjugis hæretici amplectendi fidem catholicam. Ita Conc. *Nicænum* c. 53. et Concilium *Chalcedonense* c. 12.

Aucto autem periculo perversionis catholicorum, inductum fuit ut matrimonium non permitteretur, nisi pars hæretica hæresi *renunciasset*. Cf. Cardinalis *Petra* in cit. Comm. nn. 14. seqq.

182. At ob varias temporum et locorum exigentias, factum est ut S. Sedes per organum S. C. supremæ Inquisitionis, vel ipsa eadem concederet dispensationes, vel indulta tribueret Episcopis ad dispensandum in matrimoniis mixtis. Attamen nonnullas conditiones *sub fide juramenti* exegit.

1°. Ut absit *periculum perversionis conjugis catholici*. Hinc pars acatholica promittere debet, se non esse prohibituram ullo modo conjugi catholico, quominus religionis suæ officia plena libertate adimpleat.

2°. Ut *filii omnes* sive masculi sive fœminæ, ex matrimonio nasciturі *educentur in catholica religione*. Hinc reprobatum pactum licet solummodo tacitum inter conjuges, educandi masculos in religione patris, fœminas vero in religiosa professione matris. Pars enim catholica vi hujus pacti positive promovet propagationem hæresis, et filios suos exponit periculo damnationis æternæ.

3°. Tertia conditio est ut conjux catholicus juxta principia charitatis christianæ spondeat se curaturum pro sua parte et viribus, ut *pars hæretica vel schismatica catholicam fidem suscipiat*.

183. Binæ priores conditiones præ oculis haberi præcipue debent ab aliis qui facultatibus a sede apostolica delegatis utuntur, et dispensant in matrimoniis mixtis.

Verum ob contrarias leges a Guberniis latas Ecclesia ad graviora mala vitanda toleravit ut juramentum non præstaretur a

contrahentibus, sed *sola promissio* sufficeret. Ad rem facit Instructio Secretariæ Status d. 15. Nov. 1858. quæ incipit »*Etsi Sanctissimus*« (A. S. S. VI. pag. 456. sqq.).

Conditio de *educanda prole* in religione catholica majoris momenti practici est quam ceteræ; nam ipsa est fundamentum et signum ceterarum duarum. — Omnibus viribus igitur adlaborandum est, ut promissio ab utroque contrahente data fulciatur legibus civilibus; nam hæc tantum cautio opportuna est i. e. talis »ut prudenter ejusmodi exsecutio exspectari possit«. (S. C. Inq. d. 30. Jun. 1842.)*)

Optime deducitur hoc ex Literis ab Em. Cardinali *Rampolla*, Secretario Status, ad Primatem Hungariæ, Joannem Card. *Simor* datis dd. 7. Julii 1890. necnon 26. Sept. 1890. Ad exercenda enim indulta dispensandi super matrimoniis mixtis requiritur, »ut moraliter certi sint Episcopi de sponsionum sinceritate earumque implemento non obstantibus literis circularibus a *gubernio* datis. Hæ circulares literæ datæ sunt a ministro cultus *Csaky* d. 26. Febr. 1890. et statuunt injustitias et vexationes in Ecclesiam catholicam.

Quidquid dictum est de matrimoniis mixtis cum hæreticis, idem valet in matrimoniis cum *schismaticis* secundum expressam S. C. Inquisitionis declarationem d. 11. Apr. 1894. ad 1^{um}.

184. Præter relatas conditiones requiritur etiam *gravis causa* ut dispensatio concedi tuto possit. »Episcopus dispensare valeat . . . *justis gravibusque accedentibus causis,*« inseri solet in indultis Episcopis a S. Sede concedi solitis. Quænam causa hac in re justa gravisque consideranda sit, optime videmus in »*Instructione de dispensationibus super impedimentis matrimonii impetrandis*«, quam clero suo *Wilhelmus* Episcopus *Hildesiensis* d. 14. Martii 1886. dedit (Hildesii, typis J. Kornacker) pag. 12—13.:

»Sequentes præcipue dispensandi causæ apud auctores enumerantur: a. verum et notabile bonum reipublicæ christianæ; b. si

*) In nostra *Bavaria* (Cisrhenana) juxta leges regni requiritur a Calendis Junii 1890 *pactum coram Notario publico*; si pactum ejusmodi deest, supplet lex promulgata in „Edicto Religionis“ (Appendix II. ad Instrumentum Constitutionis Regni) §. 14. statuens, ut deficiente legitimo parentum pacto filii sequantur religionem patris, filiæ econtra educentur in confessione matris. Quare Ordinarii Bavariæ clero sibi subjecto inculcabant, ut solum pactum coram Notario publico agnoscerent ordinarie cautionem opportunam; cfr. mandatum Ordinarii Ratisbonensis d. 16. Dec. 1893. (in Folio Ordinationum 1893. pag. 150.)

in aliqua regione catholici sint valde pauci et simul tuti et liberi ad fidem profitendam, *heterodoxi* autem *plurimi;* c. seria promissio ab hæretico in scriptis vel coram testibus facta amplectendi fidem catholicam; d. si matrimonium unicum sit remedium, ut liberi jam ex alio matrimonio mixto procreati in religione catholica educentur; e. si magna scandala (ex. gr. gravidatione, diffamatione oritura) evitari nequeant nisi per matrimonium mixtum; f. Allegetur, quæ damna spiritualia casu denegatæ dispensationis certe vel verosimiliter sint secutura.

Præterea causarum, quæ commoda *privata* magis respiciunt, etsi per se non sint sufficientes, tamen aliquam rationem habebimus.

Si ex priori matrimonio alterutrius vel utriusque sponsorum, præsertim quando mixtum fuit, *liberi* adsint, semper præter numerum et ætatem eorum allegetur etiam religio, in qua educati sunt, numque sponsi serio promittant, sese quoad poterunt curaturos, ut hi quoque liberi in catholica religione educentur.«

Hic quæri potest, utrum dispensatio super mixta religione data *absque causa* sit invalida?

Ex principiis de dispensatione legis erui potest: Si *Ordinarius* vel alius delegatus dispensat absque causa gravi super hoc impedimento, dispensatio talis non solum illicita, sed etiam invalida est. *Summus Pontifex* autem semper valide dispensat.

185. Etsi matrimonium mixtum positis cautelis celebrari permittitur, attamen non licet illud celebrare eodem modo eodemque ritu quo celebrantur matrimonia catholica, et merito; nam Ecclesia filios suos ab ineundis ejusmodi matrimoniis avertere et absterrere vult. Tria hic sunt explicanda: I. Actus matrimonia ordinarie præcedentes, concomitantes, subsequentes. II. Locus ubi celebrandum est matrimonium. III. Vestis sacerdotis.

Juxta jus *commune* ponendum est hoc ante oculos quasi axioma: *Parochus in assistendo matrimoniis mixtis passive se habere debet,* i. e. consensum contrahentium audiendo excipere tantum debet uti testis qualificatus ex c. 1. *De ref. matr.* et describere actum, tempus, locum contractus necnon nomina contrahentium et tertium in libro matrimonium, quin aliquid amplius dicat vel agat. Hoc præmisso convertimur ad singula. —

Ad I^{um}. 1^{0}. Actus matrimonium præcedentes: sponsalia, publicationes, examen sponsorum. *Sponsalia* post dispensationem fieri posse per se patet. *Examini* sponsorum *in omnibus* subjici debet

pars *catholica;* acatholica in iis quæ pertinent ad cognoscenda impedimenta dirimentia et prohibentia *subjicienda* est ex Rit. Rom. tit. 7. c. 1. n. 1., in ceteris vero comiter *invitanda.* — *Publicationes* (denuntiationes, banna) de jure communi nequeunt fieri ex epistola *Pii VI.* ad Archiep. *Mechlinien.* d. 13. Julii 1873. At nonnunquam ab ipsa Apostolica Sede expresse toleratur »ut a parocho catholico consuetæ proclamationes fiant, omni tamen prætermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi«, sic Instructio ad episcopos *Bavariæ* d. 12. Sept. 1834. quæ continet uberiorem expositionem Brevis *Gregorii XVI.* ad eosdem Episcopos d. 27. Maji 1832. *(Denzinger: Enchiridion* n. 1484.)

2°. Ritus concomitantes actum matrimonii ii sunt qui aut in Rituali Romano continentur aut in Ritualibus singularum diœcesium inveniuntur. In Rituali *Romano* hæc tantum exhibentur: Interrogationes de consensu, formula facultativa »Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris« etc., benedictio annuli. — *Interrogationes* in matrimoniis quoque mixtis fieri posse nemo est qui dubitet; nam ejusmodi interrogationes faciliorem tantum reddunt expressionem consensus.

Quoad formulam »Ego conjungo vos« etc. S. C. Inq. d. 26. Nov. 1835. respondit: »Parochus sese abstineat« in talibus matrimoniis. — A fortiori ceteræ cæremoniæ, uti annuli benedictio et speciales diœcesis ritus *jure communi* prohiberi facile concluditur excepta sola *concione,* quæ habenda committitur arbitrio Episcopi ex responso S. C. Inq. d. 16. Julii 1885. Verumtamen particulari jure S. Sedes excepta missæ celebratione omnes hasce cæremonias fieri tolerat vel potius committit indulgentiam hanc arbitrio ac conscientiæ Ordinariorum juxta Instructionem Cardinalis *Antonelli* quæ incipit *Etsi Sanctissimus* d. 15. Nov. 1858. Sapientissima sane hæc tolerantia est; nam ministelli hæreticorum maxime nostris temporibus ipsorum pseudo-solemnitatibus nedum hæreticos, sed et catholicos ad templa sua pertrahere nihil intentatum relinquunt. Id quod facilius assequentur si sacerdotes catholici mere *passive* se habent. Sed totis viribus etiam curandum est, ne populus catholicus hac tolerantia scandalum patiatur.

3°. Actus matrimonium subsequentes sunt: missæ celebratio et benedictio solemnis in ipsa missa. Instructio Cardinalis *Antonelli* d. 15. Nov. 1858. (A. S. S. VI. pag. 456—460.) expresse vetat »Missæ celebrationem«. Hac prohibitione Missam votivam

pro sponso et sponsa cum benedictione intra Missam comprehendi concedunt omnes. At num etiam omnis Missæ celebratio verbis Instructionis »exclusa tamen semper Missæ celebratione« excludatur, dubitant quidam. Porro S. C. Inq. d. 17. Jan. 1872. clare respondit: Hisce verbis »exclusa« etc. prohiberi et missam pro sponso et sponsa et quamlibet Missam, etiam privatam, »quando Missa celebretur cum omnibus expositis circumstantiis (sc. coram sponsis et comitibus post matrimonia, licet sponsis non detur distincta sedes), ita ut ea habeatur tamquam complementum cæremoniæ matrimonii.« *(Gasparri*: I. n. 463. in fine.)

186. II. Mixta matrimonia *extra Ecclesiam* sunt celebranda. Eadem posse in *sacristia* vel in *capella remota* (sine cereis accensis et sine ullo ornatu speciali) celebrari, concessit S. C. Inq. d. 17. Jan. 1877. ad 1^{um}. et 2^{um}. in *Nancejen* et *Tullen.* — Imo etiam celebrationem *in ecclesia* tolerat S. Sedes ex Instructione d. 15. Nov. 1858. Et de facto in nostris regionibus intra ecclesiam etiam mixta matrimonia contrahuntur; cfr. *Aichner* c. l. §. 183.

III. Quoad usum *vestis sacræ,* superpellicei sc. et stolæ, idem dicendum est quod in numero præcedenti: Episcopus potest indulgere, ut parochus assistat sacra veste indutus; cfr. eandem Instructionem necnon S. C. Inq. d. 17. Jan. 1877. ad 3^{um}. et 4^{um}.

187. In indultis Episcopis concedi solitis adjungitur clausula: »*Dummodo neque ante neque post matrimonium coram Parocho catholico initum — partes adeant ministrum acatholicum*« — et post aliqua verba interjecta sequitur: »*Prævia semper absolutione a censuris, et impositis pœnitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro acatholico*«.

Hisce formulæ indulti verbis inhærentes ponimus aliquod quæstiones:

I. Quomodo gerere se debeat parochus cum partibus adeuntibus vel adire volentibus ministrum acatholicum?

II. Utrum sic adeuntes semper incurrant censuras et quas? Multa nostris temporibus scripta sunt de secunda præsertim quæstione; nos hic non dubia afferemus, sed quæ clare sunt decisa a S. Sede. —

188. I. Quomodo se gerere debet parochus cum partibus adeuntibus vel adire volentibus ministrum acatholicum? Claritatis gratiâ inprimis distinguendum est inter adeuntes ministrum acatholicum *uti talem,* sive qua *sacris addictum* et uti *magistratum civilem*

coram quo sistere se debent conjuges ob finem mere politicum. Si minister acatholicus personam *mere civilem* agit, possunt partes non solum mixtæ religionis, sed etiam mere catholicæ adire eum uti magistratum civilem urgente aliqua causa, e. gr. lege Status; S. C. Inq. iterato, inprimis in Instructione ad Episcopos regni *Hannoveriani* d. 17. Febr. 1864 immediate citanda. —

»Verum enimvero quotiescunque minister hæreticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi Parochi munere fungens, non licet catholicæ parti una cum hæretica matrimonialem consensum coram tali ministello præstare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam cæremoniam complendam, et pars catholica ritui hæretico se consociaret; unde oriretur quædam *implicita hæresi adhæsio*, ac proinde illicita omnino haberetur cum hæreticis in divinis *communicatio*. Ea propter etsi perniciosa hæc consuetudo inoleverit, ita ut a Clero de facili corrigi non possit; nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane *Benedictus XIV.* (De *Syn.* l. 6. c. 7. n. 2.) aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro hæretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos.

Opportune itaque a Te instructi et commoniti Parochi ac Missionarii edoceant fideles, quæ publicis in Ecclesiis Catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem Ecclesiæ doctrinam et praxim, ita ut a mixtis contrahendis nuptiis quoad fieri possit salubriter avertantur; sin autem, abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram hæretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario *Trevirensi* sub fer. IV. d. 21. Aprilis 1847.

Sciant insuper Parochi, *si interrogentur a contrahentibus*, vel si *certe noverint* eos adituros ministrum hæreticum sacris addictum ad consensum matrimonialem præstandum, se silere non posse, sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et *de censuris in quas incurrunt*. Verumtamen ad gravia præcavenda mala, si in aliquo peculiari casu Parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum hæreticum et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum hæreticum, prævideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus prævideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque *peccatum materiale* in formalem culpam

vertendum; tunc *sileat,* remoto tamen scandalo, et dummodo aliæ ab Ecclesia requisitæ conditiones atque cautiones rite positæ sint, præsertim de libero religionis exercitio parti catholicæ concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam præstitus jam fuerit coram ministro hæretico, *idque publice notum sit,* vel ab ipsis sponsis parocho *notificetur;* parochus huic matrimonio non intererit nisi servatis uti supponitur ceteroquin servandis, pars catholica facti pœnitens, præviis salutaribus pœnitentiis, absolutionem a *contractis censuris* rite prius obtinuerit«. Sic nominata Instructio ad Episcopos *Hannoveranos* d. 17. Febr. 1864.

Breviter complectimur decretum hoc S. Officii, extollentes quæ sunt majoris momenti: 1. Adire hæreticum ministrum uti sacris addictum est *implicita hæresi adhæsio* et *communicatio* cum hæreticis *in divinis;* est omnimode *illicitum* et *sacrilegum.* 2. Parochorum et missionariorum est edocere fideles Ecclesiæ doctrinam et praxim, ut avertantur a mixtis matrimoniis vel saltem abhorreant ab adeundo ministro hæretico. 3. Si partes matrimonium coram parocho catholico ineunt postea hæreticum ministrum *adituræ,* parochus aliquando contrahentes *monere* debet, aliquando *silere.* Silere potest et etiam debet in his circumstantiis: a. quando non certe prævidet eos ministrum acatholicum aditurum; b. quando prævidet monitionem certo non profuturam; c. quando scandalum remotum et cautelæ sint positæ. Alias eos monere debet de peccato patrando et de censuris incurrendis. — 4. Post factum i. e. præstito consensu prius coram ministro hæretico, parochus quoties *hoc factum aut publice notum aut ipsi a sponsis notificatum sit,* non potest matrimonio interesse nisi postquam pars catholica positis ponendis absolutionem a censuris rite prius obtinuerit.

189. Non licet adire ministrum acatholicum uti sacris addictum in persona; at quid dicendum de parte catholica quæ non adit ministrum acatholicum per se, sed per *procuratorem* eumque e. gr. hæreticum?

Eadem quæstio proposita fuit ab Episcopo aliquo in partibus Mahometanis S. Congregationi de Prop. Fid. d. 3. Jan. 1897., sc. »Utrum liceat viro catholico, legitime uxorem mahumetanam ducenti, etiam coram *Cadi* per procuratorem matrimonium civile celebrare?« Responsum ad hanc quæstionem clare rem exponit hisce verbis: »Probe novit A. T. licitum esse ex necessitate legis civilis ministrum acatholicum adire, ad matrimonium dumtaxat *civile,* uti

vocant, contrahendum, dummodo hic uti minister politicus, non vero ut minister sacris addictus adsistat. In re vero præsenti, uti ex tua expositione videtur, non adest necessitas civilis legis, cum hæc pro validis habeat matrimonia legitime coram ministris cujuscumque religionis contracta: et insuper eo fine ministrum mahumetanum adire pars infidelis vult, ut matrimonium, ejusdem auctoritate religiosa interposita, validum consistat.

Rebus itaque sic extantibus, cum hoc per se peragere viro catholico vetitum sit, nec *per procuratorem* facere ipsi permittitur«. Invenimus hoc responsum in celebri periodico cui titulus »Monitore Ecclesiastico« vol. X. p. 1. pag. 53., sed absque dato responsi. Ceterum jam *Benedictus XIV.* in Const. *Inter omnigenas* d. 2. Febr. 1744. eandem dedit responsionem in §. 10.

190. Quid si e converso non catholici adeant ministrum acatholicum, sed hæretici sacerdotem catholicum? Sane Archiepiscopus *Neo-Aureliensis* Franciscus Janssen hanc quæstionem eidem S. C. de Prop. Fid. solvendam proposuit d. 27. Dec. 1894. his verbis: »Utrum liceat sacerdoti catholico tamquam ministrum civilem se habere in celebratione matrimoniorum Protestantium?« Cui quæstioni Em. Præfectus ejusdem S. C. M. Card. Ledochowski respondit: »Licitum esse; hoc enim in casu, sacerdos est tamquam *testis auctorizabilis;*« cfr. Monitore Ecclesiastico, vol. IX. p. 1. pag. 223. Cfr. responsum S. Officii d. 20. Dec. 1837. (A. S. S. vol 26. pag. 512.)

191. Pro dolor! Catholici in ineundis matrimoniis mixtis variis modis delinquere possunt et nonnunquam de facto delinquunt. Quando resipiscentes desiderant reconciliari cum Ecclesia, quatuor momenta sunt respicienda: I. Utrum vere facti pœnitentes sint; II. utrum matrimonium valide contraxerint annon; III. utrum liberos catholice educaverint necne; IV. utrum censuras incurrerint et quas. — Ad I^{um}. Judicare de dispositione etc. pertinet ad theologiam pastoralem. De II^{o}. sermo erit in tit. 3. hujus libri. III. Quoad educationem liberorum in catholica religione idem valet quod superius jam exponebatur i. e. omnibus viribus nitendum est ut omnes liberi, in quantum fieri potest, reducantur vel conserventur Ecclesiæ — attentis legislationibus singulorum Statuum.*)

Remanet ergo IV. quæstio circa censuras incurrendas.

*) Sic in nostra Bavaria pueri vel puellæ qui legitime i. e. secundum leges Regni (§§. 12. et 14. Edicti Religionis) catholicam communionem vel

192. Inprimis id studendum est, ut clare ostendamus cui reatui inflictæ sint censuræ de quibus in indultis Apostolicis sermo est. Quare interrogationes quæ causabant responsum S. Officii d. 29. Aug. 1888. et quæ claritati materiæ quam maxime consulunt in extenso ponimus. Interrogatum igitur fuit:

1) Utrum absolutio a censuris *omnibus* catholicis, qui coram ministro acatholico nuptias contraxerunt, *necessaria sit,* an potius in eo tantum casu impertienda sit, quo in hujusmodi celebrationem *ab Antistite* censuræ promulgatæ sint? —

Et quatenus negative ad primam partem, quæritur:

2) Utrum absolutio a censuris necessaria sit iis saltem, qui in ejusmodi nuptiis consenserunt *acatholicæ prolium educationi?*

3) Utrum hæc absolutio requiratur solummodo tanquam formalitas in exsecutione dispensationis stylo curiæ inducta, an etiam iis catholicis sit necessaria, qui post matrimonium coram acatholico ministro *valide* initum cum ecclesia reconciliari desiderant?

Hisce interrogationibus S. C. Inq. d. 29. Aug. 1888. reposuit: Ad primum: *Affirmative* ad I^{am}. partem, negative ad II^{am}. Ad secundum et tertium: Provisum in primo.

Explicatio: 1^{0}. Censuræ de quibus in Apostolicis Indultis, significant non eas quas fortasse *Ordinarius* pro diœcesanis tulit, sed censuras *juris communis* et quidem *latæ* sententiæ.

2^{0}. Absolutio hæc a censuris non est postulatum *styli Curiæ.* Jam alibi vidimus (sc. in tit. *De rescriptis* [I. 3] n. 6.) stylum Curiæ requirere, ut concessioni cujuscunque Bullæ vel Rescripti Pontificii, ergo etiam in re matrimoniali, præmittatur absolutio a censuris ad hunc tantum effectum assequendum. Absolutio a censuris in nostro casu non pertinet ad requisita styli Curiæ.

3^{0}. Censuræ de quibus est sermo, non sunt impositæ crimini educationis liberorum acatholicæ. Licet enim crimen hoc enormissimum facile majus sit quam crimen contractus matrimonialis coram ministro hæretico attentati, nihilominus censura crimini educationis hæreticæ, quantum scio, non est imposita. Imo S. Sedes etiam data occasione loquendi de censura ob id incurrenda, de censura pror-

---

„confirmationem" protestanticam receperint, secundum easdem leges in alterutra confessione remanere debent usque annum 21. completum (§. 6. ibid.) etiam contra voluntatem parentum. —

sus siluit; cfr. Instructionem Cardinalis Vicarii ex mandato S. P. *Leonis XIII.* ad parochos Romanos d. 12. Julii 1878.

4°. Remanet ergo crimen quod *patratur a catholicis adeundo ministrum acatholicum uti sacris addictum,* cui infligitur censura; quare »absolutio a censuris omnibus catholicis qui coram ministro acatholico nuptias contraxerunt, necessaria est.«

Nihil refert utrum matrimonium quod coram ministro acatholico contrahitur, validum sit necne interveniente aliquo impedimento dirimente, e. gr. clandestinitatis. Probatur ex brevi dicendis.

193. Quæstio cujus solutio statim se ingerit, est hæc: Quales sunt censuræ de quibus loquimur? Certe sunt latæ sententiæ; ergo necessario reperiemus illas inter censuras in Const. *Apostolicæ Sedis* contentas; etenim ceteræ censuræ latæ pro universa Ecclesia abolitæ sunt illâ Constitutione »*Ap. Sedis*«. Censuræ autem a *Tridentino* et paucæ ab anno 1869. usque nunc latæ materiam hanc non tangunt.

Jam ex verbis S. C. Inq. in Instructione ad Episcopos *Hannoveranos* d. 17. Febr. 1864. concluditur: has censuras pertinere ad censuras criminibus hæresis inflictas quæ exhibentur præcipue in n. 1. cl. I. Constitutionis »*Apostolicæ Sedis*«; nam loquitur dicta Instructio de *implicita hæresi adhæsione* et de *communicatione cum hæreticis in divinis.* Et ratione hæc argumentatio fulcitur: Si quis enim coram ministro acatholico sacris addicto sive sacram rem agente se sistit, signo externo fidem præstare præsumitur hæresi ideoque saltem implicite adhærere hæresi censetur.

Ne dicas: Catholica pars hæresi adhærere nequaquam intendit, sed cedit tantummodo alteri parti hæreticæ urgenti ob respectum humanum. Evidentius hoc fit in casu ubi utraque sincere promisit catholicam totius prolis educationem.

Respondetur: Actio quæ in se mala est, bona intentione (e. gr. ne irritetur altera pars), bona fieri nequit.

Atqui se sistendo et consensum matrimonialem declarando »hæreticum ministellum agnoscere tamquam Christi ministrum ritumque hæreticum approbare et profiteri« (*Benedictus* in *Syn.* l. 6. cp. 7. n. 2.) omnimode illicitum et sacrilegum est. Ergo bonâ intentione sanari nequit. Nonne cœnam protestanticam sumere, etiam ex solo respectu humano, adhærere hæresi est? Nonne »excommunicationem Summo Pontifici speciali modo reservatam incur-

runt qui etiam *sine animo* adhærendi hæresi, et ex solo respectu humano, sectis cujuscunque nominis hæreticorum nomen dant (ex Instructione Card. Vicarii ex mandato *Leonis XIII.* d. 12. Julii 1878. n. 1.)

In Const. *Apostolicæ Sedis* n. 1. cl. I. excommunicatione latæ sententiæ Summo Pontifici speciali modo reservata percelluntur: »Omnes a christiana fide apostatæ, et omnes ac singuli hæretici, quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet eorum defensores.« Quæritur quo sub nomine numerentur ii qui coram ministro acatholico sacris addicto matrimonium attentant? Suntne hæretici, an hæreticis credentes, an hæreticorum fautores? Receptores vel defensores eos esse nemo contendet. — Sunt auctores qui ejusmodi catholicos hæreticis adnumerant;*) plures tamen auctores eosdem fautoribus hæreticorum accensent.**) Nos autem inter *credentes hæreticis* habemus catholicos ejusmodi. Hæretici enim in jure canonico sunt qui aut hæresim excogitatam profitentur aut ad aliquam hæreticorum sectam pertinent, econtra credentes hæreticis iis vocantur qui verbo vel signo patefaciunt se fidem præstare hæreticis quin hæreticorum exsistant sectatores. Utrum animo hæresi adhæreat necne, hic nihil interest, saltem in foro externo.

Sententia exposita confirmatur: a) verbis Commentarii quem cl. Petrus *Avanzini,* fundator ephemeridis »Acta S. Sedis« notulis adjecit singulis censuris Const. *Apostolicæ Sedis* (in *Commentariis* ad dictam Constitutionem auctore Josepho *Pennachi,* Romæ 1883. tom. I. pag. 9. et 63.): »Credentes sunt illi qui adhæreant damnatis hæreticorum erroribus quamquam ad sectas hæreticorum formaliter non pertineant« etc. b) responso S. C. Inq. d. 22. Martii 1879. quo eadem S. C. declaravit eos qui matrimonium coram ministro hæretico ineunt, incurrere excommunicationem Rom. Pontifici speciali modo reservatam in Const. *Apostolicæ Sedis* n. 1. adjunctis verbis Card. *Petra* (in Const. 18. *Innocentii IV.* n. 41.): »Si ab eis (sc. hæreticis) juxta superstitiosos eorum ritus sacramenta reciperentur, hoc esset *credere eorum erroribus*«.

---

*) Cfr. *Schneider:* Fontes Jures Novissimi ad Const. „Apostolicæ Sedis“ n. 1. not. 1.

**) Cfr. *Kölner Pastoralblatt* 1895. pag. 233. ubi invenies quosdam.

De authenticitate hujus responsi conferatur *Gasparri:* c. l. I. n. 468. not. 1. necnon spectatam Ephemeridem periodicam. — Explicationem Cardinalis *Petra* S. Officium adoptavit, unde dicere possumus merito: S. C. Inq. numerare ejusmodi catholicos inter *credentes hæreticis.*

194. His explicatis alia quæstio exsurgit solvenda: sc. quamdiu exsistat hæc censura vel potius a quo tempore tangat catholicos coram ministro hæretico matrimonium attentantes?

Censura quæ incipit »Omnes a christiana fide apostatas« in novo quidem vigore valet a die 12. Oct. 1869. quo promulgata fuit Const. *Apostolicæ Sedis,* sed origo *materialis* ejus exsistentiæ coincidit cum origine ipsius Ecclesiæ *(Gal.* I. 8. et 9., 2. *Joh.* v. 10. etc.), *formaliter* autem hæc censura exsistit jam a diebus *Innocentii III.* qui in *Lateranensi IV.* eam pronuntiavit, c. 13. *De hæreticis* (V. 7.) §§. 1. et 5. — Hoc nulli dubio subjectum est; aliter autem res se habet quoad extensionem censuræ ad catholicos sic contrahentes. Operæ pretium est, ut hanc quæstionem duce historia accuratius inquiramus. Porro S. C. Inq. in responso d. 29. Nov. 1672. nihil omnino de censura loquitur; »si vero« (minister hæreticus), ait, »assistat ut minister sacris addictus, non licere (eum adire) et tunc contrahentes *peccare mortaliter et esse monendos«. Benedictus XIV.* qui citat hanc responsionem, idem statuit in *Syn. diœc.* l. 6. cp. 7. n. 2. et in Const. *Inter omnigenas* d. 2. Febr. 1744. §. 10.

Imo S. Officium d. 25. Apr. 1770 — teste *Gasparri:* c. l. n. 468. — declaravit: »virum et mulierem catholicam contrahentes coram ministris acatholicis matrimonium *non incidere* in censuras, sed in his casibus missionarium se gerere debere juxta decretum d. 29. Nov. 1764.« Ex contextu jam videtur hanc resolutionem respicere casum particularem, non esse decretum generale; quare verba licet sint satis generalia, non multum probant; nam poterat S. C. Inq. loqui de casu ubi vir et mulier catholica contrahunt coram ministris hæreticis uti *magistratibus civilibus* matrimonium, et exinde non incidunt in censuras; cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 6. c. 7. n. 2. ita disserentem: »Verum, cum *plerumque* res aliter se habeat, illeque (sc. minister acatholicus) Catholicorum matrimoniis solum assistat, tamquam minister mere *politicus,* neque virtute verborum, quibus conjugibus *bene apprecatur,* ullam credat sanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum esse, nostri

temporis hæretici communiter inficiantur« etc. — Hac explicatione non obstante facile concedimus ampliorem quoque posse tribui interpretationem illi responso ita ut etiam contrahentes coram ministris acatholicis *sacris addictis* immunes declarati fuerint a censura. Nihilominus cum certitudine nihil concludi potest.

In nostro sæculo a Sede Apostolica multæ prodierunt Instructiones super matrimoniis mixtis, sic Breve *Pii VII.* ad Archiepiscopum *Carolum de Dalberg* d. 8. Oct. 1803.; item ejusdem Pontificis Breve ad Episcopos *Galliarum* d. 17. Febr. 1809.; *Pii VIII.* Breve d. 25. Mart. 1830. ad episcopos *Rhenanos; Gregorii XVI.* Breve ad episcopos *Bavariæ* d. 27. Maji 1832. cum annexa Instructione d. 12. Sept. 1834. *(Denzinger: Enchiridion* nn. 1462—1484.) In omnibus S. Sedis actis nihil continetur de nostra censura. Verum in Instructione ultimo loco citata hæc ad verbum continetur monitio: »Si mixtum matrimonium . . . interverti nullo modo possit; tunc sane ad majora damna et scandala præcavenda abstinendum erit a catholico conjuge *censuris* in illum *nominatim* expressis corrigendo.« Fortasse quidam contra censuram argumenta sumpserit,*) immerito putamus; nam 1°. loquitur Instructio nequaquam de assistentia ministri hæretici, sed de præcavendis aliis malis; 2°. loquitur de censura *ab Ordinario nominatim* infligenda, non de censura latæ sententiæ.

Nunc venimus ad Pontificatus *Pii IX.* et *Leonis XIII.* Die 15. Nov. 1858. prodiit Instructio Cardinalis *Antonelli,* de qua jam supra erat sermo. Post publicationem hujus Instructionis Episcopis indulta ad triennium sunt concessa in quibus clausulam »prævia absolutione a censuris quando matrimonium contractum fuerit coram ministro hæretico« non deesse rescriptum d. 21. Sept. 1859. primum ad Episcopum *Ratisbonensem***) missum præbet exemplum. — Anno 1864. celebris Instructio data est ad Episcopos regni Hannoverani, de qua supra in extenso.

Juxta hanc Instructionem »monere debet parochus sponsos adituros ministrum hæreticum sacris addictum de gravissimo peccato quod patrant et *de censuris in quas incurrunt.*« Et quando jam contraxerunt idque aut publice notum sit aut parocho notifi-

*) Cfr. *Kölner Pastoralblatt* 1895. pag. 231.

**) Scilicet ad Rvdmum *Ignatium de Senestrey* adhuc feliciter gubernantem hanc Ecclesiam.

cetur, pars catholica debet obtinere *absolutionem a contractis censuris,* antequam parochus assistat matrimonio. —

In rescripto (diœcesis *Ratisbonensis)* annis 1873., 1876., 1879. dato deest illa clausula. Rationem hujus omissionis fortasse nobis præbet cl. *Gasparri:* c. l. n. 468. pag. 313. his verbis: »Eadem S. C. S. Officii *mense Decembri 1873* ad examen revocavit quæstionem, an in formula rescriptorum pro dispensatione ab impedimento mixtæ religionis omittenda vel conservanda esset absolutio a censuris, quoties agitur de matrimonio jam contracto coram ministro acatholico uti sacris addicto, et reposuit interim esse conservandam,*) donec hic articulus resolutus fuerit. Sed deinde hic articulus resolutus fuit in sensu exsistentiæ censuræ«; nam d. *22. Martii 1879.* eadem S. C. declaravit eos qui taliter matrimonium ineunt, incurrere excommunicationem R. P. speciali modo reservatam in Const. *Apostolicæ Sedis n. 1.* latam in apostatas, hæreticos, eisque credentes, eorumque receptatores, fautores, defensores«. Sic cl. *Gasparri.* At articulus jam antea *Pio IX.* adhuc Summo Pontifice resolutus fuisse videtur; nam »Acta S. Sedis« (A. S. S.) in vol. 26. pag. 382. publicarunt literas S. Officii d. *23. Aug. 1877.* quæ requirunt absolutionem a censuris incursis una cum pœnitentiis salutaribus, casu quo catholici contraxerint coram ministro hæretico, a) non solum pro matrimonio coram ministro hæretico *invalide* inito revalidando, sed etiam b) pro admissione ad sacramenta Ecclesiæ in casu quo matrimonium coram ministro hæretico contractum validum (per accidens) erat.

Tandem sub S. P. *Leone XIII.* a d. 20. Febr. 1878. gloriose regnante multæ prodierunt S. C. Inq. resolutiones: sc. duæ d. 27. Martii 1878. *(Nouvelle Revue Théologique,* 1890. pag. 141.), una d. 22. Martii 1879. de qua supra, item d. 29. Aug. 1888. quam dedimus in extenso, una d. 10. Febr. 1892. (A. S. S. vol. 29. pag. 641. ad 2^{um}.), denique d. 12. Maji 1892.

Hæc autem resolutiones S. Officii ex mente *Leonis XIII.* profluisse patefaciunt nonnulla alia hujus Pontificis acta: Instructio Cardinalis Vicarii ex mandato Papæ d. 12. Julii 1878. publicata. Literæ ad eundem Cardinalem *Monaco La Valetta* datæ d. 26. Junii

*) Posito clausulam in dispensationibus fuisse conservatam in indultis tamen ad Episcopos datis sublata fuit, uti exempla Ratisbonensia probant.

1878., et d. 25. Martii 1879., item Literæ Apostolicæ quæ incipiunt »*Militans*« d. 12. Martii 1881. — Jam a. 1882. in rescripto indulti (dispensandi super matr. mixtis) ad Episcopum *Ratisbonensem* dato redit clausula »Prævia semper« etc. — Restat ut omnes S. Sedis hac super re publicationes reassumamus in resolutione S. C. Inq. d. 12. (18.) Maji 1892. S. Congregratio igitur respondit: »*Qui matrimonium coram ministro hæretico ineunt, censuram contrahere;* — Ordinarios autem vi facultatum quinquennalium nedum posse eos absolvere, sed etiam alios subdelegare ad eosdem absolvendos. — Qui vero hucusque nulla prævia a censuris absolutione ab hujusmodi culpa absoluti sunt, juxta exposita non esse inquietandos.« — Paucis propositionibus complectimur totam rem: 1. Semper peccatum grave reputabatur adire ministrum hæreticorum sacris addictum matrimonii ineundi causa, S. C. Inq. d. 29. Nov. 1672. in causa *Hiberniæ* (A. S. S. XXVI. pag. 511.) et in *Saxoniæ* d. 29. Jan. 1817. (A. S. S. XXVII. p. 455.); peccatum hoc grave consistit in communicatione cum hæreticis in sacris necnon in externa professione falsi dogmatis; nam hoc adire hæreticum ministrum est »agnoscere eum tamquam legitimum Christi ministrum ritumque hæreticum approbare et profiteri« *(Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 6. c. 7. n. 2.). Quod si hoc agnoscere, approbare, profiteri provenit ex *interno consensu,* nemo dubitat quin huic crimini annexa sit excommunicatio. Quando autem actio externa non profluit ex animo, dubitandi esse locum non negamus. — Non loquimur modo de foro externo, sed tantum de foro *interno.* Potest quis adire ministrum hæreticum sine ulla culpa (casus accidere posse: quis neget!) ex *ignorantia;* potest quis adire ministrum hæreticum sibi *conscius* se quidem patrare rem graviter illicitam eo quod simulat falsam fidem, at animo minime adhæret hæresi. In priore casu ille nequit incidere in censuram; in altero autem incidit in censuram ob simulatam falsam fidem vel ob externam hæresis professionem. Probatur hoc secundum non solum ex auctoribus, e. gr. Cardinali *Petra, Pennacchi,* sed præcipue ex Instructione S. C. Inq. d. 12. Julii 1879. sæpe citata. In n. 1. enim legitur: 1) »Excommunicationem« etc. (sc. n. I. in cl. I.) incurrunt, qui *etiam sine animo* adhærendi hæresi, et ex solo respectu humano, sectis cujuscunque nominis hæreticorum nomen dant.« Nonne ex his verbis evidenter apparet etiam simulationem falsi dogmatis cadere sub censura I. cl. I. Constitutionis »*Apostolicæ Sedis*«?

2) Jam ex visceribus rei probabamus eos qui matrimonium ineunt coram ministro hæretico sacris addicto etiam sine animo adhærendi hæresi censuram incurrere.

Si *momentum* inquiras quando pronuntiatum sit: sub censura »Omnes a christiana fide« etc. cadere etiam ejusmodi catholicos, asserimus certe requiri absolutionem (in indultis etc.) ab anno 1859. Clarius innuitur necessitas hujus absolutionis in Instructione anni 1864. Denique Literæ S. Officii d. *23. Aug. 1877.* hanc absolutionem requirunt in casu et validi et invalidi matrimonii; cfr. A. S. S. vol. 26. pag. 382—383. — Immerito provocant nonnullæ ephemerides periodicæ, præsertim in Germania, ad responsum S. Officii d. 29. Aug. 1888. tamquam ad decretum quo creatur novum jus vel saltem ad decretum quod Const. *Apostolicæ Sedis* n. I. authentice interpretatur.*) Verum est, in Germania et sine dubio etiam in aliis regionibus extensionem excommunicationis »Omnes a christiana« etc. ad nostrum casum aliquid novum fuisse non obstante Instructione S. C. Inq. anni 1864., ad Episcopos Hannoveranos (ergo Germaniæ) directa. Ideo factum est, ut hæc censura novis etiam interpretationibus subjiceretur.**)

195. Quæritur *quomodo reconciliandi sint catholici qui coram ministro hæretico uti tali matrimonium contraxerunt?*

Antea i. e. ante exortam de censura quæstionem, ejusmodi tractandi erant quando factum erat publicum, *uti publici peccatores* et regulæ in hac re præscriptæ observandæ erant. — Nunc i. e. postquam S. C. Inquisitionis excommunicationem primam Const. *Ap. Sed.* authentice interpretata est ita ut vox »credentes hæreticis« comprehenderet etiam tales catholicos, exsurgit quæstio, utrum hæc censura semper sit urgenda in foro *externo*. — 1°. Certum est requiri absolutionem in foro externo semper quando agitur de matrimonio sic contracto revalidando, quia hic agitur etiam de implendo requisito styli Curiæ; hinc clausula in indultis »Prævia semper absolutione« etc.

*) Cfr. Pastoralblatt für die Erzdiœcese Köln. 1895. pag. 230. et sqq. Econtra Folium periodicum „Nouvelle Revue Théologique" jam 1883. et 1887. bene elucubravit hanc quæstionem.

**) Instructio Episcopi *Hildesiensis* (unius ex Hannoveranis) alioquin egregia, ad locum, de quo quæritur, sc. „nisi . . . absolutionem rite prius obtenuerit a censuris", adjicit restrictionem: 'si quas *forsan* incurrerit.' pag. 14.

2°. Si matrimonium contractum validum censeri debet, censura hæc non differt a ceteris censuris latæ sententiæ; nam S. Sedes *nunquam* differentiam ab his statuit vel pronuntiavit. Regulæ quas tradunt DD. quoad incurrendas censuras, etiam in nostra censura valent. — In foro *interno* excusat ignorantia censuræ. Itaque S. Officium d. 11. (12.) Maji 1892. tranquillos reddebat Episcopos Borussiæ respondendo: »Qui hucusque nulla prævia a censuris absolutione ab hujusmodi culpa absoluti sunt, *juxta exposita* non esse inquietandos.« Nam Archiepiscopus *Coloniensis* nomine omnium *Borussiæ* Episcoporum exposuerat: censura in ejusmodi catholicos invincibiliter ignorabatur et ideo juxta veterum Diœcesium Borussiæ usum reconciliabantur tantum respectu peccati, non censuræ. — Quoad forum externum valent verba *Benedicti XIV.* in *Syn. diœc.* l. 10. c. 1. n. 5.: »Pro foro *externo* requiritur sententia *declaratoria* criminis; nam in foro *externo* nemo est reputandus *censura innodatus* nisi legitime probetur reus criminis, cui est censura jure ipso alligata.« Nihilominus statuto diœcesano declarari posse non improbamus: Quotiescunque factum matrimonii sic contracti publicum fit, taliter contrahentes in foro externo reconciliandi sunt etiam *quoad censuram.*

196. Solvendæ remanent quæstiones quæ sunt dignæ nostra attentione. I. *Potestne Summus Pontifex dispensare super impedimento mixtæ religionis, in quantum est juris divini?* Jus divinum requirit: a) ut absit periculum perversionis in parte catholica; b) ut educetur *universa* proles in religione catholica; c) ut pars catholica consulat pro viribus saluti alterius partis acatholicæ. — Certum est S. Sedem nunquam dispensasse et semper requirere ejusmodi cautiones: sic e. gr. in rescripto d. 18. (20.) Martii 1891. statuit: »Cautiones etiam in *articulo mortis* esse exigendas.« — Deinde Cardinalis Secretarius Status *Rampolla* in literis ad Cardinalem Primatem Hungariæ d. 26. Sept. 1890. expresse declaravit: »De implendis iis conditionibus cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum ipsa naturali ac divina lege fundentur.« Remittere sane has cautiones nihil aliud significat nisi mortem sibi ipsi inferre; cfr. Breve *Gregorii XVI.* ad episcopos *Bavariæ* d. 27. Maji 1832. (apud *Denzinger*: *Enchiridion* nn. 1479. et 1471.)

197. Connexa præcedenti quæstioni est II^{a}.: sc. *Utrum parochus nunquam assistere possit matrimonio mixto ubi desunt cautiones jure naturali requisitæ?*

Ad facilius dijudicandam quæstionem præmittimus: 1°. parochum non esse ministrum sacramenti matrimonii, sed ipsos contrahentes; 2°. parochum posse assistere aut ut *testem* qualificatum tantum (assistentia passiva) aut etiam ut dispensatorem benedictionum quarundam necnon ministrum alicujus ritus (assistentia activa). —

Hisce præmissis respondemus generaliter: Parochus potest mere passive assistere matrimonio mixto absque cautelis tunc quando ex absentia parochi sequerentur majora mala. — Quid sit mere passive assistere, jam supra vidimus. Explicanda sunt tantum verba »majora mala«. Audiamus hac de re Cardinalem *Bernetti* qui nomine *Gregorii XVI.* totam rem explicavit Archiepiscopis et Episcopis Bavariæ d. 12. Sept. 1834.: »S. D. N. Gregorius XVI. significandum præcepit, literas d. 27. Maji 1832. non ita esse intelligendas, quasi nempe eam omnino excludant tolerantiæ rationem prudentiæque œconomiam, qua Apostolica Sedes ea *mala* patienter dissimulare consuevit, quæ vel *impediri* prorsus nequeunt, vel si impediantur, *gravioribus* etiam *incommodis* facile aditum possent patefacere. Siquidem igitur ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim absque majoris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti nullo modo possit: tunc sane ad majora damna et scandala præcavenda abstinendum erit a catholico conjuge censuris in illum nominatim expressis corrigendo, imo vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetæ *proclamationes* fiant, omni tamen prætermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi; tum etiam de factis proclamationibus literæ mere *testimoniales* concedantur, in quibus, si nullum adsit dirimens impedimentum, unice enuntietur, »nil præter vetitum Ecclesiæ ob impedimentum mixtæ religionis matrimonio conciliando obstare«, nullo addito verbo, ex quo consensus seu approbationis vel levis suspicio sit oritura. Quodsi in Ecclesiæ utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujuscemodi nuptias quantumlibet illicitas et vetitas, coram parocho catholico potius quam coram ministro hæretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari, tunc ipse parochus catholicus, aliusve sacerdos ejus vices agens poterit iisdem nuptiis *materiali tantum præsentia, omni excluso ecclesiastico ritu, adesse*, perinde ac si partes ageret meri testis vulgo qualificati, seu auctorizabilis, ita scilicet, ut utrius-

que conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

Majora mala verificantur: a) si lege *civili* parochi *cogantur* ad assistendum ejusmodi matrimoniis; cfr. *Gasparri:* c. l. n. 447.*) — Nostris tamen temporibus vix vel ne vix quidem coactio civilis adest, cum matr. »civile« in omnibus fere civitatibus sit introducta; b) Si assistentiâ hac mere passivâ præpeditur assistentia ministri acatholici et hoc cedit in Ecclesiæ utilitatem communeque bonum; e. gr. si intercedente aliquo impedimento educationis prolis in catholica fide prudenter speratur hæc educatio. Ceterum judicare de verificatione hujus casus, pertinet ad Ordinarium, qui itaque consulendus est.

198. Non absque utilitate erit hic inserere formulam indultorum Episcopis concedi solitorum.

Beatissime Pater, Episcopus Diœcesis N. ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humiliter implorat renovationem facultatis dispensandi super impedimento mixtæ religionis ad triennium prout alia vice concessa fuit.

Feria IV. die 30. Dec. 1896.

Sanctissimus D. N. D. *Leo* divina providentia PP. XIII. per facultates R. P. D. Assessori S. O. impertitas benigne indulsit ut R. P. D. Episcopus N. facta etiam potestate subdelegandi si opus sit, dispensare valeat ~~intra fines Suæ Diœcesis~~ justis gravibusque accedentibus causis super impedimento mixtæ religionis, dummodo cautum omnino sit *conditionibus* ab Ecclesia *præscriptis,* ac præsertim de amovendo a catholico conjuge perversionis periculo, de conversione conjugis acatholici ab illo pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicæ religionis sanctitate omnino educanda, et dummodo neque ante neque post matrimonium coram Parocho catholico initum, partes adeant ministrum acatholicum. Quod si præcesserit commercium carnale, si fieri poterit sine gravi damno, sponsi separentur aliquo tempore Episcopi prudenti arbitrio, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, *prævia semper absolutione a censuris,* et impositis pœnitentiis salutaribus si matrimonium contractum fuerit *coram ministro acatholico.* Hanc

*) Sic deputati („Cameræ" secundæ) in regno *Bavarico* anno 1830. sequestrationem temporalium (redituum) decreverunt pro parochis recusantibus; at rex *(Ludovicus I.)* hoc decretum cassavit.

autem facultatem decrevit S. S. valituram ad *triennium* facta simul in singulis dispensationibus concedendis expressa Apostolicæ delegationis mentione, et elapso triennio R. P. D. Episcopus referat *quot hujusmodi dispensationes* concesserit. In reliquis stet Instructioni alias datæ. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

L. S. J. Can. *Mancini* S. R. et U. J. Not.

199. Differt hoc indultum a prioribus præcipue in duobus: 1. Clausula apponi solita »Exceptis Italis, de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse« non est apposita. Decretum S. Officii d. 30. Aug. 1865. hanc restrictionem denuo inculcaverat; at teste *Gasparri* c. l. n. 469. d. 4. Maji 1887. S. C. Inq. ad dubium: »Utrum conservanda sit necne in formula indultorum pro matrimoniis mixtis clausula: *Exceptis Italis* etc.« reposuit: (clausulam) »*esse demendam*«; quam responsionem S. P. eadem die approbavit.

2ª. differentia in eo consistit quod verba *intra fines Suæ Diœceseos* sunt cancellata. Antea necessarium erat ut diœcesani in diœcesi actu exsisterent quando dispensationem recipiebant (S. C. Inq. d. 22. Nov. 1865. ad 1^{um}. et 4^{um}.), sed nunc vi indulti allegati Episcopus proprios subditos dispensare potest non solum quando oratores sunt in propria diœcesi, sed etiam quando versantur extra diœcesim. — Item deest clausula »*Nec aliud obstet canonicum impedimentum*«. Quare si Episcopus pollet facultate *cumulandi* i. e. dispensandi super concurrentibus impedimentis, ex indulto allegato saltem non impeditur quominus dispenset etiam super impedimento mixtæ religionis concurrente cum alio.

200. Non solum ante, sed etiam post contractum matrimonium mixtum exsurgunt quæstiones difficiles. Constat divortium non excludi neque jure matrimoniali civili neque hæreticorum. Quare non raro casus emergunt in quibus de declaranda nullitate matrimoniorum mixtæ religionis civiliter tantum initorum agitur, casus sane gravissimorum incommodorum. — Ut claritati et expeditiori hæc negotia tractandi methodo consuleret, Archiepiscopus *Colonien.* a S. C. Inq. poposcit:

I. Quis sit Ordinarius coram quo processus hujusmodi instituendus sit?

II. Qua summaria ratione idem processus instrui valeat præter normas in benedictina constitutione præstitutas?

Re diligenter discussa S. C. Inq. d. 30. Junii 1892. respondendum censuit: Ad I.: *Conjuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt episcopo, in cujus diœcesi* pars catholica *domicilium habet; et quando ambo sunt catholici, quia pars hæretica in Ecclesiæ sinum reversa est, subsunt episcopo, in cujus diœcesi domicilium habet* maritus.

Ad II.: *Supplicandum Sño pro gratia, ad quinquennium, dummodo nunquam deficiat* matrimonii defensor *qui munere suo fungatur ad tramites juris, et extrajudicialibus saltem actis atque omni alio quo fieri poterit modo suppleatur, ita ut nunquam desint* claræ concludentesque probationes.

Tibi vero ac suffraganeis tuis per Te significandum mandarunt Emi Patres, ne cessetis deterrere fideles a promiscuis connubiis civiliter ineundis uti graviter illicitis; ut doceatis simul opportune, gravius etiam illicita esse illa, quæ coram acatholico ministro contrahuntur: et præsumptionem stare non pro nullitate, imo vero pro validitate utrorumque matrimoniorum, et in casibus difficilioribus recurrendum ad S. Sedem.

Appendicis loco sequitur:

Instructio Secretariæ Status ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia.

1. Etsi Sanctissimus Dominus Noster *Pius IX.*, Pontifex Maximus, gravissimis causis impulsus, aliquid immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quæ ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti amplitudo tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de universi Dominici gregis salute sibi divinitus commissa vel maxime sollicitus, pro Apostolici ministerii sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicæ Ecclesiæ de hisce conjugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de hujusmodi, Catholicos inter et Acatholicos, nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum

ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriæ *Benedictus XIV.* loquitur in suis Encyclicis litteris ad *Poloniæ* Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere quod *'De Synodo Diœcesana'* inscribitur.

2. Hinc porro evenit, ut hæc Apostolica Sedes, ad quam *unice spectat potestas dispensandi* super hujusmodi mixtæ religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta hæc conjugia quandoque permiserit, id *gravibus* dumtaxat de *causis,* ægre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de præmittendis necessariis opportunisque *cautionibus,* ut scilicet non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicæ Religionis educari omnino deberet. Quæ quidem *cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt,* cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et hæc Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt.

3. 'Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus, præter enunciatas cautiones, quæ præmitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectæ quoque fuere conditiones, ut hæc mixta conjugia *extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant.* Quæ quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi matrimonia mixta detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis, in eorum et futuræ prolis perniciem contrahendis.

'Jam vero quod attinet ad prædictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsæ in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatæ

in aliis vero permultis Rescriptis implicite continerentur; idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas hæc Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtæ religionis impedimento concedere solet.

4. 'Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis temporumque ratione habita, et iis consideratis, quæ a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendum esse formula illius rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarentur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur et excitat, eisque mandat, cum ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis.

5. 'Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri non posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi salvis, firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicæ religionis omnino educanda, judicent quando commemoratæ conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Diœcesano Rituali legitime præscriptum, *exclusa* tamen *semper Missæ celebratione,* ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum

Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiæ omnino commissam, majori, quo fieri potest silentio, ac secreto servent. Cum vero contingere possit ut iidem Antistites nondum fuerint exsequuti illa similium dispensationum rescripta, quæ ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse jussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere, in commemoratis exsequendis rescriptis.

6. 'Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes sacrorum Antistites, ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere eosque accurate edocere Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, legesque ad eadem conjugia pertinentes; atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos sacrorum Antistites præ oculis semper habituros Literas et Instructiones, quæ a suis felicis recordationis Prædecessoribus, ac præsertim a *Pio VI.* (Epist. ad Archiep. *Mechliniensem* Episcoposque *Belgii 'Exsequendo nunc'* d. 13. Junii. 1782,) *Pio VII.* (Epist. ad Archiep. *Moguntinum 'Etsi fraternitatis tuæ'* d. 8. Octob. 1803); *Pio VIII.* (Epist. ad Archiep. *Coloniensem* et Episcopos *Trevirensem, Monasteriensem* et *Paderbornensem 'Literis altero abhinc anno'* d. 25. Martii 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episcopos d. 27. Martii 1830); et *Gregorio XVI.* (Epist. ad Archiep. et Episc. *Bavariæ 'Summo igitur studio'* d. 27. Maji 1832. Instructio ad eosdem d. 12. Septembris 1834. Epist. ad Archiepiscopum et Episcopos *Hungariæ ,Quas vestro'* d. 30. April. 1841. Instructio ad Archiep. et Episcopos *Austriacæ Ditionis* in fœderatis *Germaniæ* partibus d. 22. Maji 1841) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptæ fuerunt.

Hæc Amplitudini Tuæ erant significanda jussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri *Pii* Papæ *IX.*, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicæ Ecclesiæ doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur atque servetur.

Datum Romæ die 15. Nov. 1858.

J. Card. Antonelli.

Titulus II.

De desponsatione impuberum.

1. Impuberes in jure dicuntur qui nondum in ætate constituti sunt in qua præsumuntur habere potentiam ad prolis generationem. Aetas autem hæc pro *masculis* est annus *14.* completus, pro *fœminis* vero annus *12.* pariter completus.

Præsens titulus complectitur tum sponsalia, tum matrimonia impuberum. Primo loco agemus:

De sponsalibus impuberum.

2. *Quænam ætas requiritur ad contrahenda sponsalia de futuro?* Sponsalia possunt contrahi post completum septennium. Quia ad ea contrahenda requiritur sufficiens usus rationis, qui non præsumitur haberi ante septennium. Cf. cc. 4., 5. et 13. h. t.

3. Hinc *parentes* possunt utique pro filiis ante septennium sponsalia contrahere, sed ut ea juridicum valorem habeant, necessaria est ratihabitio filiorum, quam præstare possunt, cum usum rationis adepti sunt, cap. un. h. t. (IV. 2) in 6°. Filii hanc ratihabitionem præstare tenentur ex debito honestatis et reverentiæ erga parentes non autem absolute; et per consequens nisi præstiterint, sponsalia non sustinentur. Ita explicandum est c. 1. h. t. juxta gloss. in eodem c. v. »debet«.

4. Quod si vero *malitia suppleat ætatem,* idest si sufficiens prudentia et rationis usus de facto in aliquo puero vel puella reperiatur ante septennium, docent Juristæ contracta sponsalia ante septennium sustineri. Nam substantiale requisitum ad contrahenda sponsalia est, ut contrahens intelligat quid agat et cognoscat vinculum obligationis, quod suscipere vult.

5. Proprium vero est sponsalium impuberum 1°. ut *ante ætatem pubertatis* solvi non possint etiam ex mutuo dissensu c. 7. h. t. Jus ita disposuit ut obviaret inconstantiæ et temeritati illius ætatis et impediret quominus plura sponsalia contraherent, pluresque foverent amores.

6. 2°. Proprium est ut *completa pubertate,* non solum possint dissolvi ex mutuo dissensu, sed etiam *alteruter* possit libere resilire, licet altera pars sit invita.

In istis siquidem sponsalibus unaquæque pars contrahens præsumitur contractui adjicere implicitam hanc conditionem: nisi adepta pubertate a data fide resiliero, cc. 10. et 11. h. t.

Notandum est necesse non esse ut utraque pars ad pubertatem advenerit, sed qui prior pubertatem adeptus est, potest illico a sponsalibus resilire, *nec tenetur exspectare* donec altera pars fiat pubes cit. c. 7. h. t. §. »si vero«.

7. Hoc vero privilegium conceditur impuberi non solum quando cum impubere contraxit sponsalia, sed etiam quando contraxit cum *pubere,* quo in casu pubes contrahit obligationem perpetuam, ita ut altera parte invita, non possit datam fidem frangere; impubes vero debet resilire a sponsalibus statim ac pubertatis annos attigerit.

8. Quodsi impuberes, puberes facti, rata habeant sponsalia, non amplius possunt ab iisdem resilire; nam evadunt sponsalia puberum, quæ *perpetuam* gignunt obligationem. Animadvertunt autem doctores, non requiri positivam ratihabitionem, sed sufficere solum *silentium* seu taciturnitatem. Nam pubertate adveniente, non contrahuntur nova sponsalia, et per consequens non requiritur novus consensus positive emissus, sed continuant vigere eadem sponsalia, quæ valide fuerant contracta in impubertate. Pressius, pubertate adveniente, conceditur privilegium resiliendi ab obligatione valide suscepta. Igitur qui tacet nec declarat se velle uti privilegio quod habet, censetur eidem renunciare voluisse.

De matrimonio impuberum.

9. Quæritur *quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum.*

Matrimonium in *jure Romano* consideratum est velut actus solemnis et publicus; hinc in contrahentibus leges Romanæ requirunt pubertatem. Potior etiam assistebat ratio ut pubertas requireretur, quia nempe in matrimonio traditur jus mutuum in corpus in ordine ad generationem prolis, quod nondum ab impuberibus actu possidetur. Juri civili adhæsit *jus canonicum* et statuit ut ad matrimonium contrahendum requiratur *pubertas.* Jam vero pubertas a Legibus Romanis e. gr. l. 8. C. *Quando tutores.* æstimata est juxta generalem experientiam, qua cognitum est mulieres pubescere anno 12°. et viros anno 14°. Quare ad contrahendum

matrimonium pro viris requisitus est annus *14*^{mus} completus, pro mulieribus autem annus *12*^{mus} pariter completus.

Hanc dispositionem Juris civilis suam fecit legislatio Ecclesiastica, prout constitutum est in cc. 10. et ult. h. t.

10. Verum jus nostrum in c. 3. h. t., posse quidem verificari pubertatem vel ante ætatem superius adsignatam vel etiam longe post eamdem ætatem dicit. Quare animadvertit *Isidorus* in eodem c. 3. pubertatem juxta rei veritatem æstimandam esse ex potentia generandi. Ex qua animadversione factum est ut Jus Ecclesiasticum admitteret utique dispositionem juris Romani, circa ætatem habilem ad matrimonium contrahendum, tanquam regulam generalem, sed respexit etiam ad *casus particulares*, in quibus potentia procreandi prolem, verificatur ante ætatem designatam. Hinc jus canonicum in c. 9. h. t. generalis regulæ exceptionem posuit *nisi malitia suppleat ætatem;* idest nisi quis ante pubertatem, non solum intelligat quod agit, sed etiam ex habitu corporis pubertatem ostendat; et generare jam possit. Igitur in jure canonico inductum est impedimentum dirimens, quod venit nomine ætatis, per quod cautum est, nullum esse matrimonium si contrahatur ante annos completos pubertatis nisi in casu aliquo particulari malitia suppleat ætatem.

11. Quæritur *ex quo jure procedat hoc impedimentum ætatis.* Distinguendum est inter maturitatem *animi* et *corporis* et *ætatis.* Si *deest maturitas animi* i. e. usus rationis, licet adsit pubertas corporis et ætas legitima (14 vel 12 annorum), matrimonium valide contrahi nequit. Nam jus naturale requirit ut contrahentes intelligant quid agant.

12. Si *deest pubertas corporis,* adest autem maturitas animi et temporis, nullum adest impedimentum neque divini neque ecclesiastici juris. Nam solam impotentiam antecedentem *perpetuam* constituere impedimentum dirimens matrimonii de jure naturali videbimus in tit. 15. h. l.

13. Si *deest pubertas corporis et ætas legitima,* licet adsit maturitas animi, impedimentum juris *ecclesiastici* proprie dictum *ætatis* adest, c. 2. h. t. — Ex quo sequitur: in hoc impedimento dispensare posse Summum Pontificem qui id ex gravi et legitima causa concedere potest, ut impuberes, qui tamen completum usum rationis habeant, matrimonium valide et licite contrahant, arg. c. 2. h. t.,

ubi dispensatio ab impedimento ætatis admittitur, solummodo aliqua urgentissima necessitate interveniente.

Consulendum est enim imbecillitati ætatis impuberum, qui tam facile non sunt admittendi ad contrahendam perpetuam obligationem, ne eos post susceptam obligationem facile pœniteat et ex matrimonio infelices exitus sequantur.

14. Si *deest sola ætas legitima,* maturitas animi et corporis tamen adest, nullum exsistit ex hoc impedimentum ex cc. 3., 8., 9. h. t.; ultimum cap. cit. sic loquitur: »Quodsi ita fuerint ætati (legitimæ) proximi, quod potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent«. — Judicium autem num »malitia (prudentia) suppleat ætatem,« pertinet ad Ordinarium ex Const. *Magnæ nobis* d. 29. Jun. 1748. *Benedicti XIV.*

15. Quæritur *utrum matrimonium de præsenti ab impuberibus nulliter contractum obtineat vim sponsalium.*

Diximus *nulliter* contractum, idest contractum ab illis, qui habitu corporis incapaces sunt ad generandum, secus enim valeret matrimonium.

Quo posito matrimonium contractum ab illis, qui actu puberes non sint, non valet uti matrimonium de præsenti, valet vero ex juris interpretatione ceu sponsalia de futuro. Ita in c. 14. h. t. cui consonat c. un. eod. t. in 6°. §. ‚Idem quoque'. Et ratio exhibetur a *Bonifacio VIII.* Videlicet actus positus, si non valet uti positus est, valet tamen uti possunt illi, qui actum ipsum posuere. Idest contrahere matrimonium non poterant impuberes; igitur matrimonium non valet; poterant vero sponsalia contrahere, ergo consensus positus inducet obligationem et effectus sponsalitii contractus. Valet scilicet principium: *'Si actus non valent ut ago, valent meliori modo quo possint'.* Frustra enim agere nemo præsumitur.

Verum si impuberes voluissent *absolute* contrahere matrimonium de præsente, et expresse exclusissent sponsalia de futuro, contractus invalidus sub specie matrimonii, esset invalidus etiam ratione sponsalium. Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum l. 19. ff. *De rebus creditis.* Hoc in casu potest invocari principium c. 23. *De officio Deleg.* (I. 29). *'Quod voluit non potuit, et quod potuit non voluit.'* Cf. *Giraldi. Juris Pontif. Exp.* parte 2ª. section. 672.

16. Tandem animadverti debet juxta resolutionem S. C. Concilii d. 10. Martii 1583, matrimonium nullum ob impedimentum ætatis, si convalidari velit, illud contrahendum esse iterum, servata forma Tridentina, quamvis prius eadem forma servata fuerit. Nam ætas est impedimentum, quod vel est publice cognitum, vel facile cognosci potest in populo Christiano.

17. Si deest maturitas animi, licet adsit pubertas corporis necnon legitima ætas, matrimonium consistere nequit jure naturali; nam deest fundamentum matrimonii: consensus. Itaque hoc impedimentum juris naturalis verificatur, quando saltem unus ex contrahentibus caret usu rationis non solum ob *infantiam,* sed etiam ob *insaniam* sive perpetuam sive temporalem, dummodo matrimonium non contrahatur in lucido intervallo. Notatu digna est causa *Herbipolitana (Wirceburgen.)* quam decidit S. C. Concilii d. 7. Julii 1883. (A. S. S. vol. 16. pag. 262—274.) Etenim mulier Margarita d. 16. Nov. 1879. nupsit viro cuidam, nomine Adam. Postridie eadem insaniâ correpta est ita ut in domo delirantiam in Werneck recepta absque ulla sanationis spe usque ad a. 1883. detineretur. Duplex causa agebatur circa hoc matrimonium: 1ª. de *nullitate ex parte insaniæ;* 2ª. de *non-consummatione matrimonii.* Itaque etiam duplex dubium S. Congregationi fuit propositum: I. *An constet de nullitate matrimonii in casu?* Et quatenus negative: II. *An sit consulendum Sño pro dispensatione a matr. rato et non-consummato in casu?* — Matrimonium non fuisse consummatum uterque consultor consensit et defensor matrimonii *tutiorem* tantum requirebat viam in indaganda non-consummatione. Itaque dispensatio Sum. Pont. super matrimonio non-consummato faciliorem præbuit exitum. Nihilominus S. C. Conc. d. 7. Julii 1883. censuit respondere:

Ad I^{um}. *Prævia sanatione actorum: affirmative.*

Ad II^{um}. *Provisum in primo.* — Ergo constabat de nullitate matrimonii in casu. Animum Eminentissimorum explorare quare sic responderint, paululum liceat. Mulier contrahens hora qua contrahebat matrimonium, insania jam laborare non videbatur; nihilominus — uti contendunt periti — insaniam præcedere solet status quem vocant »periodum incubationis«. At neque hæc periodus omnino perturbat mentem; attamen perturbatur mens in eo quod causat insaniam. Hoc autem in causa erat ipsum matrimonium; nam infelix mulier servandæ virginitatis flagrabat amore: ceu colligere

est ex omnibus actis omniumque attestationibus. — Quare concludendo potest contendi: In actu qui causa vel occasio est insaniæ, insanire censentur amentes, licet insania postea demum eruperit.

Titulus III.

De clandestina desponsatione.

1. Matrimonium dupliciter præcipue aut etiam tripliciter potest esse clandestinum 1°. si contrahatur *absque denunciationibus* de quibus sermo est in c. ult. h. t. 2°. si contrahatur *absque præsentia Parochi et testium,* juxta formam substantialem statutam a Concilio Tridentino in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* 3°. etiam, si contrahatur *absque* illis *solemnitatibus,* quæ ad honestatem actus requiruntur juxta sacram *Liturgiam.*

I.

De denunciationibus, quæ matrimoniis præmittuntur.

2. Jam antiquitus mos erat, ut presbyteri diligenter inquirerent utrum impedimentum exstaret inter eos, qui contracturi essent matrimonium. Verum in Gallia consuetudo invaluerat proclamandi in Ecclesia futurum inter determinatas personas matrimonium contrahendum ut si quis fidelis notitiam haberet alicujus impedimenti, illud Ecclesiæ revelaret. Hæ proclamationes appellatæ sunt *Banna.* Cf. *Ben. XIV.* Epist. *'Paucis ab hinc hebdomadis'* ad Archiep. *Goanum* die 19. Martii 1758.

3. Hanc consuetudinem particularem, Concilium *Lateranense IV.* sub *Innoc. III.* in legem generalem transtulit quemadmodum habemus ex c. 3. h. t. Ideo lex bannorum Lateranensis etiam illic valet, ubi Tridentinum non est promulgatum; cfr. *Benedictum XIV.* c. l. §. »Constat igitur«.

4. Concilium *Tridentinum* dispositionem hanc concilii Lateran. renovavit in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* et expresse statuit, denunciationes faciendas esse, ter a proprio parocho contrahentium, tribus continuis diebus festis, inter missarum solemnia, quod si aliquando probabilis suspicio fuerit, matrimonium posse ex malitia impediri, statuit Tridentinum unam tantum denunciationem faciendam esse, vel nullam, sed statim celebrandum esse matrimonium et denunciationes, quæ omissæ sunt, faciendas esse ante *consummationem* matrimonii.

5. Explicatio verborum *Tridentini:* I°. *Ter* faciendæ sunt publicationes ubi c. »Tametsi« quoad hoc est receptum: sive lege generali sive particulari vel consuetudinaria vel diœcesana. Nam *Lateranense* statuit tantum: »matrimonia contrahenda . . in ecclesiis per Presbyteros publice proponantur: competenti termino præfinito ad opponendum legitimum impedimentum.« Unde sequitur: juxta legem Concilii Lateranensis denuntiationes ter fieri posse, licet non sit obligatio.

6. II°. *a proprio Parocho* faciendæ sunt publicationes. Itaque si sponsi ad distinctas parœcias pertineant, ab utroque Parocho Banna, seu denunciationes publicentur oportet, quemadmodum etiam S. Congregatio, confirmata a *Gregorio XIII.* declaravit et docet etiam *Rituale Romanum* in Tit. *De sacramento matrimonii* n. 8.

7. Quod si quis in una parochia a notabili tempore domicilium habeat, ita ut in ea habeat proprium parochum ad contrahendum matrimonium, in alia autem etiam diu commoratus fuerit, inspecto jure, denunciationes faciendæ non sunt in utraque parochia, sed sufficit ut fiant, ubi actu commoratur. Hæ sunt resolutiones S. Congreg. in *Vercellensi* d. 9. Maji 1719; in *Senogalliensi* d. 3. April. 1734. Nam Tridentinum statuit denunciationes faciendas esse a proprio parocho; proprius autem Parochus est loci illius, ubi quis commoratur, ibi enim sacramenta recipit, audit verbum Domini, et jus habet sepulturæ, idest ea, quæ sunt curæ animarum obtinet.

Ceterum Parochus alterius Parochiæ libertatem contrahentis poterit investigare juxta dispositionem c. 3. h. t.

Quod si brevis fuit commoratio in nova parœcia, adeo ut verisimile non sit, ibi adesse impedimentorum notitiam, denunciationes faciendæ sunt etiam in priori parœcia. Ita tenuit S. Congregatio in *Senogallien.* d. 29. Januar. 1864.; cfr. *Richter et Schulte:* l. c. pag. 224. n. 28. — Ceterum statuta diœcesana, dummodo correspondeant et verbo et fini legis, observanda sunt.

8. Denuntiationes fiant III°. in *ecclesia* et quidem in ecclesia *parochiali.* Hæc est regula; nihilominus publicationes fieri *posse* ex rationabili causa tum extra eccl. *parochialem,* tum omnino *extra ecclesiam* docent AA., e. gr. *Gasparri:* c. l. n. 169. Imo si scopus Tridentini facilius attingitur eo quod in ecclesia *filiali* (in nostris regionibus præsertim in ecclesia »*Exposituræ*«) verificatur et ma-

gnus populi concursus et accuratior contrahentium notitia, ecclesia *filialis* præferenda est parochiali.

9. IV⁰. denunciationes fieri debent *tribus continuis diebus festis,* et *inter missarum solemnia.*

Inter *dies festos* habendine sunt etiam dies festi abrogati, sc. in quibus non urget præceptum audiendi Missam? Quærenti Episcopo *Brunensi* in Moravia, utrum denunciationes possint fieri diebus, in quibus non amplius urget præceptum audiendi missam, S. C. d. 17. Jun. 1780 respondit, in genere esse religiose servandam tridentinam dispositionem. Sed ex mente Tridentini judicio et prudentiæ Episcopi permitti, ut si quandoque *gravis causa* intercederet, concederet Parochis facultatem denunciandi matrimonia diebus supradictis, dummodo adhuc *frequens populi concursus* verificaretur.*)

Verbum »*continuis*« significat obligationem parochi ne omissis multis diebus festis in denuntiationibus nimis protrahat matrimonii celebrationem. Nihilominus consuetudo rationabilis secum fert, ut denuntiationes non fiant 3 diebus festis se immediate sequentibus. Nonnulla Ritualia Diœcesana excludunt publicationes tempore clauso, alia excipiunt festa solemnissima e. gr. Pentecostes, Corporis Domini.

Pariter in *Avenoniensi* d. 25. Octob. 1586 responsum est, ordinarium posse ex causa dispensare ut dum cantantur *Vesperæ,* possint fieri denunciationes diebus festivis.

Consonat alia resolutio ejusdem S. Congreg. in *Ravennatensi* (lib. II. Decret. pag. 260.)

Ex quibus resolutionibus infertur posse ex Episcopi venia denunciationes fieri extra missarum solemnia dierum festivorum, et diebus etiam non festivis de præcepto dummodo frequens populi concursus habeatur quia scopus Concilii Tridentini in hac hypothesi procul dubio pertingi potest.

10. V⁰. Optimam denuntiationum formam habes in *Rit. Rom.*: »*Notum sit omnibus hic præsentibus, quod N. vir et N. mulier, ex tali, vel tali familia, et parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis,*

*) Cfr. apud *Richter et Schulte*: c. l. pag. 225. n. 29., ubi invenies etiam Instructionem S. C. C. ad eundem Episcopum d. 5. Jul. 1780. aliam ad Ep. *Tudertin.* d. 19. Apr. 1823.

aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denuntiare debeat: et hoc admonemus primo, si fuerit prima; vel *secundo,* si fuerit secunda; vel *tertio,* si fuerit tertia denuntiatio«.

Diximus *optimam formam;* nam 1°. in hac forma non præsupponuntur sponsalia quæ non sunt necessaria et quæ interdum ob impedimentum legitimum fieri nequeunt; 2°. quidquid diffamare posset, e. gr. ætas superadulta, prætermittitur; 3°. continet hæc forma expressam fidelium monitionem ad detegenda impedimenta.

11. VI°. Circa *dispensationem* a lege denuntiationum Synodus Tridentina hæc statuit: Denuntiationes fiant ante celebrationem vel saltem ante consummationem matrimonii »nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ et judicio s. synodus relinquit«.

Potest idem *Prælatus Nullius,* qui nempe jurisdictionem quasi Episcopalem obtinet dispensare, quia isti veniunt nomine Ordinariorum. Pariter potest dispensare ipse etiam *Vicarius Generalis,* vi generalis mandati, nisi fuerit expresse reservata potestas. Ita sensit S. Congr. in *Farfensi* dd. 25. Jan. et 26. Martii 1707.

12. Non sufficit vero dispensatio concessa ab Ordinario loci ubi contrahitur matrimonium, si alter ex contrahentibus ad alterius Episcopi diœcesim pertineat, sed requiritur ut alter ordinarius, vel remittat denunciationes, vel saltem fidem faciat de status libertate subditi sui. Ita S. C. Concilii in *Visen.* d. 20. Aprilis 1606.

13. Animadvertendum est dispensationem a denunciationibus faciendis, ut adnotat *Bened. XIV.* in Const. '*Satis Vobis*' d. 17. Nov. 1741, non esse remissam soli voluntati concedentis, sed requiri *justam causam* ad eam concedendam; Concilium enim coërcet Ordinarium prudentiæ discretique arbitrii legibus.

14. Causæ plures a Doctoribus adsignantur. Præsertim vero sunt 1°. si prævideatur matrimonium ex malitia posse *impediri* vel unum ex sponsis a fide data in sponsalibus *resilire* injuste posse; 2°. si periculum sit *scandali,* aut infamiæ, vel si prævideatur gravis *erubescentia,* et pudor contrahentium, 3°. si dilatio matrimonii secumferat periculum gravis *damni* in bonis fortunæ vel quod magis est, secumferat periculum *incontinentiæ,* vel alterius gravis damni spiritualis. 4°. Remittuntur denuntiationes in matri-

moniis *Principum* et magnatum. Facile enim eorum impedimenta cognosci possunt, si adsint. — Cessare potest lex publicationum in periculo mortis, quando matrimonium ex gravi causa, e. gr. ob legitimationem prolis, contrahi debet.

15. Ideo institutæ sunt denuntiationes jure Ecclesiastico, ut impedimenta revelentur si adsunt inter personas, quæ matrimonium contrahere desiderant. Porro intentio juris est, ut qui sciant exsistentiam impedimenti, illud revelare teneantur. Quare in c. 7. *De cognat. spirit.* (IV. 11) *Innocentius III.* tradit eum qui sciat matrimonium contractum fuisse cum impedimento cognationis spiritualis teneri ad illud matrimonium denuntiandum Ecclesiæ. Agitur enim de avertenda ruina spirituali proximi nostri, et de vitanda irreverentia sacramenti. Adeo autem urgere tradunt Doctores præceptum nuntiandi impedimentum, ut illud manifestare teneantur fideles licet cognoscant sub secreto naturali.

16. Verum idem *Innocentius* in c. 3. h. t. tradit denunciationes fieri, ut intra terminum præfixum, *qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat.* Quare verba videntur remittere arbitrio fidelium manifestationem impedimenti, quod cognoscant.

Ut Innocentius a contradictione purgetur forsan dici posset in c. 7. *de cognat. spirituali* (IV. 11), ipsum loqui de matrimonio jam *contracto;* in c. autem 3. h. t. loqui de matrimonio *contrahendo.*

At ratio hæc conciliandi duo capita est nullius valoris juridici. Etenim silentium in utroque casu occultat impedimentum, ex quo illegitima conjunctio maris et feminæ resultat.

Verior conciliatio capitum habebitur, si dicatur etiam in c. 3. h. t. sermonem esse de præcepto fidelibus imposito, manifestandi impedimentum quod cognoscant. Illud autem: *qui voluerit:* explicandum est ut significet, omnes quidem de populo indistincte admitti ad denuntiandum impedimentum, nec fieri distinctionem gradus, sexus, ætatis vel conditionis personarum, sed omnes prorsus indiscriminatim admitti debere, ad denunciandum impedimentum. Hinc illud *qui voluerit* idem significat ac *quilibet* sive *quivis.* Ita DD. cum Glossa ad idem verbum *‚voluerit'.*

17. Illud vero *et valuerit* Doctores ita explicant ut quis non teneatur impedimentum revelare cum *gravi suo incommodo* aut *præjudicio,* quia præceptum manifestandi impedimentum innititur

legi caritatis erga proximum, quæ non exigit, ut quis periculum et damnum alienum, cum periculo et damno proprio removeat.

18. Matrimonium contractum absque denuntiationibus est quidem illicitum, non autem invalidum et per consequens omissio denuntiationum solummodo *impediens* impedimentum constituit. Tridentinum enim præcepit denuntiationes præmittendas, non autem irritavit matrimonium, absque denuntiationibus contractum.

19. Maxime autem institit concilium, ut denuntiationes præmitterentur matrimonio, adeo ut si fuerint omissæ, fieri deberent etiam post matrimonium contractum; *ante* tamen ejus *consummationem*.

Hinc dignis pœnis puniuntur, qui in hac re delinquunt. Et a) *Parochus,* qui sciens denuntiationes factas non esse, matrimonio assistit, incurrit pœnam suspensionis *ferendæ sententiæ* per triennium duraturam et ab Episcopo applicandam. C. 3. h. t. §. ult.

Circa hanc pœnam utpote constitutam a jure communi, non poterit infra triennium dispensare Episcopus. Cf. *Bened. XIV: De Synodo Diœc.* l. 12. c. 6. n. 2.

Potest vero etiam gravius puniri juxta gravitatem culpæ. Ita in c. 3. h. t. v. 'sane'.

20. Relate b) ad *testes,* qui scientes assistunt matrimoniis, absque præviis denunciationibus contractis, pœna specialis statuta non est in jure. Verum adnotat *Bened. XIV.* l. c. posse Episcopos et particulares Synodos convenientem pœnam etiam excommunicationis, contra ipsos statuere, quia præsentia sua confirmant, et authenticum reddunt actum, celebratum contra expressam legem Ecclesiæ; nam pœna hujusmodi adhæret intentioni juris ipsius, et illud tuetur.

21. c) Contra *ipsos contrahentes* triplex est statuta pœna. 1°. Juxta dispositionem Concilii Tridentini in c. 5. sess. 24. *de Ref. matrimonii,* si contractum fuit matrimonium absque denuntiationibus in gradibus ab Ecclesia prohibitis, contrahentes amittunt spem obtinendæ dispensationis. Non enim, ait Tridentinum, dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.

2°. Proles, quæ forte ex connubio nascatur, illegitima habetur, si impedimentum inter contrahentes exsistat, licet illud fuerit ab utroque, vel alterutro ignoratum. C. 3. h. t. §. 1. Ratio est quia in casu sponsi prætermittentes medium ab Ecclesia designatum ad

detegendum impedimentum, præsumuntur versari in mala fide: hinc vel impedimentum agnovisse vel ignorantiam affectatam habuisse.

3°. Licet matrimonium contractum fuerit in gradu non prohibito, tamen convenienti pœna seu pœnitentia mulctandi sunt contrahentes. Ita in c. 3. h. t. §. ult. S. C. Concilii autem in *Florentina* d. 17. Febr. 1629 tenuit posse imponi pœnam pecuniariam piis locis applicandam; atque etiam excommunicationis; S. C. C. d. 19. Jan. 1690. et arg. *a fortiori* ex dictis in n. 20.

22. Si post peractas publicationes matrimonium non brevi contrahatur, quæritur, utrum et quando publicationes debeant *repeti? Rituale Romanum* in tit. VII. n. 11. sic loquitur: »Si vero infra *duos menses* post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur«. Et de facto in singulis diœcesibus non eadem est praxis: in aliquibus enim post *trimestre,* in aliis post *semestre,* in aliis post *annum* repeti solent et quidem ita ut in nonnullis diœcesibus triplex publicatio semper repetatur, in aliis econtra repetantur tres integræ elapso anno, duæ elapso semestri, tandem una post trimestre; *Gasparri.* c. l. n. 194.

De matrimonio conscientiæ.

23. Quamvis intentio juris Ecclesiastici semper fuerit, ut matrimonia publice celebrarentur, adeo ut Ecclesia præcedentes denunciationes exegerit, tamen suadentibus prudentiæ rationibus, permissa sunt et permittuntur *matrimonia conscientiæ,* quæ nempe coram Parocho vel alio sacerdote specialiter deputato et duobus testibus confidentibus ac fidelissimis, contrahuntur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeant, quamdiu conjugibus ipsis illud manifestare non placeat. De hoc matrimonio conscientiæ agit *Ben. XIV.* in Const. *'Satis Vobis'* d. 17. Nov. 1741.

24. In hac constitutione Summus Pontifex primo loco describit *mala,* quæ solent oriri ex matrimoniis occultis. Quare matrimonia hæc occulta et conscientiæ non possunt admitti nisi interveniat *auctoritas Episcopi,* qui judicet an expediat nec ne celebratio eorum. Videre scilicet debet Episcopus, utrum contrahentes sint sui vel alieni juris, an sint filii familias, quorum nuptiæ rationabili parentum voluntati sint contrariæ; an vir sit persona Ecclesiastica in minoribus ordinibus constituta, obtinens pensiones vel beneficia ecclesiastica. Tunc vero permittendum est ab Episcopo

matrimonium conscientiæ, quando vir et fœmina *in figura matrimonii* publice degentes, quin ullam contra suam honestatem ingerant suspicionem, tamen vivunt *in occulto concubinatu.*

25. Ante autem celebrationem curia Episcopalis prudenter inquirit, utrum inter personas contrahentes, exstet necne impedimentum. Celebratio autem hujus matrimonii facienda est, absque ullis denuntiationibus; in reliquo forma Tridentina servata, imposita Parocho vel sacerdoti assistenti, et testibus lege de silentio in perpetuum servando.

26. Matrimonium vero describi et adnotari non debet in communi libro conjugiorum, quem ex præscripto concilii Tridentini Parochus servare tenetur (c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.*), sed in *libro secreto,* qui in Cancellaria curiæ *Episcopalis* clausus, et sigillis obsignatus custodiendus est.

27. Quid vero dicendum *de prole quæ forte ex matrimonio occulto enascatur?*

Statuit *Benedictus XIV.* §. 11. constitutionis citatæ, per Parochum, seu per sacerdotem deputatum serio monendos esse conjuges eo pacto permitti matrimonium occultum, ut soboles inde procreanda, non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptismum denuncietur Episcopo, cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum a quibus ortum habuit, alioquin matrimonium licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferri posse in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab iis injuriam illegitimitatis. Unde in §. 12. statuitur vulganda esse matrimonia secreta, si proles baptizata fuerit suppressis nominibus parentum, et nulla præstita Episcopo notitia intra 30 dies renumerandos a nativitate prolis.

28. In curia autem Episcopali, nativitas et baptismus horum filiorum notabitur in libro secreto. Attestatio autem sive celebrati matrimonii, sive sobolis ex eo procreatæ, eandem fidem sibi promeretur, quam habent attestationes excerptæ ex libris publicis, §. 14.

29. Quid vero dicendum, *si ex matrimonio occulto scandalum in populo oriatur?*

Scandalum oriri ex matrimonio conscientiæ dicendum est, quoties populus videat occultos conjuges continue se maritali affectione tractare, et nesciens ipsos esse veros legitimosque conjuges, arbitretur eos esse concubinarios.

30. Profecto auctoritas Ecclesiastica, quæ lege silentii sese obstrinxit, ante omnia admonebit occultos conjuges, ut vel eo modo sese gerant ut scandalum removeatur, vel proprium matrimonium evulgent. Quod si admonitio in vacuum cedat, et nullum aliud remedium suppetat ad scandalum removendum, arbitramur posse ab eadem auctoritate Ecclesiastica, absque periculo læsæ datæ fidei, vulgari matrimonium. Nam ex mente Ecclesiæ censentur permissa matrimonia occulta dummodo scandalum removeatur, prout insinuat *Bened. XIV.* in cit. Encyclicis litteris §. 2. circa finem, et per consequens, quoties scandalum ex iisdem enascatur, cessat ratio ob quam possint ceu occulta retineri. *Cf. Giraldi Exposit. Juris Pontificii* Part. 1. Sect. 674., *Comm.* ad c. 2. h. t.

II.

De forma substantiali contractus matrimonii.

31. Diximus matrimonium II°. appellari clandestinum ex defectu solemnitatum essentialium.

Jure decretalium matrimonia alia sunt *publica*, quæ nempe in facie Ecclesiæ et servatis ritibus sacris contrahebantur, alia erant *clandestina*, quæ nempe per privatum et occultum contractum celebrantur; alia tandem erant matrimonia *præsumpta*, de quibus agitur in c. 30. *De Spons. et Matrim.* (IV. 1).

Quamvis Ecclesia semper voluerit ut matrimonia publice contraherentur, et ritu sacro consecrarentur, ceu testantur priores sex canones a Gratiano relati in C. 30. q. 5., tamen aliquando recepit etiam ceu vera matrimonia ea, quæ clam contrahebantur.

32. Jus antiquum circa hæc matrimonia exhibetur in cc. 1. et 2. h. t. In secunda parte c. 2. tradit *Alexander III.* matrimonia clandestina si a partibus revelentur recipienda esse et comprobanda perinde ac si fuissent a principio in conspectu Ecclesiæ contracta dummodo aliquod impedimentum non obstet. Itaque matrimonia clandestina valebant.

33. Verum ut ab Ecclesia reciperentur et comprobarentur, necesse erat ut constaret de facto celebrationis. Qua in re triplex fieri poterat hypothesis: 1ª. si *uterque* conjux *revelasset* Ecclesiæ matrimonium secreto contractum: hoc in casu censebatur plene demonstratum esse factum celebrationis. 2ª. si *uterque* conjux potuisset negare et revera *negavisset* factum celebrationis. Hoc in casu deficientibus probationibus, conjuges non poterant compelli

ad mutuam et maritalem vitæ consuetudinem servandam, idest non poterat recipi matrimonium uti validum, quemadmodum traditur ab *Alexandro* in prima parte c. 2. h. t. 3ª. Si *unus* ex conjugibus *asseruisset* factum celebrationis matrimonii et *alter* illud *denegasset;* hoc in casu juxta c. 1. h. t. ille qui asserebat factum, illud probare debebat. Facta enim non præsumuntur, sed probantur. Qui autem asserit, in judicio probare tenetur, quia negantis factum nulla est probatio. Ita c. 1. h. t. explicatur a glossa juxta indolem et leges judiciorum.

34. Hæc erat dispositio ante concilium Tridentinum. Vidit vero Tridentinum Concilium, ob hominum malitiam plura posse mala derivare ex clandestinis conjugiis et de facto derivasse. Præsertim vero cognovit viam aperiri effrenatæ licentiæ, qua valida matrimonia deserebantur ob defectum probationum sufficientium, et coram Ecclesia *nova conjugia* contrahebantur, quæ in foro conscientiæ irrita erant.

Perspexit insuper Tridentinum, ex iisdem matrimoniis fieri posse ut *ordinibus sacris* initiarentur nonnulli, qui vinculo conjugali adstringebantur, quique ob defectum probationis, publice habebantur ceu pleni sui juris, et domini actuum suorum. Quare ad hæc mala vitanda, Patres Tridentini precibus oratorum Regis Galliarum, *irrita* dixerunt matrimonia clandestina.

35. Enatæ autem sunt difficultates, in hujusmodi decreto conficiendo. Nam nonnulli Theologi et Patres arbitrati sunt non posse id facere Concilium, sed ingredi materiam sacramenti matrimonii, et declarari nulla ea conjugia, quæ eo usque habita fuerant uti valida.

36. Sed ex adverso notatum est posse Ecclesiam declarare inhabiles ad contrahendum certas personas ob defectum alicujus qualitatis, quemadmodum factum est in impedimento cognationis carnalis, usque ad quartum gradum lineæ transversæ, quod fieri potuit quin ipsa substantia sacramenti mutaretur.

37. Quapropter decretum conceptum est ita, ut ipsas personas contrahentes afficeret, quas inhabiles decerneret ad contrahendum clandestinum matrimonium, dictumque est in c. 1. sess. 24. *De Reform. matrim.: 'Qui aliter quam præsente Parocho vel alio sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Syno-*

dus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit'.

38. Vi hujus decreti cessaverunt matrimonia clandestina, et matrimonia *præsumpta.* Nam esto quod inter duas personas possit habere locum mutuus consensus in sponsalibus; esto quod copula carnalis libera inter sponsos possit haberi tanquam signum sufficiens præstiti consensus matrimonialis, tamen post hanc dispositionem non sufficit quomodocumque exprimere consensum, sed consensus exprimendus est coram Parocho, et duobus vel tribus testibus.

Quare forma substantialis matrimonii contrahendi constituta fuit a concilio Tridentino in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* Cf. *Bened. XIV.: De Syn. Diœc.* l. 8. c. 13. n. 5.

De *præsumptis* matrimoniis jam sermo erat in tit. *De præsumpt.* (II. 23) nn. 11. et 12. necnon in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 76.

Matrimonium *præsumptum* fundatur non in certitudine, sed in rationali conjectura collecta ex argumentis et indiciis quæ per rerum naturam frequenter animum contrahendi matrimonium indicant. Sane copula carnalis non indicat per se talem animum; quotiescunque autem præcesserint sponsalia valida, copula inter ejusmodi sponsos subsecuta regulariter indicat animum maritalem. Nihilominus si sponsi probare possent se animo *fornicario* copulam inter se habuisse, præsumptio illa cedere deberet veritati. Hæc valerent si ageretur de præsumptione *juris* (tantum); at matrimonium præsumptum fortiori fulcitur fundamento: sc. in lege Ecclesiastica quæ copulam carnalem inter sponsos signum externum matrimonii valide contracti agnosci jubebat in foro *externo.* Contraria probatio saltem *directa* non admittebatur *(præsumptio juris et de jure).* Hæc circa matrimonia præsumpta legislatio jure Decretalium inducta, cc. 15. et 30. *De sponsalibus* (IV. 1) absque mutatione remansit usque ad Concilium *Tridentinum.* Ab hoc Concilio usque ad nostra tempora matrimonia præsumpta necessario cessarunt in iis regionibus ubi valebat c. »Tametsi«. In ceteris vero regionibus perdurabant matrimonia præsumpta.

Nunc quæstio ex professo tractanda est, quare Literas S. P. *Leonis XIII.* d. 15. Febr. 1892. huic libro integras inserendas censemus; nam novum in hac re jus constituunt.

Leo PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Consensus mutuus, unde matrimonia justa nascuntur, non verbis dumtaxat, sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem *Alexander III.* (in c. 15.), *Innocentius III.* (in c. 26.), et *Gregorius IX.* (in c. 30. *De spons.* [IV. 1]) decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida præcessissent, cum in judicio, tum extra judicium, pro vero conjugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac juris præsumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque jus nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non præsente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum irrita infectaque esse jussisset, jus illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicæ Sedis judicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque firmos permansisse. Sed ætatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida judicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de conjugiis præsumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam: propterea *vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur:* eamque non matrimonii legitimi usum, sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per conjunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Inquisitorum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque juris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum *abrogamus* et *abolemus,* et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has literas Nostras decernimus ac mandamus ut deinceps illis in locis in quibus conjugia clandestina pro validis

habentur, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris præsumptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Hujus tamen auctoritate Decreti induci nolumus *necessitatem formæ Tridentinæ servandæ* ad matrimonii validitatem ubi illa forma modo non viget.

Datum Romæ apud S. Petrum d. 15. Febr. 1892, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Leo PP. XIII.

Uberior explicatio. 1°. Copula carnalis perfecta inter sponsos juxta legislationem Decretalium erat signum externum contracti matrimonii in foro *externo,* sive animus *maritalis* aderat sive *fornicarius.* Non ita in foro *interno*; in hoc foro solus *verus* consensus constituit matrimonium. Hinc tot tamque funesti inter forum externum et internum conflictus. 2°. Supervenit legislatio Tridentina inducens formam substantialem matrimonii non ubique, sed certis tantum in regionibus. Unde differentia inter regiones lege Tridentina ligatas, ubi et clandestina et præsumpta matrimonia necessario cessarunt, et ceteras, ubi adhuc valebant. 3°. At Tridentina lex quendam producebant effectum: fundamentum præsumptorum matrimoniorum, i. e. præsumptio copulam inter sponsos maritali affectu esse exercitam pæne totaliter disparuit contraria hominum opinione. Fundamento præsumptionis juris et de jure deleto hæc ipsa præsumptio non jam erat lex rationabilis; quare S. P. *Leo XIII.* novum constituit jus mandans »ut deinceps . . . copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris præsumptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur — a quibusvis judicibus ecclesiasticis.« — Verbis Summi Pontificis nequaquam excluditur sponsalia de futuro superveniente copula inter sponsos fieri legitimum matrimonium, sed hoc non est præsumendum, sed probandum copula fuisse exercitam affectu *maritali.*

39. Quæritur *quænam sit extensio istius Tridentini* decreti.

Decretum hujusmodi fundatur in periculo generali, seu in periculo malorum, quæ in Christiana societate procedere poterunt, et revera procedebant ex clandestino matrimonio. Hinc est Decretum quod natura sua generaliter vigeat. Nam dispositiones juris, quæ introductæ sunt ob rationes generales, et ob periculum gene-

rale, valent etiam in casibus particularibus, in quibus periculum forte non verificatur. Hinc licet aliquando ob optimas qualitates personarum, timeri non possint mali exitus ex matrimonio clandestino, tamen illud contrahi nequit ob regulam generalem contrariam. Igitur decretum naturam præsefert *dispositionis generalis.*

40. Verum ex mente Tridentinorum patrum, *aliquam limitationem* pati potest decretum. Siquidem cum leges præsertim irritantes, quæ sunt odiosæ debeant habere pleniorem promulgationem in populo, hinc Tridentinum statuit quoad hoc decretum non sufficere qualemcumque promulgationem, sed eam requiri ex qua nemo posset allegare propriam ignorantiam. Statuit scilicet Concilium, decretum hoc esse legendum seu *promulgandum in qualibet Parœcia,* et effectus irritantis legis incipere voluit *post 30 dies* a facta denuntiatione enumerandos. Cum vero pluries promulgari et populo explicari hoc decretum ex mente Patrum Tridentinorum deberet, iidem Patres Tridentini statuerunt 30 dies computandos esse a *prima* promulgatione decreti ejusdem.

41. Ex hac dispositione speciali sequitur pro valore effectuum irritantium attendi *factum promulgationis.* Hinc in Parœciis in quibus decretum promulgatum non est sive causa ob quam fieri non potuit promulgatio, legitima sit, sive ea sit illegitima, decretum Tridentinum non sortitur effectus suos. Non enim attenduntur rationes omissæ publicationis, sed ipsa publicatio attenditur, utrum ea locum habuerit an non.

42. Quæritur *quomodo constet publicationem factam fuisse.*

Si certa reperiatur memoria publicationis factæ, nullum dubium potest excitari de valore legis conciliaris. Quod si positivum monumentum non adsit, hæc quæ sequitur regula adoptanda est. *'Ibi præsumitur facta promulgatio decreti conciliaris, ubi constet jam usu receptum fuisse, ut coram Parocho et duobus vel tribus testibus contraheretur matrimonium, in exsecutionem decreti Concilii Tridentini.'*

Ita tradit *Bened. XIV. de Syn. Diœc.* l. 12. c. 5. n. 6. ubi refert hanc regulam fulciri decisionibus S. C. Concilii, præsertim vero in responsione d. 26. Sept. 1602.

43. Quid vero dicendum si constet publicationem decreti Tridentini factam non fuisse, *potestne fieri, et quando fieri debet publicatio?*

Bened. XIV. l. c. n. 7. et seqq. refert quæstionem agitatam in S. C. Concilii, et in S. C. de Prop. Fid., occasione capta Synodi

Kieviensis celebratæ die 11. Oct. 1619. et Concilii Provinc. *Ruthenæ* d. 6. Aug. 1626.

44. Cum in tota *Ruthena* Provincia non fuisset promulgatum decretum Tridentinum, et scandala plurima provenirent ex clandestinis conjugiis, Patres utriusque Synodi decretum confecerunt ex quo declarabantur irrita matrimonia, absque Parochi et duorum vel trium testium præsentia inita. Patres Synodi jusserunt, decreti hujus per Parœcias faciendam esse quam primum publicationem. Nullam vero fecerunt mentionem Concilii Tridentini, ne schismatici ob odium adversus idem Concilium, magis retraherentur ab unione cum catholica Ecclesia.

Quæsitum est utrum hoc synodale decretum, per quod dispositio Tridentina in singulis Parœciis promulgabatur, haberet effectus legis irritantis matrimonia.

45. In Congr. d. 2. Dec. 1628 responsum est: '*Negative*'; quare decretum hujusmodi habitum est ceu lex correctiva juris communis juxta quod matrimonia clandestina valent in locis ubi Tridentinum Concilium promulgatum non est. Jamvero Episcopus, vel Synodus diœcesana, aut provincialis non possunt in suis constitutionibus aliquid inserere, quod juri communi adversetur et illud corrigat.

46. In eandem sententiam eadem S. Congregatio post novum examen concessit d. 20. Martii 1629; et ejus resolutio confirmata est ab *Urbano VIII.*

Hinc potius a speciali Congr. d. 20. Apr. 1629. decisum est ut per literas Romani Pontificis in forma '*Brevis*' fieret intimatio dispositionis Tridentinæ, ita nempe ut integra ipsisque verbis dispositio Concilii intimaretur, reticeretur tamen et mentio concilii Tridentini, ad evitandum quodcumque scandali periculum.

Ex qua resolutione sequitur posse utique fieri promulgationem decreti irritantis matrimonia, eam tamen faciendam esse sub *nomine Concilii Tridentini,* vel per *Pontificium decretum,* nec valere eandem promulgationem, si decretum proponatur ceu Synodi Diœcesanæ, vel Provincialis decretum.

47. Quæritur utrum in locis in quibus promulgatum est decretum Tridentinum, possit matrimonium *aliquando* valide celebrari, quin forma decreti servetur.

Quæstio hæc resoluta fuit a *S. C. Concilii,* et a *Pio VI°.* per literas Apostolicas d. 22. Aprilis 1793, occasione civilis perturbationis in Gallia, et responsum est valere hæc matrimonia, con-

tracta coram testibus, sed absque præsentia Parochi, quando *communis et publica impossibilitas* impediat, quominus contrahentes Parochum adire possint.

Faciunt etiam ad rem Literæ Apostolicæ in forma *Brevis* ejusdem Pontificis, ad Episcopum *Genevensem* d. 5. Sept. 1795.

Hoc enim in casu periculo *generali*, cui innixum est Tridentinum decretum, opponi potest bonum publicum, cui adversaretur lex irritans Tridentina, si valeret et obligaret.

Quare si impotentia adeundi Parochum non afficiat unum vel alterum casum particularem, sed ipsam societatem, ex. gr. ob publicam rerum perturbationem, et præsertim ob religiosam persecutionem communem, dicendum est valere matrimonium contractum absque plena formæ Tridentinæ observantia.

48. Quod si impotentia adeundi Parochum sit *personalis*, non valet matrimonium absque ejus præsentia contractum, quia lex irritans contractum non cessat ob incommodum privatum. Idest ratio personalis incommodi vel periculi non potest habilem facere illum quem ipsa lex inhabilem reddidit. Lex enim ceu norma generalis præscindit a peculiaribus singularium personarum adjunctis.

De matrimonio quod civile vocant.

49. Juxta superius exposita (tit. I. nn. 102. et sqq., pag. 35. et sqq.) inter christianos non datur matrimonium legitimum et verum, quod non sit eodem tempore sacramentum. Potestas igitur civilis auctoritate propria nequit formam substantialem contractus conjugalis decernere. Ipsa enim neque potest materiam aptam sacramento præparare neque potest legitimum reddere contractum præscindendo a ratione sacramenti.

50. Verum Ecclesia antiquitus ratam habuit formam clandestinam contractus matrimonialis. Hinc absolute loquendo *posset* agnoscere *in casu* uti validam formam civilem, coram officiali civili. quare forma civilis matrimonii posset legitima fieri, si ab Ecclesia recognosceretur. Ecclesia autem *nondum ratam habuit* formam civilem contrahendi matrimonium.

51. Diximus »in casu« *posset* agnoscere; nam generaliter agnoscere formam civilem nequit Ecclesia; nam forma civilis vel in se vel in circumstantiis, e. gr. in lege divortii, contraria esse potest legislationi divinæ et ecclesiasticæ. Sed neque *in casu* ratam habuit formam civilem; rationes sunt sequentes:

1ª. quia legislationes civiles ex *oppositione* contra Ecclesiam condebant formam civilem;

2ª. quia omnes pæne legislationes civiles formæ civili conjungebant leges juri divino et ecclesiastico contrarias, e. gr. de divortio, super impedimentis etiam dirimentibus, sc. statuendo propria et neglegendo ecclesiastica impedimenta.

3ª. quia legislationes civiles nimis expositæ sunt variationibus ita ut etiam forma matrimonii varia fieret sive in una republica diversis temporibus sive in singulis rebuspublicis. Actum revera esset de unitate formæ.

4ª. Nonnunquam mala quæ Tridentinum in c. »Tametsi« amovere intendebant, denuo essent deploranda.

52. Quæritur quomodo sese gerere debeat fidelis in locis ubi legislatio civilis matrimonia mere civilia præcipiat.

Tractatur hæc quæstio a *Ben. XIV.* in Epistola scripta Paulo Simoni a S. Josepho, Carmelitæ, Missionario in regionibus fœderatis Belgii et Hollandiæ, die 17. Septembris 1746 quæque incipit *'Redditæ sunt'*. In hac Epistola declarat Benedictus in locis in quibus promulgatum est concilium Tridentinum, posse tolerari, ut fideles consensum mutuum exprimant coram magistratu, seu officiali civili, dummodo tamen iidem fideles considerant matrimonium civile, ceu meram civilem cæremoniam, seu actum mere politicum, quo suum obsequium ostendant erga leges et instituta Principum, nec verum legitimumque contrahere matrimonium credant. (Cfr. etiam Encyclicam *Leo XIII.* d. 10. Febr. 1880. »Arcanum« circa finem.) Quare consuetudo conjugalis si quæ sequatur, gravi culpa non caret, et si proles enascatur, ea est coram Deo illegitima, nisi conjuges in facie Ecclesiæ consensum renovaverint. Hinc inculcat Pontifex, ut quo fieri possit, post civilem cæremoniam, evitetur nimia familiaritas inter conjuges ante celebrationem matrimonii Ecclesiastici.

53. Ut vero periculum concubinatus absit, vel saltem suspectæ conversationis, proponit Pontifex ceu optimum factu, ut Catholici non accedant ad civilem cæremoniam explendam, nisi antea jam celebraverint matrimonium in facie Ecclesiæ. Quod si lex civilis prohiberet, quominus prius Ecclesiasticum seu verum matrimonium celebraretur, quam civile, licet hæc lex civilis nimis dura esset, tamen ad vitanda mala majora posset *tolerari*. Verum inculcandum esset fidelibus, ne diu differrent celebrationem matri-

monii sacri in facie Ecclesiæ, et interim ne se invicem tractarent, tamquam virum et uxorem. Plura de matrimonio »civili« tractabuntur in fine h. l. IV., ubi ex professo sermo redibit super matrimoniis »civilibus« in quantum tangunt jus matrimoniale ecclesiasticum.

De acatholicorum conjugiis respectu formæ Tridentinæ.

54. An lex Tridentina, c. »Tametsi«, obliget etiam acatholicos. Plures auctores *negativam* sententiam propugnant:

1°. Quia Ecclesia non præsumitur voluisse *tot matrimonia esse invalida.* 2°. Quia ipsum Concilium Tridentinum, requirens publicationem decreti sui, in qualibet Parœcia perficiendam; satis *indicavit* se nolle sub lege comprehendere acatholicos, qui certe non essent publicaturi decretum Concilii.

55. Verum contraria sententia tenenda esse videtur. Nam Concilium Tridentinum legem *generalem* tulit, qua abolevit matrimonia clandestina nec ullam distinctionem fecit inter catholicos et hæreticos, sed absolute edixit, 'qui aliter quam præsente Paroco' etc.

56. Rationes autem contrariæ sententiæ non valent. Non 1ª. quia præsumptio non datur contra legem latam, absque ulla limitatione, et claris verbis expressam. Etenim jam supra (in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 122.) vidimus hæreticos *generaliter* ligari impedimentis matrimonii; cfr. *Benedictum XIV.* in Const. *Singulari nobis* §§. 11. et sqq. Ut autem quoad impedimentum *clandestinitatis* exceptionem statuere possimus, fundamentum hujus exceptionis quærenda esset in ipsis verbis legis. At hæc nullum exceptionem admittunt.

Non valet 2ª. ratio quia specialis modus publicationis solummodo indicat, Patres Tridentinos voluisse ut quo fieri possit removeretur periculum ignorantiæ, ne aliquis posset sese excusare, et eximere ab observantia decreti ex prætextu ignorantiæ dispositionis concilii.

57. Magis quam rationibus internis confirmatur sententia *affirmativa* decisionibus Sedis Apostolicæ non paucis. Sic — ut nonnullæ adducantur — S. C. Conc. d. 8. Jan. 1678. probante *Innocentio XI.* declaravit: »Hæreticos quoque, ubi decretum est promulgatum, *teneri* talem formam observare ac propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico vel

magistratu civili contracta, *irrita et nulla* esse«. Cfr. *Gasparri* c. l. II. n. 972., ubi duas alias invenies resolutiones. — S. Pœnitentiaria matrimonia hæreticorum in Galliis absque forma Tridentina contracta declaravit invalida, d. 28. Martii 1834. — Item novissimi temporis declarationibus hæc sententia ita consolidatur ut contraria improbabilis omnino videatur: sic in causa *Melitensi* dd. 12. Jan. 1890. et 2. Junii 1892. et in causa *Argentinen.* 6. (7.) Julii 1892., de quibus causis in S. Off. tractatis fusior redibit sermo. Theoretice igitur et generaliter loquendo valet regula: Hæretici per se non sunt exempti a lege Tridentina statuta in c. »Tametsi«. Nihilominus S. Sedes provide valori matrimonii hæreticorum consulebat.

58. Jam ipse modus quem præscripsit Conc. Tridentinum tendebat in hunc finem. Etenim licet Sedes Apostolica nunquam agnoscere possit pseudoparochias hæreticorum neque agnoverit tamquam legitimas, in materia tamen nostra communitates religiosas ab hæreticis efformatas Ecclesia agnoscit. Nam si in aliqua civitate, oppido etc. hæretici commorantur et quæstio de valore matrimoniorum eorundem hæreticorum absque forma Tridentina initorum exsurgit, quærendum est: 1. An decretum »Tametsi« sit promulgatum omnino? Si *negative,* quæstio soluta est; si *affirmative;* quærendum est: 2. Utrum tempore promulgationis decreti Tridentini hæretici jam efformaverint propriam et distinctam communitatem? Si negative, promulgatio facta pro catholicis ordinarie valet etiam pro hæreticis; si affirmative, hæreticorum communitas ligari non videtur lege Tridentina. Responsum ad 2^am^. quæstionem confirmatur decisionibus S. Sedis, inprimis resolutione S. C. Inq. in causâ *Trevirensi* dd. 22. Nov. 1852. et 24. Jan. 1853. Cum enim eadem S. C. ab Episcopo *Trevirensi* quæsiisset »Utrum tempore ejusdem promulgationis in ea civitate (sc. *Confluentium)* exstarent hæretici qui suos haberent ministros et ecclesias vel potius subinde supervenerint« et Episcopus respondisset *hæreticos postea supervenisse,* S. C. Inq. reposuit: *Nulla esse matrimonia mixta Confluentibus absque forma Tridentina contracta.*

59. Uberior explicatio. Si acatholici superveniunt parochiis catholicis ubi c. »Tametsi« est promulgatum, tres casus considerandi sunt: I. Acatholici supervenientes non efformant distinctam communitatem. II. Acatholici supervenientes efformant distinctam communitatem præter catholicam parochiam. III. Acatholici supervenientes efformant propriam communitatem exstincta vel prorsus

vel pæne communitate catholica ubi decretum Tridentinum publicatum erat. Sane ad constituendam propriam communitatem pertinet societas religiosa præcipue cum ministro et ecclesia.

Ad I. Nullum dubium est quin ejusmodi acatholici qui neque distinctam communitatem efformant neque ad distinctam communitatem pertinent, ligentur lege Concilii Tridentini. Quodsi pertinent ad communitatem distinctam, res non adeo patet; attamen de hoc casu inferius loquemur.

Ad II. Acatholici supervenientes ligantur lege Tridentina, licet præter parochiam catholicam propriam efformaverint communitatem. Hoc clare deducitur ex resolutione *Trevirensi* supra citata necnon ex responso S. C. Inq. d. 6. Julii 1892 ad Epum *Argentinen.*

Ad III. Si acatholici supervenientes vel catholici hæretici facti parochiam catholicam prorsus amoverunt constituta communitate acatholica, non conveniunt DD. — Cl. *Gasparri* l. c. n. 895. »putat promulgationem primitus factam non afficere has societates, quia moraliter diversæ sunt ab illa, pro qua promulgatio facta fuerat. Hic est casus Statuum Fœderatorum *Belgii* et *Hollandiæ*« etc. — Ultimam propositionem sc. »Hic est casus« hypothesim tantum cl. Auctoris esse facile intelligitur. At etiam ipsa sententia sustineri non posse videtur; nam a. catholici lege Tridentina ligati si ad hæresim deficiunt ita ut catholica parochia esse desinat, non ideo i. e. ipso defectu, immunes a lege Tridentina evadunt; b. supervenientes autem acatholici aut *successive* superveniunt et tunc reincidimus in casum sub n. II., aut *omnes simul* superveniunt expulsis catholicis (casus qui vix potest fingi!). In ultimo quidem casu ratio dubitandi præsertim tunc aderit quando acatholici jam antea communitatem legis Tridentinæ exsortem alibi constituerant, nihilominus sententia quæ obligationem sustinet, nobis magis arridet spectata inprimis resolutione S. C. Inq. d. 24. Jan. 1853., necnon aliâ ejusdem S. C. Inq. d. 6. Julii 1892. ubi Mens erat: »nullum temporis spatium sufficere, ut lex Tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem *inobservantiam hæreticorum*«. Ceterum a Sede Apostolica semper imponitur recursus in singulis casibus.

60. Aliter res se habet si promulgatur c. »Tametsi« aliquo in loco postquam acatholici jam constituerunt propriam communitatem. Ratio est quia promulgatio fit non pro omnibus baptizatis,

sed pro solis catholicis; cfr. epistolam *Pii VII.* d. 27. Junii 1805. ad Imperatorem *Napoleonem I.;* cit. resolutionem S. C. Inq. in *Trevirensi* d. 22. Nov. 1852. et 24. Jan. 1853. — Quæritur: *quomodo probetur acatholicos jam formasse distinctam communitatem?*

Hoc probari potest: 1) *Historice* i. e. inquirendo tempus communitatis acatholicæ constitutæ necnon tempus quo promulgabatur c. »Tametsi«. Sic in civitate *Ratisbonensi* protestantes testibus et catholicis et acatholicis scriptoribus jam a. 1542. communitatem propriam cum proprio ministello et templo formaverant. Econtra c. »Tametsi« ante a. 1564. promulgari omnino non poterat. 2) *Præsumptive.* Sc. si decretum Tridentini ab immemorabili non observatur ab hæreticis et si catholici quoque acatholicos immunes censent ab ejusmodi decreto, acatholici præsumuntur promulgatione in catholicis parochiis facta non teneri. Egregie hoc illustratur responso S. C. Inq. in causa *Argentinensi* d. 6. (7.) Julii 1892:

Postulaverat enim Ordinarius *Argentinensis* solutionem ad sequentia dubia: 1⁰. »An protestantes civitatis Colmar, qui saltem ab a. 1632., suum habent templum, quique legem Tridentinam nunquam observarunt, censendi sint ab hac lege exempti?

2⁰. Cum alia, hac in Diœcesi, adsint loca, in quibus decursu temporis protestantes distinctam efformarunt civitatem: quodnam requiratur temporis intervallum, ut lex Tridentina censenda sit, hujusmodi in locis, quoad protestantes per non observantiam in desuetudinem abiisse?

Feria IV. die 6. Julii 1892.

In Congregatione generali S. R. et U. Inq. Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores propositis suprascriptis dubiis ac præhabito voto DD. Consultorum, responderi mandarunt:

Ad 1. Reformato dubio prout sequitur, nempe:

An Protestantes civitatis Colmar censendi sint a capite *Tametsi* sacri Concilii Tridentini exempti?

Respond. Juxta ea quæ hac de re Apostolicæ Sedi exposita sunt: *affirmative.*

Ad 2. In decisis feria IV., die 5. Julii 1848, nempe, *recurrendum in casibus particularibus,* et ad mentem. Mens autem est *nullum temporis spatium sufficere, ut lex tridentina vim obligandi*

amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam hæreticorum.

Feria IV. die 7. Julii 1892.

Facta autem a R. P. D. Adsessore ad S. Off. de iisdem resolutionibus relatione Ssmo Domino Nostro *Leoni* Dei Prov. PP. *XIII.*, idem Ssmus D. Noster Emorum PP. resolutiones *approbavit*«.

Acatholici ergo contraria consuetudine vel præscriptione nequeunt se liberare a lege Tridentina; hoc patet etiam cum ex principio in tit. *De consuetudine* (I. 4) n. 18. (pag. 49.) proposito, tum ex sequelis. Nam si concedas liberari posse acatholicos inobservantia legis, in vanum laboravimus hanc ipsam quæstionem tractantes; nam omnes pæne acatholici a lege Tridentina liberi exsisterent quia omnes pæne in communitates sunt coadunati.

61. Hisce præmissis quæritur utrum communitates propriæ quæ ab aliis communitatibus acatholicis ante promulgationem c. »Tametsi« jam exsistentibus sunt dismembratæ, post promulgatum decretum »Tametsi«, immunes sint a lege Tridentina necne.*)

Prænotandum est hunc casum — quantum scimus — a S. Sede non esse peremptorie decisum, nihilominus præsertim in regionibus mixtis facile occurrere per se patet; quare quæstionem hanc tractare non erit otiosum.

Porro certum est: si in territorio ubi possidet c. »Tametsi«, parochia catholica dismembratur in duas vel plures vel etiam si nova parochia erigitur, has novas parochias liberas a lege Tridentina territorium jam possidente renuntiari nequire ex Instructione S. C. Inq. d. 14. Dec. 1859. ad Archiepiscopum *S. Francisci.*

Exinde patet si communitas acatholicorum in duas vel plures dismembratur in territorio ubi *non possidet* c. »Tametsi«, matrimonia etiam in novis parochiis contracta absque forma Tridentina certo valent. Difficilius res se habet quando acatholici permixtim vivunt cum catholicis. Ut claritati consulamus, iterum casus proponere necesse est.

1. Ad communitatem hæreticorum, cujus sedes principalis est aliqua civitas, pertinent hæretici in amplissimo circuitu et quidem

*) Sic c. gr. Ratisbonæ Protestantes a parochia sua, quam „Novam Parochiam“ vocant jam a. 1542. fundata, duas alias post promulgatum Tridentinum dismembrarunt: unam Ss. Trinitatis, alteram a S. Oswaldo vocatam quæ posterior decursu temporis jura parochialia amisit.

jam antequam c. »Tametsi« promulgetur in singulis parochiis catholicis quæ continentur in illo vasto circuitu. Hæretici in civitate illa degentes certe non obligantur lege Tridentina, at quid de hæreticis dispersis in multis parochiis catholicis? Eos posse in civitate illa matrimonium absque forma substantiali valide contrahere, non videtur dubium. At possuntne etiam in singulis locis commorationis matrimonium absque forma Tridentina valide contrahere? Sententia affirmativa nobis arridet; nam hæretici etiam dispersi jam pertinent ad communitatem separatam; ergo non afficiuntur promulgatione. Et ipsi non solum in eorum templis, sed ubique contrahere valent.

2. Eidem affirmativæ sententiæ subscribendum putamus quando agitur de dismembratione alicujus hæreticorum »parochiæ« ab antiqua parochia legi Tridentinæ non obnoxia, licet nova parochia erigatur in finibus catholicorum; nam decretum »Tametsi«, promulgatum catholicis, non censetur promulgatum hæreticis; cfr. epistolam cit. *Pii VII.* ad *Napoleonem I.*

3. Verumtamen si acatholici qui pertinebant ad communitatem a lege Tridentina liberam, immigrantes in locum decreto »Tametsi« ligatum qui nequaquam pertinebat ad territorium communitatis acatholicæ constituunt etiam propriam communitatem, immunes non censentur a lege Tridentina; nam territorium quod occupant, quoad omnes — non exceptis acatholicis — subjectum videtur legi Tridentinæ.

Iterum inculcamus hic monitum Sedis Apostolicæ: Recurrendum in singulis casibus. Sancta Sedes enim est quæ non solum *declarationibus*, sed etiam *dispensationibus* matrimoniis acatholicorum providere potest. Quod et fecit.

62. *Declarationes S. Sedis circa matrimonia acatholicorum.* Celeberrima est declaratio *Benedicti XIV.* quæ incipit »Matrimonia« d. 4. Nov. 1741. circa matrimonia contracta in Ordinibus Fœderatis *Hollandiæ* et *Belgii.* Cum enim incerta esset disciplina in statibus fœderatis Hollandiæ et Belgii, proposita est quæstio *Clementi XII.* et quæsitum est quid esset sentiendum de matrimoniis hæreticorum, et de matrimoniis mixtis contractis, vel contrahendis in illis regionibus, non servata forma Tridentini Concilii. — Clemens viam universæ carnis ingressus est antequam quæstio resolveretur. *Benedictus XIV.* successor ejus, longo præhabito examine, declaravit et statuit matrimonia sive contracta sive contrahenda,

in dominio ordinum fœderatorum Belgii valida esse, dummodo aliquod impedimentum canonicum non obstaret. At hæc declaratio seu melius hæc constitutio Benedicti, veluti *ex motu proprio* lata innititur singularibus et exclusivis rationibus, quæ communes non sunt hæreticis aliorum locorum. Egregie totam quæstionem pro ingenio suo enucleavit *Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 6. c. 6. nn. 1. et sqq.

In n. 6. ibidem interpretatur propriam Const. *Matrimonia* d. 4. Nov. 1741. »Tres«, ait, »sunt partes illius Decreti quæ unicuique legenti occurrunt«. Prima versatur circa matrimonia inita, vel ineunda in locis *Hollandiæ, et Belgii* Fœderatorum Ordinum dominio subjectis, inter duos conjuges *hæreticos,* sine Catholici Parochi præsentia: et de his quidem decernitur, ea *valida* esse, tam quæ jam facta fuerint, quam quæ eodem modo in posterum fieri contingat.

De altero autem quæstionis capite, quod in secunda Decreti parte definitum fuit, nimirum de matrimoniis, quæ in iisdem Fœderati Belgii provinciis a *Catholico* viro aut muliere, cum *hæretica* fœmina aut viro, sine Catholici Parochi præsentia, contrahuntur, de quibus quærebatur, validane, an nulla habenda essent: concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, quod sicuti valida declarata fuerunt ea matrimonia, quæ in prædictis Fœderati Belgii provinciis inter duos contrahentes hæreticos, sine Parochi præsentia, inita essent, ita *valida* dici deberent illa, quæ in iisdem locis inter duas partes, *alteram Catholicam, et alteram hæreticam,* eodem modo contracta forent: quoniam, cum conjugum alter, tum *ratione loci,* in quo habitat, tum *ratione societatis,* in qua vivit, exemptus sit a Tridentinæ Synodi lege; exemptio, qua ipsa fruitur, alteri parti communicata remanet, propter *individuitatem contractus* vi cujus exemptio, quæ uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur, eidemque communicatur.

Ultima Decreti nostri pars ea respicit matrimonia, quæ in Catholicorum Principum regionibus fiunt ab iis, qui domicilium habent in aliis regionibus Fœderatorum Ordinum dominio subjectis, necnon illa, quæ in provinciis Fœderatis contrahuntur ab his, quorum domicilium situm est in dominio Principum Catholicorum. De quibus sane reputatum fuit nihil necesse esse peculiariter statuere, cum satis provisum sit per Canonici Juris *regulas* jam pridem constitutas de iis, qui *relicta regione, in qua domicilium habent,*

nec novo alibi domicilio, vel quasi, adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahere cupiunt. De quibus regulis, ait *Benedictus,* nos ipsi egimus in nostra *Institutione 33.* editionis Latinæ.

Unde sequitur: 1. Valida declarantur matrimonia inter duos conjuges *hæreticos* in locis Hollandiæ et Belgii Fœderatorum Ordinum dominio etiam absque parochi etc. præsentia et jam contracta usque ad d. 4. Nov. 1741. et exinde contrahenda. 2. Item valida declarantur iisdem in circumstantiis matrimonia mixta »propter individuitatem contractus vi cujus exemptio quæ uni ex partibus competit, ad alteram (secundum etiam civiles leges) extenditur eique communicatur«. 3. Matrimonia mere catholica legi Tridentinæ sunt subjecta (c. l. n. XIII.).

4. Dicta sub nn. 1—3. non valent nisi pro iis qui acquisito in dominio Fœderatorum Ordinum Hollandiæ et Belgii domicilio ibidem etiam contrahunt; nam lex Tridentina localis eademque personalis est.

63. Hæc Constitutio non est dispensatio, sed declaratio uti patet ex verbis finalibus ipsius Constitutionis »*Matrimonia*«, ex alia Const. ejusdem Pontificis quæ incipit *Singulari Nobis* d. 9. Febr. 1749. §. 17., necnon ex sæpe citata epistola *Pii VII.* d. 27. Junii 1805. quæ sic loquitur: »Decretum non constituit novum jus, sed est tantum declaratio i. e. explicatio quid sint de facto matrimonia illa.«

Exinde sequi videtur: Constitutionem *Matrimonia* non solum Fœderatis Ordinibus Hollandiæ et Belgii applicatam esse, sed applicari posse ubicunque eædem militant rationes. Nihilominus S. Sedes extensionem hujus declarationis ad alias regiones sibi ipsi ob gravitatem materiæ reservavit. Et de facto videmus eandem extensionem factam fuisse ad nonnullas regiones, ubi eædem aderant rationes. — Quoniam vero extensio non privatorum est ne Ordinariorum quidem, sed Sedis Apostolicæ, operæ pretium non videtur rationes expendere, quæ fortasse causa fuerint Benedictinæ declarationis.

Catalogum regionum ubi nunc temporis valet declaratio *Matrimonia,* invenies in fine hujus libri.

64. Priusquam gressus facimus ad dispensationes S. Sedis hac in re, principium propositum a *Benedicto XIV.* in *Syn.* l. 6. c. 6. n. 12., sc. »Exemptio qua ipsa (una pars) fruitur, alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus«, aliqua

circumscriptione indiget. Nam doctissimus Pontifex non generaliter loquitur ita ut hoc principium applicari possit etiam ceteris impedimentis, sed restringit sermonem ad impedimentum clandestinitatis, optimo sane jure. Nam contrahentes celebrare possunt contractum nuptialem juxta legem domicilii utriuslibet domicilii. Atqui pars hæretica pertinet ad domicilium (spectata etiam societate religiosa) ubi non obligat lex Tridentina. Ergo. Quodsi contrahentes matrimonium inire volunt in loco ubi c. »Tametsi« obligat *omnes*, formam Tridentinam observare debent; etenim *locus regit actum.*

At nostris temporibus etiam quoad impedimentum clandestinitatis exceptio statuta est ita ut in illo loco matrimonia *mixta* non sequantur immunitatem matrimoniorum hæreticorum, sed obligationem matrimoniorum catholicorum. En textus decreti S. C. Neg. Extrao. d. 12. Jan. 1890. *Ex audientia Ssmi.* — Ad dirimendas quascumque controversias circa validitatem matrimoniorum quæ in insula *Melitensi* contrahuntur, Sanctissimus Dominus Noster *Leo* divina Providentia Papa *XIII.*, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis extraordinariis præpositæ, hæc quæ sequuntur, pro Apostolico suo munere statuit decernenda:

I. Matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus qui *catholicam* profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholicus, alter heterodoxus, valida non esse, nisi celebrata fuerint juxta formam a S. Concilio Tridentino præscriptam in c. 1. »Tametsi«, sess. 24. *de Reform. matr.*

II. Eos vero qui *diversum a catholico* cultum profitentur, valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo cæteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Unde sequitur: In insula *Melitensi* 1. matrimonia sive mere catholica sive mixta contracta vel contrahenda absque forma Tridentina esse nulla; 2. matrimonia vero hæretica *contrahenda* etiam absque ejusmodi forma esse valida, dummodo aliud non obstiterit impedimentum.

Novis deinde precibus Præsulis *Melitensis* permota S. C. Inq. decretum superius allegatum extendit etiam ad matrimonia hæreticorum jam *contracta* d. 2. Junii 1892., quod decretum S. P. *Leo XIII.*

ratum habuit d. 3. Junii 1892. — Utrumque decretum speciale jus constituere pro insula *Melitensi* tantum, perspicuum est.

65. *Dispensationes.* Sedes Apostolica, benigna mater, non solum ipsa lege ejusque declarationibus respiciebat hæreticorum matrimonia, sed etiam dispensationibus succurrebat. *Pius VIII.* e. gr. Brevi d. 25. Martii 1830 episcopis *Rhenanis* (sc. *Borussiæ)* directo matrimoniis mixtis et jam contractis et adhuc contrahendis providit hisce verbis: »Ad conjunctiones quod attinet, quæ ísthic usque ad præsens tempus sine parochi præsentia initæ sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi valeatis. Nunc autem per nostras has literas volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quæ posthac, a die videlicet 25. Martii 1830. in vestris diœcesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino Concilio præscripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur«.

De *dispensatione* hic agi, non de *declaratione* ex eo patet, quod in Instructione ad prædictos antistites d. 3. Mart. 1830. concedebantur facultates ad *sananda in radice matrimonia* ante dictum terminum sine parocho catholico contracta, additis tamen his monitis: 1) ut delegati in singulis casibus perspiciant an matrimonium instaurari non possit per renovationem consensus; 2) . . . 3) ut abstineant a nuptiis imprudenter confirmandis quæ brevi per laicum magistratum solvendæ prævidentur.

S. Sedes postea similes dispensationes concessit præcipue pro aliquibus diœcesibus *Borussiæ,* e. gr. pro *Wratislavien.* vi decreti *Pii IX.* d. 21. Sept. 1877 necnon pro *Hungaria* et *Transsylvania* vi decreti *Gregorii XVI.* a. 1841.

Hæretici denique etiam ex hoc liberari possunt a lege Tridentina quia *publica impossibilitas* eos prohibet quominus adeant parochum catholicum, de quo casu plura inferius. —

66. Postquam in præcedentibus toties locuti sumus de hæreticis, necessario explicandum nobis est quæ personæ cadant in hac materia sub nomine hæreticorum vel acatholicorum.

In nostra materia ille hæreticus est qui ad falsam religionem sive sectam pertinet sive in ea *educatus* sit sive a fide catholica *defecerit,* item sive circa veritatem suæ religionis sit in *bona* sive in *mala* fide. Attamen in nostra quæstione ille non censetur hæ-

reticus qui externe non adhæret sectæ, licet animo a fide catholica defecerit. Concludi hoc potest ex responsis S. Officii dd. 6. Apr. 1859 et 30. Jan. 1867 ad I^um^., resp. d. 25. Maji 1897.

»Cum (vero) catholicus se *simulat* protestantem aut apostatam eo consilio, ut matrimonium ineat cum muliere catholica coram ministro protestante et duobus testibus, ejusmodi matrimonium estne validum?

Resp. *Negative:* cum enim alter conjugum hæresim simulat aut apostasiam, non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocirca cum ambo conjuges sint reapse catholici, clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si conjugum alter non hæc simularet solum, sed vere animo a catholica fide deficeret, ad hæreticam transiens pravitatem, tunc profecto mixtum exsurgeret matrimonium, quod ratum habendum esse ex superius dictis manifeste apparet (A. S. S. vol. 26. pag. 381. n. 8.).

67. Supradictis modis licet S. Sedes providerit valori matrimoniorum hæreticorum, remanent tamen regiones pro quibus neque declarationes neque dispensationes datæ sunt, quæ ergo legi Tridentinæ obnoxiæ sunt, inter quas numerandæ sunt præter regiones Europæ meridionales provinciæ *Austriæ* germanicæ et *Bavaria* saltem quæ vocatur »Antiqua«. Quid agere debent ejusmodi acatholici, ut consulant matrimoniorum valori; quid parochi catholici?

Personis acatholicis sane matrimoniorum valor forma Tridentina procurandus regulariter tunc demum cordi est quando uterque vel alteruter convertitur ad fidem catholicam vel quando persona acatholica dissoluto matrimonio cum priore conjuge novas nuptias cum persona catholica appetit. In hisce casibus parochus consulat Ordinarium et hic S. Sedem nisi agatur de casu ubi et factum et jus perspicuum est. —

Attamen nonnunquam parocho catholico occasio occurret procurandi valorem matrimonii inter personas hæreticas. Aget enim parochus (vel alius sacerdos) vel Episcopus coram *republica* personam *magistratus civilis*, coram *Ecclesia* autem personam *testis auctorizabilis* in hoc casu. Qua de re S. C. Inq. aliquoties suam protulit sententiam. — Et responsum ad Episcopum *Barden.* (Bardstown seu Louisville): Humiliter exponit (Ep. *Barden.)* quod multi protestantes, absque ulla intentione religionem catholicam amplectendi, sæpe sollicitant, ut vel coram uno e suis sacerdotibus, vel coram Episcopo ipso consensum ad matrimonium contrahendum

præstent. Notandum est quod in talibus circumstantiis non tamquam sacerdotes, sed sicut magistratus civiles agerent Episcopus et sacerdotes, quod legibus reipublicæ licitum est. Nunc quærit utrum ipsi missionariisque suis liceat talibus præesse matrimoniis.

R. Si agatur de matrimonio inter duas partes hæreticas, licet hujusmodi interventus non ita reprobetur, ut numquam licitus esse possit, communiter tamen esse *dissuadendum.* Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtæ religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, *licere* (A. S. S. vol. 26. pag. 512.). — Similiter respondit S. Officium d. 11. Dec. 1850 ad Vic. Ap. *Sandwicen.* Ad V. in 2ª. parte; cfr. A. S. S. vol. 26. pag. 514—516. — Aliter autem respondit Emus Præfectus M. Card. *Ledochowski* ad epistolam in qua petiit Archiepiscopus *Neo-Aurelianensis,* utrum liceret sacerdoti catholico tamquam ministrum civilem se habere in celebratione matrimoniorum Protestantium: »*Id licitum est; hoc enim in casu sacerdos est tamquam testis auctorizabilis*«.*)

In primo responso missionariis dissuadetur assistentia; in secundo vetantur assistere nisi speciales excusant circumstantiæ; in tertio significatur: id licitum esse. Quomodo explicatur harum responsionum discrepantia? — Quoties legislatio civilis circa matrimonia *infidelium* correspondet legi divinæ, nihil est quod sacerdotem catholicum possit prohibere quominus assistat matrimoniis infidelium tamquam *magistratus civilis,* hoc patet ex dictis in tit. *Ne clerici* (III. 50) n. 4. pag. 466. necnon in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 107. pag. 37. At quando legislatio ejusmodi unquam convenit juri divino; nam in quacunque legislatione civili divortium sancitum est. Ecce jam unum impedimentum. Quoad matrimonia hæreticorum, sive utraque pars hæretica sit sive alterutra, idem dicendum est a fortiori, verum etiam adjungendum sacerdotem catholicum ex eo non posse assistere quia et jus quod prætendit Status in matrimonium baptizatorum quasi agnoscit, et quia cautiones ab Ecclesia requiri solitæ in matrimoniis christianis non præstantur. Nihilominus ad præcavenda mala majora facultatem assistendi concedi posse ex unoquoque trium responsorum citatorum conjici licet. Quare in diœcesi *Neo-Aurelianen.* permissa fuerit assistentia sacer-

*) A. S. S. vol. 28. pag. 568.; Mon. Eccl. vol. IX. p. 1. pag. 222. n. II. Neutro in loco exhibetur datum hujus epistolæ.

dotis tamquam testis auctorizabilis, judicare non est nostrum; nam declarationem Benedictinam ad illam diœcesim esse extensam rescripto S. C. Inq. d. 9. Sept. 1824. haud ignoramus, speciales tamen illius regionis conditiones non novimus.

Hæc dicta sint de extensione decreti Tridentini. Nunc ut sensus decreti determinetur, videndum est quinam sit *Parochus* proprius.

De Parocho proprio in matrimonio.

68. Parochus proprius alicujus fidelis potest esse 1°. ille in cujus Parœcia quis baptizatus est, et dicitur *Parochus originis;* 2°. ille in cujus Parœcia quis habet *domicilium* vel *quasi domicilium;* 3°. ille in cujus parochia quis forte *commoratur* vel simpliciter reperitur ob causam prorsus accidentalem et precariam ex. gr. ob causam rusticandi, vel ob rei familiaris negotium gerendum.

Quinam horum erit proprius Parochus ad valide contrahendum matrimonium?

Hanc quæstionem præ aliis pertractat *Benedictus XIV.* in *Institut. Ecclesiast.* 33. nn. 6. seqq. et principii loco statuit; *non* attendi *originem* ad determinandum Parochum proprium, ratione matrimonii contrahendi. Nam Concilium Tridentinum in matrimoniali contractu induxit formam substantialem ut a Parocho cognoscerentur contrahentes et evitaretur periculum contrahendi novas nuptias, prioribus adhuc exsistentibus.

69. Jam vero Parochus proprius ratione solius *originis* non præsumitur cognoscere personas fidelium, qui licet nati in ejus Parœcia, modo tamen alibi commorantur.

Accedit ratio: nam in jure origo personæ in relatione ad auctoritatem Ecclesiasticam non attenditur, nisi expresse in hac re caveatur, quemadmodum verificatur quoad sacram *ordinationem.*

70. Hinc in contractu matrimonii, ut habeatur Parochus proprius, attendi debet *Parochus domicilii.* Nam Parochus proprius in jure ille est, a quo quis recipit sacramenta, in cujus jurisdictione quis jura habet parochialia, et cui quis solvit onera.

Hinc Parochus proprius simpliciter appellatus, ille in jure dicitur, in cujus Parœcia quis non precarie commoratur. Et ita declarasse S. C. Concilii refert *Benedictus XIV.* in cit. *Institut.* 33.

Juxta c. 2. *De sepulturis* (III. 12) in 6°. aliquis potest habere duo domicilia, »se collocans æqualiter in utroque«, uti in nonnullis familiis est mos quæ hieme in civitate, æstate autem in villa (ruri) degunt et quidem æqualiter juxta æstimationem hominum. Itaque et parochus domus in civitate et parochus villæ ad contrahendum matrimonium, sicut ad cetera sacramenta administranda est proprius.

71. Quoniam vero duo sunt contrahentes qui possunt pertinere ad diversas Parœcias, quæritur coram quo Parocho contractus matrimonialis perfici debeat.

Placuit vero posse matrimonium celebrari coram Parocho *alterutrius* sponsi. Licet ergo soleat matrimonium celebrari coram Parocho *sponsæ* quæ in domum viri traducitur, tamen et validum et licitum est matrimonium contractum coram Parocho viri. — Ceterum sequendæ sunt singularum Diœcesium Ordinationes in hac re.

72. Et quidem quoniam Trident. Concilium absolute dicit matrimonium celebrandum esse coram Parocho, matrimonium validum erit, si in Parochia sponsi contrahatur coram Parocho sponsæ, vel viceversa, licet Parœciæ ad diversam Diœcesim pertineant; ad validitatem enim matrimonii sufficit præsentia Parochi proprii. Atque ita respondisse S. C. Concilii in *Aquilana* refert *Giraldi. Exp. Jur. Pont.* Parte 2ª. Sect. 115. Præsentia enim Parochi in matrimonio proprie non exhibet exercitium jurisdictionis, quia Parochus juxta Concilium Tridentinum solummodo præstat assistentiam ceu *testis qualificatus* aut ad summum præsentia Parochi considerari potest, ceu actus jurisdictionis *voluntariæ,* quæ semper exerceri potest, etiam extra proprium territorium sine pompa et apparatu functionis publicæ pastoralis.

73. Hinc de *communi* jure in aliena Parœcia, inaudito vel etiam invito Parocho loci, poterit Parochus assistere licite matrimonio sui vel suorum Parochianorum, dummodo celebratio fiat in *privato* loco, seu clam et absque benedictione nuptiali. Cf. *Reiffenst.* h. t. n. 65.

74. Præter domicilium, in matrimonio consideratur etiam *quasi-domicilium.* Domicilium enim importat animum seu intentionem *in perpetuum* alicubi commorandi; quasidomicilium autem importat animum seu intentionem alicubi *diuturnam* moram habendi i. e. per majorem anni partem. Quoad domicilium enasci non potest diffi-

cultas. Nam eo ipso quod quis in aliquo loco domicilium figat seu resideat de facto, et intendat et declaret se velle in perpetuum ibidem commorari, eo ipso subditur Parocho loci, idest domicilium contrahitur statim ac quis incipiat habitare in loco, ubi intendit stabiliter seu in perpetuum remanere; l. »Cives« 7. C. *De incolis.* Hinc statim sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Nec attenditur dispositio *Innocentii XII.* '*Speculatores*' quæ decennium requirit ad sortiendum proprium Episcopum domicilii; nam hæc dispositio data est pro Ordinum susceptione. Quare qui se transtulit in alium locum et acquisivit ibi domicilium, poterit contrahere matrimonium.

75. Quoad vero *quasidomicilium* in genere dici potest illud constitui *per diuturnam moram.* Quare contrahit aliquis quasi domicilium, quando se transfert in aliquem locum, cum intentione in eodem diu commorandi. Intentio autem eruitur ex *fine* commorationis. Si enim finis est precarius, qui nempe indeterminatam importet moram, quæque esse potest etiam brevissima, et prorsus remissa voluntati commorantis, non acquiritur quasidomicilium. Unde qui in aliquo loco reperitur rusticandi gratia, vel ad explendum negotium rei familiaris, vel ut valetudini suæ consulat, non acquirit in loco quasidomicilium, et per consequens non sortitur Parochum proprium ad contrahendum matrimonium. Quare *Bened. XIV. Inst. 33. n. 7.* refert S. C. Concilii hæc tamquam principium statuisse: 'Sacra Congregatio inhærendo declarationibus, alias factis respondit: Parochum *ruralem non esse* verum et proprium Parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonia valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse'. Plures deinde alias decisiones S. Congreg. refert Benedictus in eodem loco. — Ratio est quia natura rei et finis objectivus, importat indeterminatam et vere precariam habitationem, etiam brevissimam unius diei. Quando quæstio de commoratione *rusticandi causa* proponitur, bene distinguendum est, utrum persona rus eat ad breve tempus recreationis causa an *domicilium* suum occupet rusticum, sicut æqualiter alio tempore domicilium urbanum; cfr. supra n. 70. et *Gasparri:* l. c. n. 932. pag. 134.

76. Quando autem finis secumfert diuturnam commorationem in aliquo loco, acquiritur ibi quasidomicilium. Hinc discipuli et magistri in civitate ubi est Universitas studiorum, quasidomicilium sortiuntur. Idem dicendum de judicibus et in genere de publicis

officialibus, qui in aliquem locum mittuntur, ut ibi officium aliquod permanens exerceant. Isti omnes in loco quasi domicilii sortiuntur Parochum proprium ad valide matrimonium contrahendum, quia revera Parochus loci administrat eis sacramenta, et relate ad eos exercet jura parochialia.

Hinc proposito dubio 'Quid si contrahens in aliquo loco commoretur, tamquam Prætor, Judex, seu medicus temporalis, valetne matrimonium contractum coram Parocho ejusdem loci?' S. Congregatio respondit: *valere.* Ita penes *Benedictum XIV.* l. c. n. 11.

Idem proportionate dicendum quoad filios familias, servos, ancillas, milites, carceribus detentos, infirmos, si conditiones requisitæ adsunt; cfr. *Gasparri:* l. c. nn. 925. et sqq.

77. Et quidem quoniam qui ratione alicujus causæ ex supradictis, vel similibus, statim acquirit in loco commorationis novæ quasidomicilium, uti communis fert sententia Doctorum, hinc illi qui se conferunt ad aliquem locum ob unam ex præfatis causis, valide ibidem matrimonium contrahunt, statim ac commorari incipiunt; idest etiam prima die; eo quia a prima die sortiuntur parochum proprium ad Sacramenta recipienda in loco quasidomicilii. Ad honestatem vero actus, Doctores tradunt, matrimonium celebrandum esse postquam novi incolæ per illud tempus in loco habitaverint, quo a Parocho sufficienter cogniti fuerint. Cf. Epist. *Bened. XIV. Paucis abhinc hebdomadis* d. 19. Martii 1758, ad Archiepiscopum *Goanum,* quæ legitur in Appendice tom. III. Bullarii ejusdem Pontificis.

78. Sed quoad matrimonii validitatem est aliquid amplius. Quasidomicilium enim arguitur etiam ex facto longæ commorationis, idest quando ad matrimonium ineundum, contrahentes in aliquem locum se transtulerint, ibique diu commorati fuerint, *ipsum factum* diuturnæ moræ inducit præsumptionem intentionis quasidomicilium acquirendi præcise ad matrimonium contrahendum. Cf. hac in re cit. Epist. *Bened. XIV.* ad Goanum archiepiscopum.

79. Refert in ea Pontifex, resolutionem S. C. Concilii excerptam ex *Fagnano* in c. 5. *De parochis* (III. 29) n. 39. cujus species hæc erat: Vir et mulier *Trajectenses,* cum timerent ne obstacula a parentibus interponerentur ad contrahendum in patria sua matrimonium, vicinam urbem *Aquisgranam* petierunt, atque ibi post aliquod tempus contraxerunt matrimonium. S. Congregatio consulta de hac re censuit expendendum esse tempus quo

contrahentes Aquisgranæ commorati erant. Quod si fuisset saltem *unius mensis,* respondit dandam esse decisionem pro validitate matrimonii. Huic decisioni adhæret *Bened. XIV.* in loc. cit. §. 'Post hæc'.

Unde concludi quidem minime potest quasidomicilium contrahi commoratione saltem unius mensis, merito tamen concluditur ex tali commoratione intentio permanendi per majorem anni partem, nisi contrarium constet.

Hanc tractationem de quasidomicilio in ordine ad matrimonii valorem enucleamus verbis clarissimi *Feije* in 5. editione sui operis: '*De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*' n. 227. Hic clarissimus auctor testatur, se Romæ ex authentico documento didicisse 'S. Sedis mentem esse, ad quasidomicilium duo hæc simul requiri, habitationem nempe in loco ubi matrimonium contrahitur, atque animum ibi permanendi per majorem anni partem; ex primo autem die, quo hæc duo simul concurrunt, acquisitum esse quasidomicilium; quod si de prædicto animo non constet, ad indicia recurrendum esse, quæ moralem certitudinem pariant; inter hæc autem unum ex præcipuis esse, quod *Benedictus XIV.* const. *Paucis abhinc,* indicat, menstruam nempe habitationem; ex hoc enim haberi præsumptionem juris pro intentione manendi, per majorem anni partem; contrarium tamen ferri debere judicium, si aliunde certo constet animum illum non exstitisse.'

Quæ usque nunc fuerunt explicata valent secundum jus *commune,* at *particulari* jure commorationi saltem unius mensis etiam major effectus adscribitur. Sic in *Statibus Americæ Septentrionalis Fœderatis.* Eminentissimi enim Inquisitores Generales d. 6. Maji 1886. re mature perpensa sequens ediderunt decretum: »Concilio Baltimorensi postulante supplicandum Ssmo ut decernere dignetur in Statibus Americæ Confœderatis, se transferentes e loco, ubi viget caput *Tametsi,* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint *per spatium saltem unius integri mensis* et status sui libertatem, uti juris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere *quasidomicilium* in ordine ad Matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem.' — In audientia vero d. 12. Maji 1886, referente R. P. D. Josepho D'Annibale S. Officii adsessore, SSmus Dñs *Leo XIII.* prædictum EE. PP. Decretum sua auctoritate ratum habere et confirmare dignatus est, contrariis quibuscumque non obstantibus.«

Multas quæstiones funditus sublatas esse præsertim in America Septentrionali non paulúm fluctuante grato animo agnoscendum. Unde sequitur: 1. In Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis tantum hoc jus particulare valere, non in ceteris rebuspublicis Americæ, uti etiam apparet ex decisione S. C. Concilii in *Ayacuquen.* d. 21. Máji 1892. (Perù). 2. Commoratio saltem unius integri mensis constituit quasidomicilium in ordine ad contrahendum matrimonium. Quare si commoratio interrumpitur vel abbreviatur etiam spatio tantum unius diei, fundamentum quasidomicilii deest.

80. Nunc quæritur, quid dicendum, si locus mutetur in *fraudem legis,* ne contractus matrimonii celebretur coram Parocho veri et proprii domicilii?

Profecto si duo domicilium proprium non relinquentes, sed illud conservantes, ad alium locum se transferant, et ibi ineant matrimonium, *quin* antea contraxerint saltem quasidomicilium, matrimonium irritum est. Et ratio est, quia matrimonium in præfata hypothesi censetur contractum in fraudem legis; qui vero contra legem et in fraudem legis agit, nihil agit. Et hæc conclusio valet etsi duo se conferant in locum ubi promulgatum non est Tridentinum, et ibi matrimonium contrahant absque Parocho et testibus.

81. Quod si vero duo ad contrahendum matrimonium se conferant in alium locum cum intentione ibidem tanto tempore manendi, quantum requiritur ad acquirendum *quasidomicilium,* matrimonium valet, quia quasidomicilium adepti sunt. Hinc non contrahunt matrimonium in fraudem legis, sed contrahunt quasidomicilium a lege non prohibitum, quod a jure requiritur ad matrimonium ineundum. Conferri potest resolutio S. C. Concilii in *Coloniensi* approbata ab *Urbano VIII.* die 14. Augusti 1627, quam refert *Benedict. XIV.* in cit. constit. 33. n. 9. Conferri etiam potest resolutio ejusdem S. Congreg. die 22. Febr. 1631 relata a *Giraldi* l. c. n. 4. Cf. *Fagnanus* comm. in c. 5. *De parochis* (III. 29) nn. 19. seqq.

Cl. Auctor pro modesta sua scribendi ratione rem tractavit ita ut libentissime huic sententiæ subscribamus, licet contraria sententia a tot tantisque auctoribus communis, communior, imo communissima vocetur. Sententia enim *adversariorum* tuetur: matrimonium a personis lege Tridentina ligatis in loco ubi eadem lex Tridentina non obligat absque forma Tridentina contractum tunc

solum esse irritum quando ejusmodi personæ alio se transferebant *cum intentione* evitandi legem Tridentinam; quæ tamen intentio sanatur acquisitione domicilii vel quasidomicilii in loco ubi c. »Tametsi« non obligat. *Nostra* autem sententia est: Quotiescunque personæ lege Tridentina ligati contrahunt matrimonium absque forma Tridentina etiam in loco ubi c. »Tametsi« non obligat nullo acquisito ibidem domicilio vel quasidomicilio, *invalide* contrahunt. Etenim intentio non respicitur, sed factum (fraus *objectiva,* non *subjectiva).* »*Non* enim«, ait Editor A. S. S., »*propter fraudem animo intentam* irritum est matrimonium, sed propter *factum,* quod facile frustraneam redderet Tridentinam legem«; A. S. S. vol. II. pag. 398. nn. I—IV., præsertim in II.; vol. I. pag. 138. n. IX°. (S. C. C. d. 28. Aug. 1864.) Rationes sententiæ quæ fraudem in *facto* ponit, non in intentione, sunt hæ: 1. Naturalis interpretatio rescripti S. C. Concilii in *Colonien.* d. 6. Sept. 1626., expresse confirmati a SS. PP. *Urbano VIII.* per Breve d. 14. Aug. 1627. et *Benedicto XIV.* in Literis »*Paucis abhinc*« d. 19. Mart. 1758. (Bullarium hujus Pontificis, tom. III. p. 2. pag. 496.); 2. Resolutiones SS. CC. Romanarum; a) S. C. C. in *Roman.* d. 22. Febr. 1631. Duo sponsi discedentes a loco domicilii, illud autem minime relinquentes, alibi contraxerunt in forma Tridentina quidem, at non acquisito domicilio vel quasidomicilio. Nolebant evitare legem Tridentinam, sed vexationes fortasse parentum. Fraus subjectiva (i. e. intentio agendi contra decretum Concilii) non aderat; aderat autem fraus *objectiva* i. e. de facto subtraxerunt se proprio parocho. Matrimonium igitur declaratum est *nullum (Inst.* 33. Benedicti XIV. 4°.)

b) Instructio S. Off. d. 14. Dec. 1851. ad archiep. *S. Francisci,* ubi hoc continetur: Legem Tridentinam »*localem et personalem* esse in confesso est apud omnes: quatenus *localis,* afficit territorium eosque qui ibi matrimonio jungendi sunt, obligat; quatenus vero *personalis* est, obligat qui domicilium vel quasidomicilium habentes in loco ubi Tridentinum decretum promulgatum est et viget, in altero ubi illud non viget, contrahere vellent«. (A. S. S. vol. 26. pag. 256.)

c) Resolutio S. C. Inq. d. 6. Apr. 1895. in causa *Parisien.* Matrimonium contractum erat *cum fraude objectiva* sc. duo sponsi lege Tridentina obligati inibant matrimonium Londini, ubi non obligat decr. »Tametsi«, absque forma Tridentina; domicilium vel quasidomicilium non erat acquisitum Londini. Intentio erat evi-

tandi legem militarem Galliæ, non canonicam Ecclesiæ. Ergo fraus *subjectiva* non aderat. Curia *Parisiensis* sententia tulit d. 13. Martii 1895.: Constare de nullitate matrimonii in casu ex defectu formæ Tridentinæ. Cui sententiæ adhæsit S. Officium d. 6. Apr. 1895. De modo quomodo approbaverit S. Officium illam sententiam, alio loco sermo redibit. —

Satis superque nostram sententiam confirmasse putamus. Qui plura desiderat, potest conferre articulum cl. *Gasparri:* in folio periodico cui titulus *Canoniste Contemporain* a. 1891. pag. 305. necnon articulum *Editoris* hujus Commentarii im *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. 71. pag. 54.

De matrimonio vagorum.

82. Vagi distinguuntur a peregrinis. *Vagus* est, qui relicto prorsus suo domicilio, sedem quærit alibi; seu melius vagi sunt, qui nullam sedem stabilem habentes, neque domicilium, neque quasi-domicilium, alicubi figunt. *Peregrinus* est ille, qui iter facit eo consilio, ut aliquando ad pristinum domicilium revertatur.

Porro peregrini tenentur, ut quisque videt, lege Tridentina, et non possunt contrahere in locis ubi versantur, nisi saltem quasi domicilium ibi fuerint adepti.

83. Vagi autem valide contrahunt coram Parocho loci ubi versantur. Ita sententia communis doctorum et *Bened. XIV.* cit. const. n. 10. Vagi enim in loco *ubi promulgatum est Concilium Tridentinum,* proprium Parochum habere debent, ut verificetur lex Tridentina, quæ generaliter cavet matrimonium non aliter valere, quam si coram proprio Parocho contrahatur. Jam vero nullus alius potest esse Parochus personæ vagantis, quam Parochus loci illius ubi actu ipse vagus versatur.

84. Dixi ubi promulgatum est Concilium Tridentinum; nam ubi promulgatum *non* est, vagi valide contrahunt matrimonium absque ulla præsentia Parochi et testium. Nam vagi carentes domicilio proprio, sequuntur mores loci in quo versantur.

85. Et quidem matrimonium valet, licet unus tantum ex contrahentibus sit vagus, quia Concilium Tridentinum, ob favorem matrimonii, in constituendo impedimento clandestinitatis, unius tantum ex contrahentibus conditionem et habilitatem attendere visum est.

86. Matrimonium autem vagorum valet, etiam, si contrahentes suam stabilem sedem deseruerint, *eo fine ut in conditione vagorum facilius matrimonium inire possent.* Nam tunc solum non valet matrimonium, quando contrahitur in fraudem legis, non autem quando nova conditio seu status quæritur, in quo lex, quæ in pristino domicilio obligabat, vel non amplius obliget vel obliget modo diverso. Hinc contrahentes qui deserunt domicilium et vagi fiunt ad contrahendum matrimonium, non offendunt directe legem, sed assumunt conditionem, in qua eis a lege matrimonium contrahere permittitur, et per consequens, vagis in casu optime applicatur principium legis 55. ff. *De Reg. Jur.: 'Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.'*

87. Ad valide autem contrahendum requiritur ut vagi reliquerint *serio,* non *ficto animo,* proprium domicilium, secus enim legibus domicilii sui adhuc obligantur.

88. Quoniam vero homines vagi non raro polygamiæ simultaneæ vitio maculantur, hinc Concilium Tridentinum sess. 24. c. 7. *De Ref. matrim.* præcipit Parochis, ne intersint matrimoniis eorundem vagorum, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, circa status libertatem, et nisi re Ordinario delata, ab eodem obtinuerint licentiam assistentiam præstandi.

Ex expositis principiis possunt resolvi quæstiones, quæ circa Parochum proprium ad valide contrahendum matrimonium enascuntur.

Ut enim matrimonium valide contrahatur requiritur 1°. Parochus proprius; 2°. ad proprium parochum sortiendum requiritur domicilium vel quasi domicilium, exceptis hominibus vagis. Si vero quæstio occurrat, conferri potest *Bened. XIV.* cit. *Instit.* 33. necnon *Giraldi* in citata sect. 118. parte II^a^. — Nunc

De qualitate proprii Parochi.

89. Tridentinum absolute edicit: matrimonium contrahendum esse coram proprio Parocho. »Omnes in districtu canonice circumscripto dependenter quidem ab Ordinario, tamen ordinario vel vicario jure curam actu gerentes« (cfr. tit. *De parochis* (III. 29) n. 17. pag. 273.) veniunt sub nomine parochi.

Ergo parochus *antiquus,* i. e. a cujus parochia dismembrata est nova, aut *primitivus,* i. e. ad quem pertinet parochia non pleno jure, assistere nequeunt matrimonio ita ut valeat. Aliter res se

habet cum parocho *habituali* ad quem pertinet parochia pleno jure; quia si vult, potest actualem vicarium privare parochia et se ipsum constituere, uti vidimus in tit. *De capellis monachorum* (III. 37) pag. 365. n. 3. Attamen non est suadendum. —

Quoad vero parochum quem superior definitio nobis exhibet, dummodo munere suo ne privetur, nihil interest respectu valoris matrimonii:

1) utrum sit *sacerdos* annon. Etiam sola *prima tonsura initiatum* et etiam clericum intra annum ad sacerdotium *non promotum* valide assistere, respondit S. C. Con. in *Abulen.* mense Dec. 1593. ad III. et in *Marianen.* d. 29. Martii 1653.;

2) item utrum sit *criminibus, censuris, irregularitatibus* irretitus annon; S. C. Conc. in *Dramov.* (l. 3. *Decret.* pag. 31.);

3) item utrum sit *amovibilis* an *inamovibilis,* dummodo remaneat parochus;

4) denique utrum ei assistentia ab Episcopo *interdicatur* necne. Attamen si Episcopus interdicit parocho amovibili assistentiam sub pœna amotionis, matrimonium assistente taliter interdicto non valet, nisi forte remanet parochus *putativus.* Nihilominus hæc pœna in parochos amovibiles non præsumitur et in parochis inamovibilibus locum habere nequit. — Matrimonium ergo valet coram parocho contractum quoties Parochus titulum sui beneficii retinet.

Titulus autem beneficii parochialis (in sensu canonum) ex 4 causis amitti potest: 1°. morte naturali; 2°. renuntiatione; 3°. translatione; 4°. privatione. Cfr. tit. *De concessione præbendæ* (III. 8) n. 4. pag. 126. Notandum in privatione quæ ipso jure procedit, valide assistit parochus usque ad sententiam declaratoriam judicis.

90. Merito tradunt DD.: valide assistere parochum cum titulo non solum vero, sed etiam *colorato* quando verificatur *error communis;* S. C. C. in *Ceneten.* d. 31. Julii 1627. (l. 13. pag. 305.) Titulus *coloratus* ille est qui habilis censetur a legibus ad transferendum beneficium, qui tamen vitio aliquo afficitur ita ut viribus careat in casu ad effectus suos actu producendos; e. gr. si collatio est nulla vitio simonia.

At quid judicandum est quando error communis quidem adest, *deest* tamen titulus et verus et coloratus (nam titulus existimatus nihil est nisi error communis). Controvertunt DD. At illi qui pro valore stant, nullam aliam rationem afferre possunt quam

sæpe decantatam: sc. Ecclesiam esse benignam matrem. Utique Ecclesia benignitate prædita est, sed prudenti quæ est in ædificationem, non in destructionem. — Nam Ecclesia non vult invasionem jurisdictionis quæ verificatur non raro in iis qui munera ecclesiastica exercent absque ullo titulo collationis. Facile dixerimus sententiam pro valore stantem probabilem non esse; nam 1°. praxim *Curiæ Romanæ* negativam sententiam sequi testatur *Thesaurus: De pœnis eccl.* ad v. »absolutio« c. 2. §. »Limita ut sufficiat«; 2°. S. C. Concilii in celebri causa *Patavina* d. 11. Dec. 1683. titulum existimatum cum errore communi minime agnovit, sed *invalide* absolvisse Capuccinos qui cum errore quidem populi communi, sed absque approbatione Episcopi absolutionem dederunt; cfr. *Benedictum XIV.* in *Inst.* 84. in fine. 3°. *Pius VI.* in Instructione ad *Galliæ* Episcopos d. 26. Sept. 1791. hæc scripsit: »Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, *neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum,* matrimonium coram eo contractum *nullius certe roboris* est«.

Aciem horum verborum frustra retundere contendit cl. *Gasparri:* c. l. n. 912. hisce verbis: »Cum intrusus institutus sit ab illegitima auctoritate, error communis, quo verus parochus existimetur, vix possibilis est«. Diximus »frustra«; nam 1. *Pius VI.* expresse requirit titulum sive verum sive coloratum; et quia neuter verificabatur, *ideo* declaravit talia matrimonia nulla; — 2. error communis etiam in intrusis parochis non impossibilis est. Testatur hoc historia; cfr. e. gr. librum cui titulus *Memorie storiche* compositum a Barthol. Card. *Pacca,* ed. 2. part. II. cp. 2. (Roma 1830. pag. 148. et sqq.)

91. Sub voce *parochi* comprehendi etiam *vicarium* qui universam curam actu gerit, jam in definitione innuimus. Huc pertinet: 1°. Parochiæ *vacantis* administrator (»provisor parochiæ«); 2°. Parochi vel *absentis* vel *infirmi* vel *imperiti* vicarius; cfr. tit. *De off. Vicarii* (I. 28) n. 5. l. I. pag. 222.; — a fortiori 3°. Vicarius perpetuus, de quo vide c. l. pag. 221.

Difficilius solvi potest quæstio de *coadjutore,* sc. de illo sacerdote qui parochum in cura animarum gerenda coadjuvat, ergo *cum* parocho operatur, non *loco* parochi. — Distinguendum est: a. Si Coadjutor parocho ita datur, ut universa animarum cura ipsi Coadjutori committatur ab Ordinario, dependenter quidem a parocho quoad licentiam, independenter quoad commissionem, Coad-

jutor valide assistit etiam sine licentia, imo contra voluntatem parochi atque etiam Ordinarii. Hoc eruitur ex celebri causa *Bosanen.* d. 28. Nov. 1789. unâ cum *Turritana* dd. 13. Jun. et 19. Dec. 1795. — b. Si Coadjutor constituitur, ut parochum adjuvet *in iis quæ idem parochus ipsi committit,* matrimoniis vi commissionis nequit assistere, sed delegatio requiritur; S. C. C. in cit. *Turritana.*

Itaque si quæras utrum in aliqua diœcesi Coadjutores (Cooperatores, Vicarii, Capellani) constituantur primo an altero modo, statuta diœcesana vel commissionis instrumenta erunt consulenda. Verum ipse Princeps-Episcopus *Brixinen.* cl. *Aichner* in suo *Compendio Jur. Eccl.* (ed. 7. pag. 660) quæstionem ne in sua diœcesi quidem decidere audet. — Certum est in provincia *Viennen.* (in Austria) et in archidiœcesi *Pragensi* Cooperatores mitti generali commissione instructi »administrandi omnia sacramenta«.

In *Gallia* id quod *Gury:* II. n. 850. contendit de generali facultate, non extra controversiam versatur juxta dicta apud *Gasparri:* c. l. n. 915.

In *Germania* commissio secundo loco descripta videtur esse ordinaria juxta *Bangen:* III. pag. 10.; item in *Belgio* juxta *Feije:* n. 266. — Nihilominus in *Bavaria* e. gr., non omnes Coadjutores ejusdem conditionis sunt: etenim alii de facto adjuvant parochum in iis, quæ ille ipsis committit; alii vero vices parochi gerunt apud ecclesiam filialem respectu totius animarum curæ, inter quos eminent Cooperatores *Expositi* qui etiam quoad habitationis locum, uti jam nomen indicat, a parocho sunt separati. Quoad priores Coadjutores nullum dubium; quoad alteros instrumentum commissionis erit inspiciendum.

92. Præter parochum valide assistit *Ordinarius* ex ipsis verbis Tridentini; dein qualitas et potestas parochi continetur *eminenter* in potestate Ordinarii. Nomine autem Ordinarii veniunt; »Episcopi, Administratores seu Vicarii Apostolici, Prælati seu Præfecti habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarii in spiritualibus Generales et sede vacante Vicarius Capitularis vel legitimus Administrator«, ex analogia decreti S. Off. d. 20. Febr. 1888. necnon d. 20. Apr. 1898. — Quoad Vicarium Generalem adest etiam responsum S. C. C. in *Carpen.* d. 21. Jan. 1680. (l. 31. *Decr.* pag. 1.) Denique constat Summum Pontificem esse Ordinarium eminenter totius catholici Orbis; ergo

omnibus matrimoniis assistentiam auctoritativam præstare et ad hoc delegare potest.

De sacerdote ad assistendum deputato.

93. Matrimonium, ait Tridentinum, fieri quoque potest »coram sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia«. Hæc *licentia* non est actus jurisdictionis, sed est mera deputatio. De qua deputatione hic fusius agendum est et quidem præcipue respectu *valoris* matrimonii. I. Quis dare potest hanc deputationem? II. Cui? III. Quomodo?

I. Deputare non potest nisi Parochus vel Ordinarius vel deputatus ab horum alterutro cum potestate subdelegandi. — Quæritur utrum quis habere possit *Ordinarium* proprium quin habeat *parochum* proprium? Mercator e. gr. vult in aliqua Civitate manere per majorem anni partem, minime tamen intendit manere per majorem anni partem in certa parochia hujus civitatis. Estne vagus, si non habeat alibi domicilium, an habet domicilium vel quasidomicilium in diœcesi, nullo acquisito in parochia? Vel si habeat alibi domicilium, estne peregrinus ita ut deputatio necessario sit exigenda a parocho vel Ordinario domicilii proprii an etiam Ordinarius illius civitatis potest deputare? Nihil usque adhuc decisum est a S. Sede; nihilominus domicilium in diœcesi quoad hoc non acquiri nisi acquirendo domicilium in parochia putamus. Nam parochus a Tridentino testis authorizabilis constituebatur; quia in parocho præsupponebatur cognitio parochianorum, non ita in Ordinario cognitio diœcesanorum. Dein tota jurisprudentia et civilis et canonica loquitur de acquirendo domicilio vel quasidomicilio in aliquo loco cui respondet parochia, non in aliqua provincia cui æquiparatur diœcesis. —

Juxta principium in jure generaliter vigens delegatus potest *subdelegare:* a) delegatus a Summo Pontifice; b) delegatus cum *expressa* potestate subdelegandi; c) delegatus *ad universatem causarum:* sive omnium curæ negotiorum sive omnium causarum matrimonialium; cfr. *Gasparri*. c. l. n. 945. —

Qui tribuit deputationem talem, eam vel absolute vel sub conditione dare potest. Quodsi concessio annectatur conditioni quæ non verificatur, deputatio ejusmodi nulla est. Sane in causa *Neapolitana* d. 19. Dec. 1868. a Vicario Generali licentia data erat parocho »*cui spectat*«. S. C. C. matrimonium ejusmodi declaravit

nullum. Egregie Acta S. Sedis: vol. IV. pag. 299. distinguunt hæc verba: *cui spectat.* Si continent *conditionem sine qua non* sc. parocho non concedo licentiam nisi spectat ad illum assistentia, matrimonium merito declaratur nullum; at si continent *causam:* sc. quia suppono parochum esse illum ad quem spectat, matrimonium validum est censendum. In illa tamen causa *Neapolitana* aliæ quoque nullitatis poterant adesse rationes.

94. *Cui concedi potest assistendi licentia?*

Juxta ipsius Concilii Tridentini verba nemini nisi *sacerdoti:* ergo non clerico solum tonsurato vel minoribus ordinibus initiato, neque subdiacono vel diacono, licet sit parochus vel etiam S. R. E. Cardinalis. — Hic adjungimus statim quæstionem de necessitate *acceptationis* vel *scientiæ* a parte deputandi.

Sacerdotem qui assistit matrimonio quin deputatum sese scit vel a jure vel ab homine ad assistendum, semper *illicite* agere, ex eo patet, quia tantum sacramentum exponere audet nullitati. Attamen alia est quæstio utrum sacerdos qui assistens matrimonio ignorat propriam deputationem, etiam semper *invalide* agat necne.

Rationes quidem *internæ* suadent: matrimonium valere cui assistat cum duobus saltem testibus sacerdos a parocho etc. deputatus, licet deputationem propriam ignoraverit.

Nam quilibet homo, præcipue vero sacerdos, præsumitur rationabiliter agere i. e. ita ut actio assequatur finem suum meliori modo quo potest. In hac autem voluntate generali comprehenditur etiam acceptatio deputationis de qua est sermo, nisi hanc acceptationem expresse excluderet. — Confirmatur hoc ex eo quod sacerdos ideo assistit ut consulat valori matrimonii, causæ cui favet Ecclesia c. 7. *De conditionibus* (IV. 5). Merito etiam adjungitur: hac assistentia etiam verbis Tridentini satisfieri; nam Tridentinum postulat, ut matrimonium fiat coram sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia. Et revera in nostro casu hæc duo requisita adsunt: adest sacerdos et adest licentia parochi etc. De delegatione enim *jurisdictionis* non agitur. Cfr. P. Ludovicum *Engel,* O. S. B. in suo *Collegio* in h. t. n. 17., ubi præclare rationes adversariorum rejicit.

Nihilominus non negamus sententiam quæ ad valorem requirit acceptationem vel scientiam, ob auctoritatem præcipue externam vere esse probabilem et in ineundo matrimonio solam observandam. Inprimis hæc negativa sententia fulcitur responso S. C. Concilii in *Nullius* d. 15. Apr. 1625. (lib. XIII. pag. 435) apud *Gi-*

valdi in *Exp. Jur. Pont.* p. II. sect. 115. n. XIV.: »Nullum est contractum coram Sacerdote deputato a Parocho, qui ignorabat illius deputationem, quæ etiam ignorabatur ab altero ex contrahentibus«. *Giraldi* tamen responsum recepit minus accurate; nam a) responsum datum est non d. 15. Apr. 1625., sed dd. 5. Dec. 1626 et 15. Apr. 1628.; — b) idem in l. 13. *Decr.* non invenitur non pag. 435., sed 335.; — c) textum integrum non retulit, qui textus sic se habet. »Ad quæstionem generalem coram S. H. C. (S. hac Congregatione) propositam, utrum matrimonium contractum coram sacerdote extraneo qui habet licentiam a proprio parocho unius ex contrahentibus, et ignorat se habere illam, prout etiam unus ex contrahentibus ignorat, sit validum? — S. C. respondit: Matrimonium, ut supra, contractum a Sacerdote, qui neque *certam* neque *præsumptam* scientiam, se habere licentiam a proprio parocho, habet, non esse validum«.

Ut matrimonium sit validum, requiritur licentia expressa sive verbis sive signis, at non requiritur scientia hujus licentiæ *certa,* sed sufficit *præsumpta.*

Aliqui DD. distinguentes contendunt: quando deputandus est *subditus* deputantis, acceptatio non est necessaria quia subditus obedire tenetur; secus si non est subditus; cfr. e. gr. *Aichner* in suo *Compendio* ed. 7. pag. 659.

95. III°. Jam in prioribus quæstionibus tetigimus *modum* quo danda est ejusmodi deputatio, nunc ex professo de hoc modo loquimur. Porro delegatio seu potius deputatio dividitur 1°. ratione modi in *expressam* et *implicitam;* 2°. ratione personæ deputandæ: in *specialem* et *generalem;* 3°. ratione objecti deputati: item in *specialem* et *generalem.* De singulis pauca.

1°. *Expressam* deputationem semper præferendam esse *implicitæ* perspicuum est, sive sit oralis sive in scriptis data. Rituale Romanum supponit hanc licentiam in scriptis fieri; etenim in tit. X. cp. 5. continet hanc formulam »N. Presbyter de licentia Reverendissimi Episcopi N. aut mea *quæ penes me exstat,* in matrimonium conjunxit« etc. At hoc non est præceptum, et licet scripta deputatio possit præscribi ab Ordinario, tale mandatum non respicit valorem, sed liceitatem tantum. —

Nonnulli *expressæ* deputationi opponunt *tacitam;* non recte; nam silentium deputationem non semper significat. Ideo ex circumstantiis erui debet quando in modo se gerendi contineatur con-

sensus et quando mera tolerantia. Inprimis interest, utrum parochus deputans sibi persuadeat se esse parochum contrahentium solum et alium sacerdotem facultate assistendi destitui an opinetur etiam alium sacerdotem esse jam facultate instructum idquod revera non est. In altero casu est mera tolerantia, non consensus ideoque matrimonium sic contractum absque ulla deputatione legitima nullum censeri debet. At etiam in primo casu signa aliqua consensus adesse debent, e. gr. si parochus sacerdoti deputando scribit omnia jam esse ordinata ad ineundas nuptias. Ergo licentia illa est *quæ ex actibus concludentibus manifeste colligitur*, de hac licentia habet *Instructio Austriaca:* »Quod licentia matrimonio assistendi ab eo cui competit, tacite collata sit, fœderis conjugalis valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat cui a parocho vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. — Licentia *mere præsumpta* non sufficit; neque juvat, quod delegandi jus habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset aut rem postmodum ratam habeat« (§. 47.).

Distinctione inter deputationem tacitam sive implicitam quatenus continet consensum et tolerantiam quæ non continet deputationem, bene facta disparent etiam difficultates quas commemorat *Gasparri* c. l. n. 946. enascentes ex declarationibus S. C. C. apud *Fagnanum* in c, 2. h. t. n. 31.

Licentia mere præsumpta non est licentia; attamen si præter sacerdotem qui præsumit licentiam, adesset simul parochus, matrimonium valeret ob præsentiam parochi.

96. 2°. *Specialis* vocatur deputatio ratione *personæ* deputandæ tunc quando sacerdoti determinato respectu nominis, cognominis, conditionis etc. committitur facultas assistendi; — *generalis* eadem ratione nominanda est illa quæ datur determinatis sponsis vel eorum alterutri ut sibi possint eligere sacerdotem quemlibet vel in certa parochia vel in certa diœcesi vel in toto orbe catholico, ut assistat ipsorum matrimonio.

Certum est etiam ex responso S. C. C. apud *Fagnanum* in c. 3. h. t. n. 33. matrimonium cum assistentia sacerdotis ita deputati valere; at ut nimis generalis, ita et nimis specialis non commendatur. Non prior quia finis Tridentini haud facile verificatur; non altera; nam in determinatione tam speciali dubiis via patet; facile enim accidunt errores in nomine, obveniunt impedimenta

e. gr. absentiæ, morbi etc. hujus personæ determinatæ, verificantur translocationes præcipue sacerdotum Coadjutorum. — Quare magis commendatur praxis qua committitur facultas personæ conditione tantum determinatæ, e. gr. committo licentiam assistendi matrimonio talium sponsorum administratori actuali parochiæ, vel omnibus sacerdotibus in parochia N. curam animarum gerentibus, etiam cum facultate *subdelegandi.*

97. 3°. Ratione *objecti* deputationem divisimus in specialem, generalem: *specialem* quando facultas assistendi uni determinato matrimonio conceditur; *generalem* quando sacerdoti vel conceditur licentia assistendi omnibus in certa parochia contrahendis matrimoniis e. gr. intra tempus quo sacerdos deputandus ibidem commoratur, vel committitur universa animarum cura. — In posteriori casu sc. quando sacerdoti commissa est universa animarum cura, saltem *absolute, plene et absque ulla ministerii parochialis restrictione,* licentia assistendi separatim neque a parocho neque ab ordinario subtrahi valet eidem sacerdoti juxta responsionem S. C. C. in cit. *Bosanen.* (in *Sardinia)* d. 28. Nov. 1789.; cfr. *Richter et Schulte* c. l. pag. 229. n. 54. —

Postquam vidimus deputationem ad assistendum ratione et objecti et personæ fieri posse generali modo, de liceitate ac valore hujusmodi deputationis aliquid adjungi necesse est. Pervenimus ergo ad celebrem causam *Coloniensem,* quam in extenso in quantum opus est, ponimus:

»In civitate Coloniensi in qua novemdecim exsistunt parochiæ catholicæ et circiter 150,000 numerantur catholicorum, non raro accidit, quod sponsa, v. gr. ancilla, proclamationibus expeditis, parochiam in qua domicilium habebat, inscio parocho proprio, derelinquit, et tamen coram hoc parocho dolose matrimonium contrahit, fingens, se in hujus parochia, in qua proclamationes factæ sunt, adhuc habitare.

»Quare ad præcavenda invalida matrimonia parochi hujus civitatis, multis abhinc annis, se mutuo delegaverunt in hunc modum ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsæ erat, inde per tres menses matrimonio ejus assistere valeat, etiamsi sponsa, hac parochia derelicta, in alia parochia hujus civitatis tempore matrimonii habitet. Quam quidem conventionem adhibita facultate subdelegandi Emus Card.

Melchers postea, anno scilicet 1866, confirmaverat, eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur.

»Similes ob causas in civitate *Aquisgranensi* exsistebat *ab immemoriali tempore,* ut parochi asserunt, usus juxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum parochus in cujus parochia sponsa habitat, dum proclamationes expetit ejus matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam ejusdem civitatis transmigret. Quem usum, a parochis Aquisgranensibus anno 1840 renovatum, Vicarius generalis archiepiscopalis die 14. Novembris 1840 tamquam valori matrimoniorum faventem approbavit. Utilis sane est talis dispositio, quaque valor matrimonii non raro salvaretur.

»Attamen cum S. C. Concilii die 20. Julii h. a. in causa *Posnaniensi* declaravit conventionem similem parochorum Posnaniensium haud esse probandam (rescriptum d. 20. Julii 1889. ad Archiepiscopum *Posnanien.* hæc continebat: »*Quoad præteritum pro sanatione: quoad dubia praxim non esse probandam, sed requiri in singulis casibus expressam validam delegationem*«), S. V. enixe rogatur, ut declarare dignetur« etc. Tribus ab Archiepiscopo *Colonien.* hic propositis capitibus responsum fuit d. 6. Sept. 1890.: »*Dilata et exquiratur votum duorum consultorum.*« *)

Tandem d. 18. Martii 1893. in comitiis S. C. Concilii iterum causa agitata hisce dubiis: I. An mutua et generalis delegatio, de qua in precibus, ad validitatem matrimonii valeat in casu. — Et quatenus negative: II. An supplicandum sit Ssmo pro convalidatione ejusdem praxis quoad futurum in casu. At S. C. Concilii satius duxit reformare I^um^. dubium et respondit: *Ad I. Reformato dubio*: »*An constet de nullitate matrimoniorum quæ contrahuntur juxta praxim, de qua in casu, ab Emo Archiepiscopo Colonien. propositam?*« *R. Negative et ad mentem.* — *Ad II. Provisum in primo.*

Explicatio: 1) Quæ fuerit *Mens* S. Congregationis, cum certitudine indicare nequimus, attamen non errabimus si conditiones

*) Ad votum hoc exarandum duo viri doctissimi sunt electi: P. Fr. X. *Wernz*, S. J. Professor textus canonici in Universitate Gregoriana, quâ theologus, necnon Antistes urb. Felix *Cavagnis* quâ canonista. Utriusque votum legi potest in A. S. S. vol. 25. pag. 644. et sqq.

in voto doctissimi Consultoris Theologi requisitas in Mente S. C. C. depositas supponemus; conditiones sunt hæ:

I. »Parochis mutua illa delegatio generalis non est permissa, nisi accedat approbatio et delegatio Ordinarii cum facultate etiam subdelegandi (ad excludendos omnes scrupulos pro casibus particularibus, si delegatio niteretur mera *conventione* privata parochorum).

II. »Limitanda est delegatio ista ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non jam est integra, sive restringenda est ad solos parochos domicilii a sponsis relicti.

III. »Delegatio quoad durationem ita determinanda est, ut exspiret, si a die ultimæ proclamationis (exclusive) secundum Rituale romanum elapsi sint duo menses, sive 60 dies completi vel tot dies completi, quot juxta statuta diœcesana requiruntur, ut denuo fiant proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuerit celebratum.

IV. »Rmo Archiepiscopo injungi potest ut hac facultate tantum utatur pro majoribus civitatibus suæ Archidiœcesis«.

2) Decisio causæ *Posnanien.* decisioni *Colonien.* contradicere videtur; nam in illa habetur: »Quoad præteritum pro sanatione: quoad dubia praxim non esse *probandam,* sed requiri in singulis casibus expressam validam delegationem«, in altera respondetur: Non constat de nullitate matrimoniorum in casu. At de facto decisiones sibi non contradicunt; etenim diversæ erant circumstantiæ:

a. In *Coloniensi* non qualiscunque parochus delegabatur (uti in *Posnanien.),* sed is »qui tempore quo proclamationes *expetebantur.* parochus proprius *sponsæ erat*«.

b. In *Posnanien.* tempus non erat determinatum, secus in *Colonien.* ubi assistendi facultas ad 3 menses restringebatur.

c. In *Colonien.* intervenit auctoritas Ordinarii qui dedit potestatem subdelegandi, in *Posnanien.* erat privata parochorum conventio. —

d. Responsum in *Posnanien.* prodiit a Secretaria S. C. C., econtra causa *Colonien.* agebatur ex professo in publicis comitiis.

3) Suntne matrimonia juxta praxim archidiœcesis *Posnaniensis* habenda invalida?

Hoc minime probari potest, potius contrarium. Nam licet delegatio illa nimis ampla esset, limites facultatis Tridentinæ non

excedebat; fiebant enim matrimonia coram sacerdote de parochi licentia. Deinde confirmatur negativa sententia ipso responso *Colonien.;* si in causa *Colonien.* non constabat de invaliditate matrimoniorum, neque in *Posnanien.* constare potest; nam utramque non in essentialibus, sed in *accidentalibus* differre jam vidimus. Cfr. etiam responsionem S. C. C. d. 15. Jun. 1586. — Ne opponas responsum Secretarii S. C. C. d. 20. Julii 1889, quo *sanabantur* matrimonia jam sic contracta; quo requirebatur in futurum pro singulis casibus expressam *validam* delegationem. Nam Secretarius nec poterat nec volebat decidere quæstionem tanti momenti, sed via *tutiore* providebat valori matrimoniorum: ergo sanabantur *ad cautelam* matrimonia, et requirebatur delegatio in singulis casibus expressa quippe quæ *certe* valida.

Verumtamen praxis *Posnanien.* non est probanda, itaque *illicita.* Ut talis praxis sive in Posnania sive in aliis regionibus licita fiat, *Mens* quam adjunxit S. C. Concilii causæ *Colonien.*, accurate observanda est.

4) Etenim responsum in *Colonien.* d. 18. Martii 1893. norma est etiam ad decisionem quæstionum similium alibi exsurgentium. Pendente enim sæpe citata causa *Colonien.* Episcopus *Cameracen.* respectu civitatis *Lillæ* similem casum proposuit. S. C. autem d. 22. Dec. 1891. respondit: *Prævia sanatione quoad præteritum quatenus opus sit, in reliquis dilata usque ad definitivam resolutionem causæ Coloniensis.* — Decisâ autem hac causâ S. C. C. rescripsit d. 27. Maji 1893.: *Communicetur resolutio in Coloniensi.* —

Prætermittenda non est alia responsio S. C. Concilii quæ ad nostram quæstionem spectat. Exposuerat enim Archiepiscopus quidam »quod in sua diœcesi parochi delegationem generalem ad assistendam matrimoniis concedere solent presbyteris, ut ajunt *habituatis* qui aliquod tantum servitium in ecclesia exhibent, quin habeant commissionem generalem ad exercenda munia parochialia. — Die 22. Dec. 1891. S. P. *Leo XIII.*, audita relatione Secretarii S. C. C., benigne annuit pro gratia sanationis et convalidationis, *quatenus opus sit,* firmo tamen in posterum ne matrimonia a presbyteris vulgo *habituatis* benedicantur, nisi de speciali et expressa licentia parochorum et juxta præscriptum c. 1. sess. 24. *De ref. matr.*

Si omnia usque modo tractata concludimus, hæc notanda sunt circa modum deputandi:

1) Deputatio sacerdotis ad assistendum sit *expressa*, sufficit autem *implicita* quoque, minime vero *tacita*.

2) Eadem deputatio fiat potius *dignitati cum facultate subdelegandi*, quam personae nimis determinatæ.

3) Deputatio sive specialis sive generalis ratione objecti semper valida videtur; attamen ut licita quoque sit, requiritur aut specialis aut generalis ad exercenda omnia munia parochialia aut generalis, circumscripta tamen limitibus ut in causa *Coloniensi* d. 18. Martii 1893.

98. Quæritur utrum et quando *cesset* deputatio ad assistendum? — Cessare potest, uti quæcunque delegatio, iisdemque modis quos indicavimus in tit. *De officio etc. Judicis delegati* (I. 29) nn. 33. et sqq., sc. 1°. *completo negotio* ita ut assistentia secundum licentiam deputantis præstita reiterari nequeat, e. gr. matrimonio ob impedimentum aliquod nullo; 2°. *lapsu præfixi temporis*, e. gr. post 3 menses, uti statuerant parochi *Colonienses;* 3°. *morte deputati*, nisi deputatio facta fuerit dignitati; 4°. morte deputantis *re adhuc integra*. Quando res in judicialibus non jam sit integra, vidimus in cit. tit. n. 35.: sc. edito citationis edicto, jam jurisdictio exerceri cœpta est. Analogice dicere debemus: quando actus assistendi inceptus est, res desiit esse integra, non antea. Si Consultor Theologus in causa *Colonien.* loquebatur proclamationibus factis de re non amplius integra (A. S. S. vol. 25. pag. 645.), hoc improprie dixit; nam parochis qui fecerant proclamationes, jus assistendi ex hoc minime tribuebat; 5°. *revocatione* re adhuc integra. Qua in re notatu dignum est responsum . . . S. C. Concilii in *Tricaricen.* d. 27. Junii 1733.: Matrimonium enim contractum coram presbytero, cui parochus in scriptis licentiam dederat nuptias inter quoscunque e suo grege conciliandi, quamvis licentia a parocho fuisset revocata idque presbyter ille viro contrahenti indicasset, tamen, quum mulier factam revocationem ignoraret, valide fuisse contractum, jud. fuit a S. C. in *Tricaricen.* 27. Jun. 1733. Cfr. *Richter et Schulte:* in opere »Canones et Decreta« etc. pag. 229. n. 53.; *Gasparri:* c. l. n. 951.

Fortasse validitas hujus matrimonii in errorem communem cum titulo colorato reduci potest. Licentia enim a parocho proprio sacerdoti data omnibus innotuerat ita ut sacerdos communi errore habilis ad assistendum recenseretur, cui errori non officiebat scientia duorum. Et licet titulus in sensu strictiori non sit illa

licentia, est tamen titulus in sensu analogico. — Nam sententiam qua et licentiæ scientia et acceptatio et revocationis scientia in utroque contrahente requiritur, nos quidem probare minime possumus. Nam in nostris saltem regionibus de ejusmodi quæstionibus canonicis fideles non curant, sed confidunt sacerdotibus.

De testibus in matrimonio.

99. *Tridentinum* c. l. requirit »*duos vel tres testes*«. *Duo* ergo saltem testes præter parochum vel alium sacerdotem facultate instructum requiruntur ad *valorem* matrimonii. Unus testis *non sufficit,* etsi matrimonium coram parocho et uno teste tantum contrahebatur *bona fide;* S. C. Concilii d. 14. Jan. 1673. apud *Benedictum XIV.:* in *Syn.* l. 12. c. 5. n. 5. —

Econtra aliquando *validum* declaratum fuit matrimonium *coram duobus testibus* absque parochi præsentia contractum in loco ubi catholicus parochus aliusve sacerdos vel *omnino non* aderat vel illius adeundi *libera potestas* non erat, S. C. C. d. 30. Martii 1669. apud eundem *Benedictum XIV.* c. l. Cfr. etiam quæ dicta fuerunt supra in n. 47. — In *missionibus* c. »Tametsi« potest quidem promulgari, at nonnunquam ejus observantia integra fit impossibilis; tali casui providit S. C. Inq. in rescripto ad Episcopum *S. Hyacinthi* (in *Canada)* d. 14. Nov. 1883. his verbis: »Mens S. C. est quod in locis ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum *coram duobus testibus;* contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis vel proximioris Ecclesiæ cui subjiciuntur«.

Cum Tridentinum nullam in eis requirat specialem qualitatem, hinc 1^0. sufficit ut juxta naturale jus tantum idonei sint ad fidem faciendam de aliquo facto. Hinc etiam fœminæ, etiam ætate minores possunt testes esse in matrimonio 2^0. solemnitas quod ipsos non requiritur, seu necesse non est ut sint *rogati,* sed sufficit ut percipiant, et referre possint factum contractus matrimonialis. Nec pariter obstat censura, si qua forte testis sit ligatus. Nihilominus majorennes et honestos adhibere *convenit* ob dignitatem tanti sacramenti. Quoad *heterodoxos* adhibendos in testimonium matrimonii contrahendi, S. C. Inq. d. 19. Aug. 1891. respondit: »*Non esse*

adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum«.

100. *Qualitates præsentiæ parochi et testium.*

Parochus et duæ saltem aliæ personæ debent esse *testes* et quidem *simul* testes. — Exinde sequitur:

1) Præsentia eorum debet esse *moralis* quæ possit percipere *factum* contractus matrimonialis inter *determinatas personas.* — Sola igitur *physica* præsentia non sufficit ad contrahendum valide matrimonium, S. C. C. in *Romana* d. 6. Martii 1700. (apud *Giraldi:* c. l. p. II. sect. 115. n. XVI.)

Factum contractus matrimonialis percipere debent, non *intentionem;* factum autem patefit non solum *verbis,* sed etiam aliis *signis,* e. gr. nutibus. Et si fortasse ipse contractus minus clare percipitur, perspici potest ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus.

Cæcos vel *surdos* adhibere testes omnino dissuadendum; at si revera adhibiti fuerunt, judicandum est ex omnibus facti circumstantiis.

Non requiritur ut personæ contrahentes testibus sint jam cognitæ; sufficit ut in ipso actu eas cognoscant.

Constat in jure ignorantiam affectatam interdum scientiæ aequiparari; idquod valet etiam in nostro casu, sc. matrimonium invalidum fuit si parochus factum contractus matrimonialis non percipit *nisi tamen affectasset non intelligere.* — Quid sibi vult hæc vox »affectasset«? An idem sonat quod *simulasset:* i. e. parochus omnia intellexit, at simulat se non intellexisse.

Nequaquam; hoc in se jam est perspicuum neque indigeret expressa declaratione S. C. Concilii. *Affectare* ignorantiam nihil aliud significat nisi voluntate afficere ut quis quæ percipere et intelligere posset, non percipiat neque intelligat. — Matrimonium ergo cum hac affectata ignorantia parochi contractum validum est. uti probat *Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 13. c. 23. nn. 10. et sqq. —

Quæ usque modo dicta sunt, complectimur in responsionibus S. C. C. ad Ep. *Giennen.:* Episcopo *Giennen.* ad dubia III. Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat? IV. Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit neque audivit, utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius, tamquam sine sacerdote, nullius sit ponderis et momenti? V. Si adsit sacer-

dos, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se ad id esse vocatum, sed aliud agens audit duos inter se contrahentes matrimonium, utrum validum sit tale matrimonium, in quo fuit præsens, non tamen certioratus, nec ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto vel facto, vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur et non nuda vel causalis præsentia? S. C. resp. ad dub. III. *subsistere;* ad IV. *non valere,* si sacerdos non intellexit, *nisi tamen non affectasset non intelligere;* ad V. *valere,* etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum. 1581. Rel. e. l. III. Decr. p. 59. a. *Bened. XIV.* De syn. diœc. XIII. 23.

2) Ad V. in præcedenti respondebatur: Matrimonium valere, etiamsi parochus aliam ob causam *adhibitus sit ad illum actum.* — Etenim parochus et testes adhiberi debent ad actum matrimonialem. Si neque explicite neque implicite adhibentur, matrimonium non valet. Patet hoc ex responsione S. C. C. quam citat *Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 13. c. 23. n. 5. ex *Schmalzgrueber, Pontio* etc. *An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præsenti, proprio Parocho præsenti, et aliis requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed, dum forte convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, audit hujusmodi contractum, geri, et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu ratione defectus resilire?* Sacra Congregatio respondit: *posse, nisi alia intervenerint, quæ Parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant.* — *Explicite* adhibentur testes cum parocho, quando monentur de actu contrahendo, *implicite* quando ex circumstantiis eruitur contrahentes velle parochum et personas præsentes testes adhibere.

3) Præsentia parochi et testium sit *simultanea,* non successiva; patet ex verbis Tridentini et ex analogia cum testamentis.

101. *Pœnæ in contravenientes legi Tridentinea.*

1) S. Synodus *Tridentina* »parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes *graviter* arbitrio ordinarii *puniri* præcipit«.

2) »Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, *alterius* parochiæ sponsos *sine* illorum parochi *licentia* matrimonio conjungere aut benedicere ausus

fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.«

Hæc pœna suspensionis eos non tangit quibus ex statuto *diœcesano* non competit assistentia e. gr. parocho sponsi, dummodo competentes sint quoad *valorem* matrimonii; nam ejusmodi sacerdotes juxta sensum Tridentini de facto sunt aut parochi proprii aut deputati ab iisdem. — Notandum est hanc pœnam etiam locum habere in sola *benedictione* incompetenti impertita. — Tridentinum l. c. non indicat quo suspensio se extendat; quare rationabili interpretatione utamur oportet. Quoniam hæc pœna justa esse debet quoad omnes quos tangit, dicendum est hanc a Tridentino inflictam censuram esse *suspensionem a divinis*. Ceterum in l. V. hujus Commentarii plura de hac censura tractanda erunt.

Huc adjungimus casum practicum haud parvi momenti qui materiam usque adhuc tractatum egregie illustrat.

Casus.

Vir et mulier, uterque acatholicus, a domicilio suo A. ubi c. »Tametsi« pro acatholicis non viget, proficiscuntur B. ubi eadem lex et catholicos et acatholicos ligat, quia desiderant coram cognato suo qui est minister hæreticus non longe a B., matrimonium contrahere. Contracto B. matrimonio coram illo ministro hæretico et duobus testibus redierunt A. ubi per aliquot annos commorabantur et filios procreabant. At litibus animos dissociantibus divortium coram judice civili et fortasse etiam coram tribunali »ecclesiastico« acatholico et quærebant et impetrabant. Vir novas nuptias cum femina catholica contracturus primum matrimonium clavibus Ecclesiæ subjiciebat.

Quid de hoc matrimonio judicandum est: estne validum an invalidum ita ut vir novas nuptias inire possit? R. 1. Cajus cum Titia matrimonium init in civitate B. ubi c. »Tametsi« et catholicos et acatholicos ligat coram ministello hæretico et duobus testibus. — Matrimonium hoc invalidum erat; nam lex Tridentina etiam acatholicos obligat. — Nec dicas: Contrahentes obligationis Tridentinæ ratione ipsorum domicilii expertes erant, ergo valide contrahere poterant. Minime, etenim legem Tridentinam non solum personalem, sed et localem esse in confesso est apud omnes. Quatenus *localis* est, obligat *omnes* qui in loco ubi viget c. »Tametsi«

contrahere volunt. Ergo Cajus et Titia, licet immunes in loco domicilii sui, in civitate B. valide contrahere nequibant nisi servata forma Tridentina, quia »locus regit actum«. — Neque dicas: Contrahentes satisfaciebant legi Tridentinæ, in quantum poterant; nam coram ministello hæretico et duobus testibus contrahebant.

Respondendum: Licet Ecclesia acatholicorum »parochias« in hac materia aliquatenus agnoverit, nunquam tamen tolerabat ministrum hæreticum haberi loco parochi proprii vel sacerdotis de parochi licentia.

Unum opponi rationabiliter posset sc. duos testes sufficere potuisse juxta ea quæ supra n. 99. exposuimus: duo testes sufficiunt, ubi parochus catholicus etc. vel omnino non adest vel illius adeundi *libera* potestas non est, S. C. C. d. 30. Mart. 1669.

Nam etsi parochus catholicus aliusve sacerdos deputandus certe aderat, *libera* tamen potestas ex eo non fuisse videtur quod adeundi catholicum parochum obligatio non cognoscebatur. At hæc liberæ potestatis interpretatio adoptari nequit; alioquin de obligatione acatholicorum in hoc capite pæne actum esset; ergo interpretemur necesse est hunc liberæ potestatis defectum non de ignorantia, sed de physica vel morali impossibilitate. — Conclusio: Matrimonium inter Cajum et Titiam in civitate B. contractum jure ecclesiastico invalidum erat ex defectu formæ Tridentinæ.

2) Jure autem naturali consensum maritalem præstiterunt et hoc consensu perdurante redierunt in proprium domicilium A. ubi c. »Tametsi« acatholicos non obligat, et consummarunt matrimonium. Videntur ergo revalidasse matrimonium; nam perdurante consensu maritali signum externum quoddam hujus consensus posuerunt: sc. copulam carnalem. Et quamquam hæc copula sponsalibus superveniens præsumptione juris et de jure matrimonium non jam constituat ex decreto »*Consensus mutuus*«, probatio tamen copulam peractam esse consensu maritali minime excluditur.

Ergo matrimonium in civitate A. fuisse revalidatum censendum est. Verum huic assertioni obstat *reg.* 18. *Jur.* in 6°.: »Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit«. — Hoc matrimonium non subsistere ab initio jam vidimus; attamen quia impedimentum clandestinitatis amotum est, firmari matrimonium exsistentibus elementis essentialibus videtur. — Verum est consensum maritalem per aliquot annos continuatum; verum est copulam carnalem affectu maritali positam fuisse: nihilominus ma-

trimonium non revalidabatur. Nam in civitate A. non novus consensus ponebatur, sed consensus in civitate B. præstitus continuabatur. Et quia hic in radice vitio nullitatis laborabat, consensus qui perdurabat, eodem modo vitiatus erat; ideoque tractu temporis non poterat firmari.

Prolem quidem legitimam esse ex ejusmodi matrimonio patet; erat enim matrimonium putativum, sed exinde nihil sequitur respectu valoris matrimonii. — Matrimonium igitur in Cajum et Titiam in civitate B. contractum invalidum erat neque postea revalidabatur usu talis matrimonii. Itaque si consensum renovari non expedit — uti in casu nostro —, ejusmodi matrimonium merito dissolvi potest et utrique parti aditus ad novas nuptias patet.

Quare S. C. Inq. d. 16. Aug. 1896., in causa *Ratisbonen.* quæ nostro casui similis erat, respondit ad I^{um}.: »Matrimonium in casu, omnibus consideratis, esse nullum; modo constet per juramentum a muliere præstandum, consensum (scientibus sponsis nullitatem prioris consensus) non fuisse renovatum in loco ubi Tridentinum non viget«.

Jam 9 annos ante rescriptum hoc *Ratisbonen.* S. C. Inq. in alia causa idem saltem in re resolvit, sc. »Prævio juramento ab oratrice S. S. in curia *Ebroicensi* præstando, quo declaret matrimonium clandestine initum ab ipsa cum A. G. non fuisse ab iisdem, *scientibus illius nullitatem,* ratificatum in loco ubi Tridentinum non viget, detur mulieri documentum libertatis ex capite clandestinitati«, apud *Gasparri*: II. n. 982. — Juramentum a parte exigitur ut præsumptio conjuges putativos nescisse invaliditatem contractus matrimonialis ex defectu formæ Tridentinæ, suppleatur.

III.

De ss. Liturgia in contrahendo matrimonio adhibenda.

102. Concilium *Tridentinum* circa hanc rem pauca statuit:

»Postremo s. Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter *confiteantur,* et ad ss. *Eucharistiæ* sacramentum pie accedant. — Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri s. Synodus vehementer optat«. — Loquimur I. de recipienda s. confessione et communione; II. de cæremoniis Ritualis; III. de benedictione nuptiali.

I. *De confessione et communione matrimonio præmittenda.* Tridentinum in c. 1. sess. 24. *De ref. matr.* utitur verbo »*hortatur*«, similiter et *Rituale Romanum,* tit. 7. cp. 1. n. 17.; ergo jus commune non imponit legem. —

Sed inquiramus oportet, 1. num *obligatio* contrahentes unquam urgeat recipiendi s. confessionem; 2. num parochus unquam retrahatur ab assistendo matrimonio quando contrahentes recusant confessionem?

1) Alterutra pars contrahentium obligatur ad confitendum peccata sua, quando versatur in statu peccati mortalis et actum contritionis (perfectæ) nequit elicere; nam agitur de recipiendo sacramento vivorum. — Utraque pars obligatur ad confessionem matrimonio præmittendam quando lex diœcesana hoc præscribit. Lege *particulari* confessionem hanc posse præscribi nullum dubium, ea autem conditione, ut detur dispensationi vel cessationi locus quando *extraordinariæ* hoc suadent circumstantiæ; S. C. Conc. in *Moguntina* d. 28. Aug. 1852.

2) Parochus assistere nequit matrimonio cui non præmissa est confessio sacramentalis: a. si exsistit de hac re lex diœcesana; b. si alteruter ex contrahentibus sit *publicus peccator* juxta ea quæ exponit Benedictus XIV. in *Syn.* l. 8. cp. 14. n. 5.: »Nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias *super 4. Decret. part. 2. de Matr. cap. 6. in princip.* inquiens: *Existens in mortali crimine, non potest, absque novo peccato, matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum:* nec Parochus licite eidem matrimonio assistit; quamvis enim, juxta communiorem magisque receptam sententiam, non sit Sacramenti matrimonii Minister, *ut in præcedenti capite* diximus, nihilominus in multis comparatur Ministro, nec licite sua præsentia, et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.« — Cfr. etiam decretum S. C. Inq. d. 30. Jan. 1867. ad III^{um}., denuo communicatum d. 25. Maji 1897. *(Monitore Ecclesiastico* vol. X. p. 2. pag. 3.) —

Verumtamen duo enumerati casus valent »ordinarie«; nam quando parochus nullo modo potest hujusmodi contrahentes ad melius propositum perducere *(ad quod totis viribus incumbere tenetur)* et prudenter timet ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad Epi-

scopum qui inspectis omnibus casus adjunctis, permittere poterit ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicæ educationi universæ prolis aliisque similibus conditionibus; S. C. Inq. in eisdem decretis ad II^{um}.

Quoad recipiendam s. communionem verbum Tridentinum »hortatur« optimam præbent regulam; hoc tamen maxime attendendum publicis peccatoribus nunquam s. communionem tradendam, etsi assistentia non poterat recusari.

Parochi vel sacerdotis in animarum cura laborantis erit contrahentes quam diligentissime præparare ad statum vitæ matrimonialem; ideo non solum confessione ordinaria sit contentus, sed ad generalem confessionem eosdem commoveat et quidem non immediate ante nuptias, sed aliquot saltem diebus antea peragendam, ne impedimenta usque ad ultimum momentum occulta patefacta casum parent perplexum.

103. II. *De cæremoniis Ritualis.* Jam alibi de his cæremoniis Ritualis egimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 185. 2^{0}. pag. 80. h. l. Ritus adhibendi qui legi possunt in Rit. Rom. tit. VII. cp. 2. sunt: interrogationes de consensu et responsa correlata; junctio dexterarum cum formula »Ego conjungo vos« etc.; benedictio annuli ejusque immissio; Versiculi, responsoria, oratio.*)

Cæremoniæ Ritualis: 1. omittendæ sunt in matrimoniis mixtis de jure communi (supra n. 185. in tit. 1. h. l.); 2. optime adhibentur in personis quæ matrimonio in infidelitate contracto convertuntur ambæ ad fidem, S. C. Inq. d. 2. Jan. 1860. (apud *Gas-*

*) In diœcesi *Ratisbonensi* adjunctæ sunt hæ cæremoniæ: 1. Ante matrimonium: Parochus lingua vernacula admonet circumstantes ad detegenda impedimenta, adjungit parvam explicationem de sacramento matrimonii, recitat secreto cum circumstantibus orationem dominicam et salutationem angelicam. — 2. Actus matrimonii: Ad interrogationem unam quam exhibet Rit. Rom., junguntur duæ aliæ quæ promissiones de bonis fidei et sacramenti continent ita ut uterque contrahens ter interrogetur. — 3. Post matrimonium infigitur annulus jam ante copulationem benedictus manui sponsæ; interdum duo annuli invicem traduntur. Sacerdos paucis explicat quid significet et manuum conjunctio et annuli (a. orum) traditio. Dexteras utriusque conjugis junctas stola sua in modum crucis circumvolvit sacerdos suamque dexteram superimponens, dicit: „Matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos contractum Deus confirmet; et auctoritate Ecclesiæ Dei ego illud adprobo, perficio atque solemnizo: in nomine P. et F. et Sp. s. Amen“. (Sequuntur Versiculi etc. uti in Rit. Romano.)

parri: n. 1003.); 3. debent adhiberi quoad personas quæ christianum matrimonium clandestinum valide contraxerunt — omissa semper consensus declaratione ac formula: »Ego conjungo vos« etc.; de hoc *Gasparri:* in nn. 1004. et sqq., ubi multas citat Ss. Romanarum Congregationum declarationes.

104. III. *De cæremoniis Missalis* sive *de benedictione nuptiarum solemni.* — In Missali invenitur (post omnes Missas votivas ante Orationes diversas) Missa pro sponso et sponsa (sponsorum vox sumitur hic pro conjugibus) quæ totam exhibet benedictionem nuptiarum solemnem: sc. formulam ipsius Missæ pro sponso et sponsa; dicto »Pater noster« duas orationes; ante »Placeat tibi, s. Trinitas« tertiam orationem.

Missæ pro sponso et sponsa ita sunt conjunctæ benedictionis orationes ut ab ea *absque privilegio Apostolico* nequeant avelli. Attamen sunt festa quibus impeditur missa illa et permittuntur tantummodo commemorationes de eadem missa. Quare 3 casus distinguamus oportet:

1) Permittitur a rubricis missa cum illis benedictionis orationibus. 2) Permittitur commemoratio tantum de illa missa cum iisdem orationibus. 3) Non permittitur ne commemoratio quidem; ergo integra benedictio prohibetur.

Prohibetur enim integra benedictio: a) tempore clauso; b) in matrimoniis mixtis; c) quando sponsa vidua benedictionem in prioribus nuptiis jam recepit.

Prohibetur missa, at permittitur commemoratio de eadem cum orationibus benedictionis: omnibus dominicis festisque de præcepto, omnibus duplicibus I. et II. classis, diebus infra Octavas Epiphaniæ et Pentecostes, denique Vigilia Pentecostes et die Octava Corporis Christi. — Alias permittitur missa cum benedictionibus. — Circa hanc benedictionem exsurgunt quæstiones quas in sequentibus resolvimus.

105. I. *Quæ personæ obtinere possunt hanc benedictionem?* — Obtinere eam non possunt nisi conjuges, at conjuges illam semper possunt obtinere excepto solo casu quo uxor vidua eam jam obtinuerit.

Etiam in matrimoniis mixtis et acatholicis et baptizatorum et infidelium hæc benedictio locum habere potest quando matrimonium factum est mere catholicum. — Conjuges catholici possunt recipere hanc benedictionem aut immediate post consensum et cæremonias

Rituâlis aut postea vel ante vel post consummationem matrimonii etiam elapsis multis annis. Nam licet prius S. R. C. aliter nonnunquam rescripserit, nunc valet decretum generale S. C. Inq. d. 31. Aug. 1881. quod omne dissolvit dubium in hac parte. Statuit autem S. C. Inq.: »Benedictionem nuptialem quam exhibet missale romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missæ celebrationem juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore *petant.* Significandum vere illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint; benedictionem ipsam ad *ritum* et *solemnitatem,* non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii«; cfr. tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 127. pag. 47. Ex hoc decreto patet: Benedictionem hanc impertiri præcipue ratione *mulieris;* nam de matris munio (munere) agitur. Deinde hæc benedictio non præcipitur, sed vehementer *commendatur.* —

106. II. Benedictio hæc nuptialis pertinet ad *jura parochialia* ita ut violatio hujus juris a Tridentino animadvertatur suspensione latæ sententiæ. Quæritur: Utrum parochus sit *obligatus* ad impertiendam ejusmodi benedictionem?

Quoties contrahentes legitime petant, etsi interpretative tantum, parochus est obligatus ad impertiendam hanc benedictionem.

Legitime petunt contrahentes, si non prohibentur jure a recipiendo hanc benedictionem e. gr. intra tempus feriatum, *interpretative* petunt quando edocti de hac benedictione illam peterent, etsi non edocti nullo modo curarent.

Parochus lege ecclesiastica *sub gravi* est *obligatus* ad dandam hanc benedictionem. Excusat tamen gravis et rationabilis causa, S. C. de Prop. Fid. d. 21. Sept. 1843. — *Non* vero obligatur ad *ulteriora,* e. gr. ad *missæ applicationem,* S. Off. d. 1. Sept. 1841. ad III^{um}., ad cantum etc. In eadem missa hæc benedictio pluribus impertiri potest; S. Off. d. 1. Sept. 1841. ad IV^{um}. (A. S. S. vol. 26. pag. 635.) —

Conspectus: I. Sunt parochiæ ubi *omnes baptizati* legi Tridentinæ sunt subjecti ratione promulgationis capitis »Tametsi« sive probatæ sive præsumptæ.

II. Sunt parochiæ ubi *omnes catholici* lege Tridentinæ sunt subjecti quoad matrimonia sive mere *catholica* sive etiam *mixta;* idquod loca insulæ *Melitensis* tantum attingit.

III. Sunt parochiæ ubi *catholici* legi Tridentinæ subjecti sunt quoad matrimonia tantum *mere catholica;* hæc coincidunt cum locis ubi acatholici immunes sunt a lege Tridentina excepta insula *Melitensi.*

IV. Sunt parochiæ ubi etiam *catholici* non sunt obnoxii legi Tridentinæ. Attamen *peregrini* ratione domicilii vel quasidomicilii *proprii* Tridentinæ subjecti, non sunt immunes nisi novum domicilium vel quasidomicilium in loco *libero* acquisierint.

Catalogum autem locorum vel regionum ubi viget c. »Tametsi« et ubi non, invenies in appendice ad hunc librum IV.

Titulus IV.

De sponsa duorum.

1. Ut aliqua mulier dici possit vere *sponsa duorum,* debet concurrere matrimonium mulieris ipsius cum duobus viris. Triplex casus fingi potest, 1°. de *matrimonio* quod concurrat cum alio *matrimonio,* 2°. de *matrimonio* quod concurrat cum *sponsalibus,* 3°. de *sponsalibus,* quæ cum *sponsalibus* concurrant.

2. Relate ad I^{um}. casum, certum est post legem Evangelicam, matrimonium considerari ceu contractum *unius cum una.* In conjugibus enim fit plena traditio mutua juris in corpora, juxta illud Apostoli *'non habet vir potestatem corporis sui, sed mulier'* 1. Cor. (VII. 4), et viceversa. Hinc condemnatur tum simultanea polygamia, tum polyandria.

3. Et quidem simultanea *polyandria* qua mulier simul retinet plures viros, legi naturali adversari videtur; opponitur enim præcipuis finibus matrimonii. Experientia siquidem docet, polyandriam opponi procreationi filiorum, quatenus difficilior saltem sit completa et physice ordinata generatio prolis. Absque autem dubio opponitur legitimitati et adsignationi prolis et destruit vel maxime imminuit obligationes parentum circa educationem filiorum. Incertum enim est cujus patris sit nata proles. Hinc penes cultas

omnes nationes, ex instinctu naturali, reprobatur et excluditur effrenata cupiditas mulierum, simul habendi plures viros, et hoc nequitiæ monstrum aliquando viguit et viget penes barbaras gentes.*)

4. Simultanea *polygamia* verificatur quando vir plures simul habet uxores.

Si ad fidem attendamus, habemus dogmaticum decretum *Tridentini,* in sess. 24. *De Ref. matrim. c. 2.:* 'Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, A. S.' Merito; nam »Mulier sui corporis potestatem non habet«, ait *Paulus,* »sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier,« 1. *Cor.* VII. 4. — Quare Tridentina Synodus cogeretur ad pungendum gladio anathematis errorem illum, potest etiam deduci ex famosa bigamia quam 8 Pseudoreformatores, in quibus Luther, Melanchthonus, Bucer, concesserunt *Philippo Landgravio Hassiæ* d. 4. Martii 1540. quia »paupercula et miserabilis ecclesia (sc. Lutherana) erat indigens probis dominis regentibus«. Philippus enim minitatus erat illo (Luthero) recusante se conversurum ad partes Cæsaris idquod »negotio evangelico« incommoda pararet; cfr. *Bossuet:* Histoire des variations. Tom. 1., p. 362. sqq.; *Ulenberg:* Geschichte der lutherischen Reformatoren. Mainz (Moguntiæ) 1836. II. 408 sqq. — Præterea polygamiam *Anabaptistæ* (Wiedertäufer) et nostris temporibus *Mormones* profitebantur in theoria et praxi.

Econtra quam præclare dederunt exempla apostolicæ constantiæ Summi Pontifices: velut *Clemens IV.* adversus desideria bigamica regis Aragoniæ annis 1266. et 1267.; *Urbanus V.* adversus Carolum V. regem Galliæ et hoc licet Urbanus esset quasi subditus regis — exemplis magis notis non adductis —; cfr. opus cui titulus »Nouveaux opuscules du Cardinal Gerdil.« Rome 1852. coll. 823. et sqq.

5. Quærunt doctores *qua lege divina* interdicatur polygamia.

---

*) Præcipue in insula *Ceylon,* apud gentes quasdam indigenas Americæ Septentrionalis, Australiæ, Lapponiæ, Tibeti, necnon terræ ad pedem Himalaja montium. Nostris temporibus excitabatur attentio quia socialistæ (velut Morgan, Bachofen, Engel, Bebel) in hoc polyandriæ flagitio agnoscebant reliquias systematis originalis, secundum quod omnia erant communia, etiam in usu sexuali. Sane „quod volunt, et credunt libenter". — Quantopere inculcanda sunt principia deposita in Encyclica *„Arcanum" Leonis XIII.*

Adsunt aliqui doctores, qui dicunt, lege ipsa *naturali* polygamiam prohiberi, quia ex lege ipsa naturali scimus jus uni traditum, alteri concedi non posse.

6. Verum contra hanc opinionem objici potest factum veterum Patriarcharum inter quos erant etiam sanctissimi viri, quique tamen plures retinebant uxores. Et quidem ita loquitur S. Scriptura, ut non solum videatur tolerata inter *Hebræos* polygamia, sed etiam fuerit plene permissa. Præsertim afferri potest factum David, cui Natan Propheta videtur asseruisse Deum ipsum plures Davidi permisisse uxores; cfr. 2. *Regg.* XII. 8. Huic animadversioni alterius sententiæ patroni respondent, Deum dispensasse in lege naturæ, quæ polygamiam prohibet. Cum vero objiciatur immutabilitas legum naturalium, respondent, Deum quidem non posse dispensare in legibus naturalibus primariis et fundamentalibus, dispensare vero posse in præceptis *secundariis*. In quæ præcepta venit etiam illud prohibens polygamiam.

7. Alia sententia tenet 'polygamiam non interdici jure naturali, sed jure *positivo* Dei intimato ipsis protoparentibus, statim ab ipso exordio societatis conjugalis'.

Hæc sententia probabilior esse videtur. Etenim 1°. Polygamia non videtur *absolute* et *essentialiter* opponi finibus *principalibus* matrimonii. 2°. Cum certum sit factum permissionis, seu dispensationis datæ Patriarchis, plures simul retinendi uxores, hæc *dispensatio* non bene componitur cum jure naturæ. Nam in proprie dicto jure naturali non datur dispensatio. Jus enim naturale fundatur in essentiis rerum, quæ, cum dicant relationem immediatam cum æterna Dei ratione, immutabiles sunt. Quare potius dicendum polygamiam vetitam non esse jure naturali, sed prohiberi ex positiva Dei voluntate, qui inter homines instituit matrimonium ita ut duo essent *una caro*, *Gen. II.* 24. Quæ lex intimata Adamo omnes ligavit. Hinc in Patriarchis et in populo Judaico necessaria fuit dispensatio Dei, ut licita esset polygamia.

8. Sententiam cl. Auctoris magni æstimamus, nihilominus sententia *Benedicti XIV.* magis nobis arridet, sc. polygamiam non tantum *positivo* jure divino, sed etiam naturali vetari non quidem primario, sed *secundario* i. e. tali ut ob circumstantias rerum et personarum mutatas, et ipsum mutari possit mediante dispensatione quæ tamen a sola auctoritate divina potest procedere«, in *Syn. Diœc.* l. 13. cp. 21. nn. 8. et 9. In re matrimoniali plura habemus

ejusmodi præcepta juris naturalis secundarii; sic e. gr. jus naturale jam præcipit, ne consanguinei in primo gradu lineæ collateralis matrimonio jungantur. Attamen posito Dei consilio juxta quod »ex uno omne genus hominum inhabitaret super universam faciem terræ« (*Act.* XVII. 26), necessarium erat, ut etiam consanguinei I^{i}. gradus copularentur.

Ceterum vocem »*dispensare*« — non obstante 2. *Regg.* XII. 8 — interpretari non possumus in sensu obvio, sed significat *tolerare* tantum; idquod ipse Salvator innuit apud *Matth.* XIX. 6. et S. P. *Leo XIII.* in Encyclica *Arcanum* hisce verbis: »Hæc conjugii forma (sc. unitate et indissolubilitate prædita), tam excellens et præstans, . . . penes ipsum Hebræorum genus quasi *obnubilari* atque *obscurari* visa«.

9. Hanc vero »dispensationem« sustulit Christus Dominus, cum revocavit matrimonium ad pristinam institutionem, Math. XIX., 9; et illud assumpsit ad significandam Incarnationem suam, idest conjunctionem spiritualem cum Ecclesia, *Eph. V.* 23. et sqq. Hinc posito matrimonio, positaque consummatione per quam vir et mulier fiunt una caro, novum matrimonium neuter ex conjugibus sive licite, sive valide, altero vivente contrahere potest, ob impedimentum dirimens quod *ligaminis* appellatur.

10. Quid vero dicendum si prius matrimonium fuerit solummodo *ratum*, et deinde novum matrimonium celebretur et *consummetur?*

Hanc quæstionem resolvit *Alexander III.* in c. 3. h. t., ubi quærenti Archiepiscopo *Salernitano* respondit, primum matrimonium valere, et matrimonium secundum nullius esse valoris, sive prius matrimonium fuerit juramento firmatum, sive non. Ratio est quia nuptias facit *consensus*, non vero *concubitus.* Consonat c. 31. *De sponsalib. et matrim.* (IV. 1). Ex qua doctrina sequitur, *impedimentum ligaminis oriri etiam ex solo matrimonio rato, et non consummato.* Quia per matrimonium ratum traditur jus mutuum in corpora, et per contractum perficitur sacramentum, quod ipsi contractui legitimo addit robur indissolubilitatis. Quamvis enim plena ratio significationis unionis Christi cum Ecclesia verificetur in consummatione matrimonii rati, tamen in ipso contractu matrimonii, quoniam traditur verum et integrum jus in corpora, idest jus ad consummationem matrimonii, vera et realis ratio signifi-

cationis unionis Christi cum Ecclesia, idest ratio sacramenti, merito agnoscenda est.

11. Verum Alexander ingerit dubium in postremis verbis capitis: »*Quamvis (quidam alii) aliter (sentiant, et aliter etiam) a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*«.

12. In explicatione hujus pericopes in varias abeunt Doctores sententias: I. *Covarruvias: De matrim.* p. 2. cp. VII. §. 3. n. 5., *Barbosa: de Jure Ecclesiastico* l. 1. c. 2. n. 61. et in *Coll. Doctorum* in h. c. et alii tenent, ante *Alexandri III.* Pontificatum, et ipsius Pontificatus tempore visum fuisse aliquibus, posterius matrimonium consummatum præferri debere priori matrimonio dumtaxat rato. Invocabatur enim principium '*Vinculum fortius destruit vinculum minus forte*'. Unde in diœcesi *Mutinensi,* prout eruitur ex c. ult. h. t., et in aliis etiam regionibus inoleverat consuetudo ut matrimonium ratum dissolveretur, per matrimonium posterius consummatum. Hinc in Tribunalibus ob variam opinionem, etiam diversitas sententiarum quandoque apparuit. Nondum enim per definitionem Concilii, vel Romani Pontificis quæstio *abstracte* et *dogmatice* soluta fuerat. Quare nil mirum si in re dubia et arbitrali, aliqui forsan Romani Pontifices, non quidem condentes legem generalem, aut solemniter ferendo sententiam, sed *in casu aliquo speciali, juxta privatam opinionem, et potius tanquam privati Doctores in facto,* tenuerint prius matrimonium ratum cedere alteri consummato per copulam. Merito igitur Alexander potuit dicere ab aliquibus suis prædecessoribus aliter judicatum fuisse. Hanc sententiam communiorem appellat *Gonzalez* in notis isti capiti appositis.

13. Sed contra hanc opinionem observari potest: 1°. Utique aliqui Doctores et aliqua consuetudo tenebat matrimonium consummatum posterius solvere vinculum matrimonii solummodo rati anterioris. Attamen non constat hanc sententiam tenuisse ipsos Romanos Pontifices. Nam in antiquis collectionibus Canonum, nulla reperitur Epistola Decretalis, ex qua pateat Romanum Pontificem in judicandis quæstionibus propositis huic opinioni adhæsisse. Id confitetur in cit. loco ipse Gonzalez ejusdem sententiæ patronus.

14. Immo vero indissolubilitas agnita fuerat in Ecclesia Romana in matrimonio rato et non consummato. Nam invaluerat hoc principium '*Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas*', quod traditur in c. 4. C. 27. q. 2.; cui consonat can. 2. ibidem,

qui desumptus est ex cap. 3. Responsionum *Nicolai I.* ad consulta *Bulgarorum.*

Insuper *Innocentius III.* in c. ult. h. t. reprobans consuetudinem, qua matrimonium posterius consummatum, præferebatur anteriori solummodo rato, eam rationem affert, ne turpis sit pars, quæ suo universo non congruit, simulque inculcat ut Ecclesia Mutinensis debeat sequi quod Sedes Petri docet et tenet. Ergo Romana Ecclesia docebat (a. 1200.) matrimonium ratum antecedens prævalere posteriori etiam consummato.

15. Insuper 2°. decisio quæstionis licet attingat factum speciale, facienda tamen est juxta principia theoretica doctrinæ; hinc naturaliter relationem dicit ad dogma, atque proinde non adeo facile præsumi debet error Romanorum Pontificum in eadem decisione edenda.

16. II^a^. opinio est eorum qui dicunt, Romanos Pontifices ante Alexandrum III. non definivisse quæstionem *in abstracto, sed de facto* in aliquibus quæstionibus propositis solvisse vinculum matrimonii *antecedentis* et per dispensationem *in radice* sanasse defectus *secundi* matrimonii consummati. Siquidem Romanos Pontifices utrumque facere posse videbimus inferius. Hinc Romani Pontifices prædecessores Alexandri III. potuerunt solvere vinculum matrimonii rati et ad id faciendum sufficientes rationes habuerunt, tum ut repararetur damnum illatum alteri conjugi ex consummatione matrimonii, et proli fortasse inde enatæ, tum ut scandalum evitaretur, quod ex separatione conjugum ortum fuisset. Quod vero possit matrimonium in radice sanari a Rom. Pontifice, patet ex eo quod nihil impedit, quominus per fictionem juris, dispensatio retrotrahatur ad tempus usque contracti matrimonii.

17. Verum hæc quoque opinio admittenda non videtur; quamvis enim non repugnet, ita peragere potuisse Romanos Pontifices prædecessores *Alexandri III.* quemadmodum in hac sententia supponitur, tamen præsumi nequit rem reapse taliter se habuisse. Nam 1°. illis temporibus penes Doctores *clara et recepta non erat persuasio de potestate Romani Pontificis solvendi vinculum matrimonii rati, et non consummati.* forsitan quia rarissimi erant casus hujus dispensationis. Quando autem potestate Romani Pontificis matrimonium ratum solvebatur, non dicebant Doctores Romanum Pontificem dispensasse, sed potius declarasse nullum fuisse matri-

monium celebratum. Hinc quoniam quæstio nondum plene resoluta fuerat, quomodo contingere potuit, ut a quibusdam Rom. Pontificibus aliter judicatum fuerit, idest dispensatum fuerit in priore matrimonio solummodo rato? Deinde 2°. admitti nequit solutio relate ad posterius matrimonium. Nam sanatio in radice quæ datur a Rom. Pontificibus *non conceditur quando impedimentum dirimens est juris divini,* sed solummodo quando est juris Ecclesiastici. Jam vero impedimentum ortum ex priore matrimonio rato est juris divini, procedens nempe ex divina institutione. Ergo sanari non poterat in radice secundum matrimonium. Quare dici nequit prædecessores Alex. III. aliter judicasse de duobus matrimoniis in sensu sententiæ expositæ.

18. Tertia sententia ita se habet. Non alia fuit Alexandri III. et suorum prædecessorum opinio de matrimonio dumtaxat rato in concursu cum matrimonio posteriore consummato; dixit vero Alexander aliter judicasse suos prædecessores quia ipsa difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano hanc responsionem exigebat. Et sane, quando quæstio de concursu matrimonii consummati cum matrimonio solummodo rato præcedenti proposita simpliciter est, Romani Pontifices invocarunt principium '*Matrimonium facit consensus, non concubitus*', quin aliquid adderent. Ita in 1ª. *Collect. Canonum* cc. 4. et 6. Sed cur dixit *Alexander III.* aliter judicatum fuisse a suis prædecessoribus? Quia ita exposcebat difficultas proposita ab Archiepiscopo Salernitano. Videlicet Archiepiscopus videns, aliquando Romanos Pontifices prætulisse secundum matrimonium consummatum, priori solummodo rato, interrogavit quid esset sentiendum. *Alexander* categorice respondit, primum matrimonium præferendum esse posteriori, quamvis aliqui Romani Pontifices aliter judicavissent ob peculiarem rationem facti.

Quænam vero fuit hæc ratio? Respondemus aliquando ista quæstio eisdem Rom. Pontificibus proposita fuit, ut plene constaret de celebratione secundi matrimonii, non vero constaret eodem modo de celebratione primi, et proinde admiserunt secundum matrimonium consummatum, excluserunt prius quod asserebatur solummodo ratum fuisse. Hæc hypothesis præsertim verificari poterat temporibus *Alexandri III.,* cum nempe inter fideles contraheretur matrimonium *clandestinum,* quod difficilis erat probationis. Hæc explicatio non habet positivum fulcrum in Decretali Alexandri III., sed

tamen nihil contra se habet; apte autem et sufficienter explicat loquendi modum Pontificis.*)

Ex quibus omnibus patet impedimentum ligaminis oriri ex præcedente matrimonio, sive illud fuerit ratum et consummatum, sive fuerit solummodo ratum.

19. Quæritur quænam pœna ab eo incurratur qui post initum matrimonium, eo exsistente aliud attentat, idest *quœnam pœna statuta sit contra polygamos.*

Pœna quæ antiquitus vigebat exhibetur in c. 2. h. t. et reducitur ad congruam pœnitentiam duraturam per septennium. Sed pœna hæc cessavit. Publicata autem est constitutio *Urbani VIII.* '*Magnum*' d. 20. Junii 1637. In hac constit. statuit Pontifex, fidelem, qui constante primo matrimonio aliud contrahere attentaverit, denunciandum esse S. Inquisitioni ceu suspectum de hæresi, et damnandum esse ad triremes, tradendumque esse Curiæ sæculari ut pro gravitate delicti pœnis etiam gravioribus subjiciatur.

Hæc autem constitutio quasi ad terrorem incutiendum edita, non videtur in usu recepta fuisse in Ecclesia. Sane vix decennio

*) Acutam cl. Auctoris interpretationem admiramur, nihilominus ipsi adjungere nos non possumus. Etenim interpretatio convenire potest quidem verbis quæ sunt in Decretalibus *Gregorii IX.* sc. „Quamvis aliter a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum". At minus convenit textui integro qui in prima Compilatione invenitur et sic se habet: „Quamvis alii aliter sentiant et aliter etiam a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum". *Alexander III.* enim, antea Magister *Rolandus* canonum peritissimus, intendebat declarare discrepantiam suæ sententiæ a sententia prædecessorum suorum, si qua exsistebat, non in aliquo casu *practico* qui similis *apparebat* casui in c. 3. h. t. deciso, verum non *erat:* sed in *theoria,* uti concluditur ex verbis, *quamvis alii aliter sentiant et aliter etiam*" etc. Nam ex hisce deducitur responsum ad Archiep. Salernitanum non correspondere sententiæ omnium Doctorum neque fortasse judiciis quibusdam aliquorum Romanorum Pontificum. Clarius adhuc deducitur hoc ex doctrina *Alexandri III.* quam defendebat ante suum Pontificatum uti magister *Rolandus Bandinellus: „Ecclesiæ* tamen *consuetudo* est, ait, si desponsata alium virum sibi elegerit, atque ab eo carnali conjunctione polluta fuerit, secundo eam concedere. Quæ tamen consuetudo, quibus auctoritatibus defendatur, me latere non denego"; cfr. *Thaner:* „Die Summa magistri Rolandi, nachmals Papstes Alexander III., nebst einem Anhang Incerti auctoris Quæstiones. Innsbruck 1884." pag. 132. — Quare Ia. sententia magis placet quam amplectitur etiam Robertus *Bellarmin:* in suis Disputationibus, *De Romano Pontifice;* l. 4. cp. 14. hisce verbis: „Ad 2um. dico: nec Alexandrum nec ejus prædecessores aliquid *definisse,* sed solum quid *sentirent,* explicuisse".

post editam eandem Constitutionem S. C. Inquisitionis interrogata ab Archiepiscopo *Beneventano,* qua pœna puniendi essent polygami, a. 1647 respondit *'Polygamorum pœna, si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxissent, post abjurationem de vehementi solet esse damnatio ad triremes per quinquennium, si vero induxissent, per septennium. Falsi testes ipsi quoque damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius tempus pro delicti sui gravitate'.* Cf. *Ben. XIV.* in *Syn. Diœc.* l. 9. c. 6. n. 8. Hæc dicta sint de concursu matrimonii posterioris cum matrimonio anteriori.

Cessat autem impedimentum *ligaminis:* 1) semper morte *alterutrius* conjugis; *Rom.* VII. 2—3.; 1. *Cor.* VII. 39.; 1. *Tim.* V. 14.

2) In casu matrimonii *rati tantum:* aut *professione religiosa* alterutrius conjugis aut *dispensatione* Summi Pontificis, de quo infra.

3) In casu matrimonii vero, sc. *infidelium*: novo matrimonio a persona ad fidem conversa contracto juxta privilegium Apostoli.

20. Secundus casus considerandus in titulo est de concursu sponsalium cum matrimonio, qui concursus dupliciter verificari potest. Scilicet agendum est 1^0. de concursu antecedentium sponsalium cum matrimonio subsequenti, 2^0. de concursu sponsalium cum præcedenti matrimonio.

In hoc secundo casu, ut quisque videt, nulla occurrit difficultas. Nam procul dubio matrimonium præexsistens dirimit sponsalia subsequentia. At interdum accidit casus sequens: Moriturus decumbit conjux qui accersito alteri conjugi suadet, ut personam cujus probitatem perspectam habet præcipue ratione prolis orbatæ, post mortem decumbentis ipsius conjugis sibi matrimonio copulet. Conjux sic admonitus contrahit cum dicta persona sponsalia de futuro vivente adhuc altero conjuge. Valentne hæc sponsalia? Certe non valent secundum dicta in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 47. et 48. et secundum dicenda in tit. *De conditionibus appositis* (IV. 5). Valere autem talia sponsalia contendere debent qui tenent valere sponsalia a personis ob impedimentum inhabilibus contracta cum conditione *Si Papa dispensaverit.* —

21. Consideremus igitur primum casum.

Quæstio quæ ex isto casu potest oriri, solvitur a *Gregorio IX.* in c. 31. *De sponsalib. et matrim.* (IV. 1), in quo traditur matrimonium contractum post sponsalia validum esse, non obstantibus sponsalibus. Sponsalia igitur quamvis *illicitum* posterius matri-

monium efficiant, illud tamen non dirimunt juxta exposita in tit. *De sponsal.* (IV. 1) n. 46.

Neque dicant non posse alteri tradi, quod est jam alicui tertiæ personæ obligatum, nam obligatio hujusmodi est obligatio justitiæ, quæ proinde actum contrarium illicitum quidem reddit, non autem elidit, præsertim cum justitiæ læsio proprie nihil aliud exigit quam congruam reparationem, quæ reparatio potest etiam aliquo modo sufficienter componi cum statu conjugali. Qui enim frangens fidem datam in sponsalibus, matrimonium cum tertia persona contraxit, non repugnat posse reparare conveniente satisfactione injuriam irrogatam personæ cum qua contraxit sponsalia ex. gr. solutione dotis convenientis.

22. Valet igitur matrimonium posterius in concursu cum sponsalibus præcedentibus. At exceptio principium hujusmodi limitat nisi ex sponsalibus oriatur *impedimentum publicæ honestatis.*

Quid est impedimentum publicæ honestatis? Quamvis solummodo per matrimonium consummatum fiat una caro vir et mulier et per consequens gignatur proximitas sanguinis, inter unum conjugem et consanguineos alterius, tamen quædam propinquitas inter easdem personas oritur etiam, quando *consensus* fit matrimonii, vel per contractum matrimonii de præsenti, vel per promissionem de futuro. Hinc ex publica morum honestate visum est indecens esse matrimonium, quod contraheretur ab una ex partibus, quæ tractatum matrimonii inter se habuerunt, cum consanguineis alterius partis. Quia licet non vera affinitas ex tractatu matrimonii oriatur, tamen aliqua animorum conjunctio, et proximitas personarum inducitur *(quasi-affinitas).*

23. Quare a Jure civili Romanorum ll. 6. et 8. ff. *De gradibus et affinibus* et 8. C. *De incest. et inutilibus nuptiis* inductum est, et a legislatione Ecclesiastica recognitum, impedimentum quod vocatum est *'publicæ honestatis'* quasi nempe requisitum, ab honestis populi Christiani moribus. — De hoc impedimento agitur in cc. 11. et 14. C. 27. q. 2.; in cc. 4. et 8. *De sponsalibus* (IV. 1) et c. un. ejusd. tit. in 6°. necnon in c. 3. sess. 24. *De ref. matr.*

Hoc impedimentum in eo consistit, ut, posito inter duos solo matrimoniali consensu: sive *de futuro* in sponsalibus, sive *de præsenti* in matr. rato non consummato: vir contrahere nequeat matrimonium cum consanguineis mulieris, mulier nequeat contrahere matrimonium cum consanguineis viri.

24. Impedimentum hujusmodi est dirimens, et quidem jure *antiquo* matrimonium dirimebat usque ad *quartum* gradum, sive ortum habuisset ex sponsalibus, sive ex matrimonio rato. Oriebatur etiam impedimentum ex sponsalibus et matrimonio *invalidis*, dummodo invalida non fuissent ex defectu *consensus*, quia posito consensu locum habuerat conjunctio animorum, et proximitas personarum, ex qua procedit ratio impedimenti.

25. Et quoniam in constituendo hoc impedimento Ecclesia respexit ad propinquitatem personarum inductam tempore positi tractatus matrimonialis, impedimentum hujusmodi persistit et viget, quamvis tractu temporis, sponsalia quomodocumque solvantur, ex. gr. per mortem, per fornicationem, et etiam si solvantur mutuo consensu. Scilicet publica honestas constituit impedimentum perpetuum. Ita innuitur in cc. 11. et 14. citatis necnon c. 8. *De spons. et matrim.* (IV. 1), ubi dicitur absolute 'sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copulare', sed magis manifestum fit ex declaratione S. C. Concilii approbata ab *Alex. VII.* d. 6. Junii 1658.

26. *A. Publica honestas ex sponsalibus.* Binas vero *mutationes* invexit Synodus *Tridentina* circa hoc impedimentum in c. 3. sess. 24. *De ref. matr.* 1°. Animadvertens Tridentinum Concilium dispositionem juris antiqui non posse observari absque incommodis, impedimentum publicæ honestatis ortum ex *sponsalibus*, restrinxit ad *primum* gradum, sive linea recta sit sive obliqua. Hinc vir contrahere matrimonium non potest: cum matre, sorore, vel filia sponsæ suæ, sponsa autem nubere nequit patri vel fratri, aut filio sponsi sui.

27. 2°. Statuit Tridentinum impedimentum hujusmodi induci solummodo ex sponsalibus *validis*. Quare sponsalia invalida sive ex defectu consensus, sive ex quocumque alio titulo non gignunt impedimentum.

28. Ad valorem sponsalium nullam specialem formam vel solemnitatem, saltem de jure *communi*, requiri jam vidimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 15. pag. 4. ita ut *clandestina*, a fortiori *civilia*, a fortiori *ecclesiastica* valeant. Ergo ex triplici hoc sponsalium genere, dummodo nullo alio vitio laborent substantiali, exsurgit impedimentum publicæ honestatis in 1°. gradu.

29. Et in specie quoad sponsalia *clandestina* seu *occulta*, habemus præter alias probationes (de quibus in c. 1.) explicitam re-

sponsionem S. Pœnitentiariæ d. 10. Sept. 1834. in qua dictum est hæc sponsalia *valere.* Hinc eadem S. Pœnitentiaria juxta oraculum vivæ vocis prima vice datum a P. *Pio VI.*, mense Martio 1793, dispensat ab impedimento occulto publicæ honestatis, proveniente ex sponsalibus clandestinis pro foro *conscientiæ* quamvis sponsalia fuerint mutuo sponsorum consensu rescissa. Quapropter si in foro externo sponsalia probari non possunt, impedimentum tamen subsistit in foro conscientiæ, illudque debent observare sponsus et sponsa.

30. Nec posset ex adverso objici *ignorantia legum,* quæ impedimentum dirimens oriri facit etiam ex clandestinis sponsalibus. Nam lex hæc est irritans; quæ omnes tangit dummodo in communitate sit sufficienter promulgata: ignorantia autem legis poterit excusare a culpa in legibus *præcipientibus* vel *vetantibus,* non potest arcere et impedire effectus legis *irritantis.* quæ inducta ob rationem generalem et in bonum societatis, si sufficienter communitati intimata fuerit, urget singulos de universitate, quamvis aliquis legem ignoret, vel quamvis pro eo non verificetur ratio aut periculum cui innititur lex.

31. *B. Publica honestas ex matrimonio rato tantum.*

Quæritur: Utrum dispositio Tridentina, quæ impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum *coarctat,* etiam applicari possit *matrimonio rato?*

Ex Const. *S. Pii V. 'Ad Romanum'* d. 1. Julii 1568. §. »sane«, deducitur tenendam esse sententiam *negativam.* Nam S. Pontifex adnotat Concilium Tridentinum adhibuisse vocabulum *sponsalium,* quod nonnisi improprie significare potest matrimonium ratum. Hinc in re odiosa, prout est correctio juris antiqui, sub nomine sponsalium intelligi nequit matrimonium ratum. Quare declarat et ab omnibus retineri jubet, impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato ortum, remanere sub dispositione antiqui juris, et valere in omnibus gradibus, et in omnibus casibus in quibus valebat ante Tridentinum Concilium. Et per consequens dicendum est, hoc impedimentum adhuc urgere usque ad *quartum* gradum, illudque enasci etiam ex matrimonio *nullo, dummodo nullitas non procedat ex defectu consensus,* quemadmodum etiam declarasse S. C. Concilii refert Secretarius *Lambertini* in voto oblato eidem S. C. d. 21. Nov. 1722.

32. Quibus positis quæritur: *Quid dicendum de matrimonio contracto ante annos pubertatis, in casu quo malitia non supplerit ætatem.*

Juxta dispositonem *Innocent. III.* in c. 14. *De despons. Impuber.* (IV. 2), contractus hujusmodi non valet tanquam matrimonium, sed a jure consideratur habere virtutem sponsalium, idest considèratur ceu promissio de futuro matrimonio contrahendo. Igitur ex tali matrimonio oritur quidem impedimentum publicæ honestatis, sed illud coarctandum est ad *primum* gradum.

Rationes quidem *internas* si consulas, dicendum erit: publicam honestatem dirimere in hoc casu usque ad *quartum* gradum; etenim non agitur de matrimonio nullo *ex defectu consensus,* sed ex defectu maturitatis corporis ac legitimæ ætatis. Nihilominus S. C. Concilii, providens imbecillitati judicii in hac ætate, impedimentum restrinxit ad I^{um}. gradum juxta præsumptionem juris, de qua in tit. *De desponsatione impuberum* (IV. 2) n. 15. pag. 104., *si forma Tridentina servata fuerit;* cfr. ejusdem Congregationis decisiones in *Nullius* d. 27. Martii 1596. et in altera d. 4. Dec. 1597. Secus nullum videtur agnovisse impedimentum, ergo neque in casu quo contrahentes sponsalia de futuro expresse exclusissent; vide supra (IV. 2) n. 15. in fine.

33. Quæritur utrum et in qua extensione oriatur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo, ob *defectum formæ Tridentinæ* in locis ubi promulgatum est decretum c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.*

Matrimonium clandestinum in locis ubi promulgatum est Concilium Tridentinum *nullum* certe est, immo *neque tenet sub ratione sponsalium;* et revera in casu invocari potest principium 'Qui agit contra legem, nihil agit'. Atque ad ita sentiendum adducit etiam authentica interpretatio Tridentinæ dispositionis. Nam in causa *Messanensi* a. 1573. (lib. I. *Decr.* pag. 132.) et in alia *Geracensi* a. 1589. (l. 6. *Decr.* pag. 62.) cum quæsitum esset, utrum matrimonium contractum per puberes, absque præsentia Parochi, post publicatum Tridentinum decretum, resolveretur in sponsalia de futuro, ita ut pars reluctans cogi posset ad contrahendum solemniter matrimonium, responsum est *'negative'*. Refert istas resolutiones *Bened. XIV.* in *Inst. Eccles.* 46. n. 23. Quibus et alia conformis ejusdem S. Congreg. responsio addi posset data mense Martio 1587.

Ex quibus conformibus responsionibus aperte infertur, in dubium revocari non posse principium superius expositum.

34. Ex quo principio inferunt aliqui cum *Sanchez: De matrim.* l. 7. disp. 7. n. 13.; ex matrimonio nullo ob impedimentum clandestinitatis non oriri ullo modo, neque ad primum gradum impedimentum publicæ honestatis, quia hoc matrimonium est sub omni respectu nullum. Idest consensus expressus in hoc matrimonio haberi debet ceu non positus, quia positus non est in forma juridica, et per consequens matrimonium dici debet nullum ex defectu consensus, ex quo etiam juxta jus antiquum, impedimentum publicæ honestatis non oriebatur.

35. Sed si res intimius consideretur, videtur melior contraria sententia. Nam absque dubio partes in hoc contractu clandestino intendunt *libere consensum ponere matrimonialem* ac Tridentinum ipsum non consensum destruit, sed *habilitatem* contrahentium. Ergo consensus revera adest, ac proinde matrimonium si nullum est, non est nullum ex defectu consensus, sed ex defectu *formæ substantialis.*

36. Neque dici debet consensum in forma illegitima elicitum, nullum esse. Nam consensus quidem nullus est in latiori sensu i. e. in sensu *contractus,* minime in sensu strictiori, sc. in sensu *consensus naturalis.* Etenim contractus quidem nullus ex defectu *habilitatis personarum,* quando deest forma Tridentina, nequaquam vero ex defectu *consensus.* Qui consensus revera deest vel ex *vi et metu,* vel ex *errore,* vel ex *fictione.* Hisce enim in casibus proprie dicitur nullum matrimonium ex *defectu consensus.* Atqui in matrimonio clandestino non deest consensus hoc modo. Ergo matrimonium clandestinum inducit impedimentum publicæ honestatis, ceu matrimonium simpliciter nullum.

37. Quæritur utrum *ex matrimonio civili* oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Hæc quæstio incepit tractari a Doctoribus, postquam Legislatio civilis, Ecclesiæ vigilantiam et sapientiam spernens, in aliquibus regionibus propriam formam conjugalis contractus invexit. Quare quæstio hujusmodi proprie respicit loca in quibus Tridentinum Concilium publicatum est et servanda est forma Ecclesiastica in matrimoniis celebrandis. Procul dubio *rationes* non aspernabiles militare videbantur *pro affirmativa sententia,* sane sequentes fiebant animadversiones.

38. 1°. Habetur ex una parte *civilis auctoritas,* quæ imponit suam formam in eum præcise scopum, ut subditi contrahant matrimonium; habemus ex alia parte ipsos contrahentes consensum exterius promere in ordine ad suscipiendas obligationes, et assequenda jura status conjugalis. Quare actus civilis sese offert sub specie contractus matrimonialis invalidi quia celebratur extra formam substantialem Tridentinam.

39. 2°. Ecclesia illum considerare videtur sub hoc respectu. Nam si post civilem contractum conjuges simul vivant ceu vir et uxor, nec alteruter eorum induci possit ad ineundum matrimonium coram Ecclesia, altera pars potest petere et assequi a S. Sede dispensationem *in radice,* qua nempe dispensatur circa impedimentum clandestinitatis, et effectus dispensationis retrotrahitur ad tempus initi civilis contractus. Igitur consensus positus coram officiali civili, consideratur saltem ceu consensus naturalis illegitime positus; scilicet civile matrimonium habetur, ceu matrimonium nullum, non quidem ex defectu consensus, sed ex defectu formæ Tridentinæ, idest ob impedimentum clandestinitatis. Unde dici posse videbatur ex actu civili oriri impedimentum publicæ honestatis, tanquam ex matrimonio nullo.

40. At *ex adverso* animadvertebatur 1°. præsumendum esse fideles consensum suum coram magistratu civili, præstare juxta mentem Ecclesiæ, quæ est ut intentionem habeant conficiendi *meram cæremoniam civilem (Bened. XIV.* in Epistola ad *Simonem Carmelitam.)*

2°. Matrimonium civile, in quantum est *civile,* matrimonium omnino non est, sed solum per accidens, uti vidimus supra in tit. *De cland. despons.* (IV. 3) pag. 121. nn. 49. et sqq. Unde nullus effectus Ecclesiasticus oriri posse dicebatur ex actu civilis matrimonii.*)

41. Rebus sic stantibus S. Congregatio Concilii die 13. Martii 1879 quæstionem resolvit pro negativa sententia, quare prodiit sequens formale decretum, approbatum a summo Pontifice *Leone XIII.* in audientia diei 7. Aprilis ejusdem anni.

*) Qui argumenta *pro* et *contra* amplius ponderare desiderat, tractatum Secretarii S. C. Concilii consulat, quem exhibent ephemerides: "*Acta S. Sedis*" in vol. 12. pag. 147. et *Monitore Ecclesiastico* in vol. II. p. 1. pag. 97. et sqq.

Decretum.

'Postquam laici legum latores, præter civiles et politicos effe-'ctus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari præsumpsere matri-'moniale fœdus, quod a Deo auctore naturæ ante omnem civilis 'societatis exsistentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem sacra-'menti dignitatem deinde a Christo Redemptore evectum, quamlibet 'politicam et civilem jurisdictionem penitus excedit, pluries Epi-'scopi aliique animarum pastores ab Apostolica Sede anxii postu-'larunt, *an ex actu civili, qui honorandum usurpat matrimonii 'nomen, impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriatur.* Quæ 'postulationes cum iteratæ postremis hisce temporibus fuissent, 'Summus Pontifex mandavit ut hujusmodi negotium a S. Congre-'gatione Eminentissimorum ac Romanorum Cardinalium Concilii 'Tridentini interpretum, rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem 'congregatio, exquisitis virorum in theologicis et canonicis discipli-'nis peritorum consultationibus, ac re matura discussa in generali 'comitio diei 13. Martii 1879 propositæ dubii formulæ '*An actus 'qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiæ 'publicæ honestatis*' rescripsit '*Negative, et consulendum Sanctissimo 'ut id declarare ac statuere dignetur*'.

'Quapropter Sanctissimus Dominus Noster *Leo* Papa *XIII.* 'audita universa rei relatione, in audientia diei 17. ejusdem mensis 'in voto S. C. concedens per præsens decretum declarat ac statuit, 'præmemoratum actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile,* in 'locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. sess. 24. c. 1. '*De Reform. matrim.* sive fideles actum ipsum explentes intendant 'uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum 'animo illud quantocius celebrandi) meram cæremoniam civilem 'peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem 'ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant 'matrimonium de præsenti contrahere, *impedimentum justitiæ pu-'blicæ honestatis non producere.*

'Atque ita etc.'

42. Animadvertimus vero, præfati decreti virtutem coarctari ad *solum* effectum publicæ honestatis impedimenti. Hinc quoad reliqua nihil est innovatum. Unde ex. gr. S. Sedes etiam hodie concedere solet sanationem *in radice* matrimonii civilis, quemadmodum consueverat ante decretum.

43. Quæritur: *Quid si quis post contracta sponsalia cum puella, matrimonium de præsenti contrahat cum sorore ejusdem?*

Matrimonium hujusmodi est *invalidum* ob impedimentum publicæ honestatis. At ex hoc nullo matrimonio non oritur impedimentum in præjudicium præcedentium sponsalium, quæ adhuc valida remanent, quia impedimentum publicæ honestatis *non operatur retrorsum.* Ita in c. un. *De spons. et matrim.* (IV. 1) in 6°. Hinc pars quæ matrimonium celebrare ausa est, poterit matrimonium contrahere cum altera parte, quacum sponsalia contraxerat.

Propositio »Impedimentum publicæ honestatis non operatur retrorsum« est *strictissimæ* interpretationis ita ut complectatur tantummodo casum in quo nullitas matrimonii rati tantum unde oritur secunda publica honestas, efficiatur impedimento prioris publicæ honestatis; minime vero alio impedimento, uti consanguinitatis, cognationis spiritualis etc. Arnulphus e. gr. init sponsalia cum Bertha. Postea uxorem ducit Mœviam, suam commatrem et consanguineam Berthæ in II°. gradu lineæ collateralis. Matrimonium cum Mœvia nullum est: non ob impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus, sed ob aliud impedimentum e. gr. cognationis spiritualis. Ex hoc nullo matrimonio oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens usque ad IV^{um}. gradum, quod comprehendit etiam Bertham; nam nullitas matrimonii non oriebatur ex sponsalibus, sed ex alia causa.

Nonnulli DD. contrarium tenentes opinantur etiam in hoc casu verificari »Publica honestas non operatur retrorsum«, *Aichner: Comp. Jur. Eccl.* 7. ed. pag. 618., qui citat *Kutschker:* III. p. 404.; *Instructio pastoralis Eystetten.* a. 1877. pag. 302.

Sed immerito; nam textus c. un. *De sponsal.* (IV. 1) in 6°. qui illis favere videtur, a Tridentino in c. 3. sess. 24. *De ref. matr.* est correctus ita ut quod antea pro quattuor gradibus valebat, ex Tridentino valeat tantum pro *primo, S. Alphonsus* in opere *Homo apost.* tr. 18. n. 65. X.; *Sanchez: De matrimonio* l. 7. disp. 68. nn. 23—24.; *Heiss: De matrimonio.* Monachii 1861. pag. 159. not. 2.

44. Hoc impedimentum non enascitur ex sponsalibus vel matrimonio rato tantum *infidelium,* S. C. Inq. d. 26. Sept. 1837.; cfr. *Gasparri:* c. l. I. n. 732.

45. Tertius casus considerandus in titulo, juxta ea, quæ in principio tituli innuimus, respicit concursum *sponsalium* posteriorum cum prioribus *sponsalibus.*

Breviter de hac re dicimus, *priora* sponsalia *servanda esse,* et posteriora non valere c. 22. *De spons. et matrim.* (IV. 1). Nam argumento c. 31. eod. tit. obligatio posterior in eodem ordine, ab alia contraria et æquivalenti obligatione priori prorsus excluditur, et proinde id quod uni promissum est, alteri promitti nequit.

46. Nec aliquid facit si secundis sponsalibus adjectum fuerit *juramentum,* nam juramentum obligationem non inducit in præjudicium tertii, et »Accessorium naturam sequi congruit principalis«, *reg.* 42. *Juris* in 6⁰.

47. Pariter idem dicendum in casu, quo novis sponsalibus accesserit *carnalis copula;* scilicet priori adhuc valent sponsalia. Nam injuria quæ forte illata est per copulam, non mutat naturam obligationis sponsalium, cfr. dicta in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 54. pag. 17. Supposita enim exsistentia certæ obligationis, non potest introduci alia obligatio ejusdem generis et ponderis contraria priori. Neque dicas: sponsalia cum subsequenti copula judicanda esse præsumptione juris et de jure uti matrimonium ideoque sponsalibus prioribus prævalere. Nam 1⁰. hæc præsumptio ex Const. »*Consensus mutuus*« sublata est; 2⁰. neque jure decretalium ejusmodi sponsalia transire subsequenti copula in matrimonium; etenim sponsalia nulla sunt, cum ad illam præsumptionem requirantur *valida.*

Titulus V.

De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus.

1. Consensus, per quem contractus perficitur, potest exprimi *pure* et *simpliciter,* vel aliquid eidem *adjici* potest.

Prima et præcipua adjectio, quæ contractibus accedit, est *conditio,* quæ definitur: '*Adjectio quædam contractui apposita, obligationem suspendens in tempus vel in eventum futurum*'. Hinc *proprie* conditio est quæ suspendit obligationem in futurum.

2. *Improprie* autem dicitur conditio quæ de præterito vel præsenti quidem est, quæ tamen tempore contractus ignoratur, seu in qua dubia est veritas cujusdam qualitatis, quæ principaliter intenditur in contractu.

Impropriis conditionibus accensetur etiam *conditio necessaria de futuro.* Quod enim certe eveniet, haberi potest uti præsens.

Hinc in l. 9. ff. *'De novationibus'* §. 1. dicitur 'Qui *sub conditione* stipulatur, *quæ omnino exstatura est, pure* videtur stipulari'.

3. Indoles vero proprie dictæ conditionis est, ut referat obligationem, in aliquem futurum eventum, ita ut voluntas non sit voluntas quoadusque eventus futurus non fiat præsens, sive ille sit *fortuitus,* seu *casualis,* sive sit *potestativus,* scilicet nostro arbitrio remissus.

Hinc in æstimanda conditione, eaque distinguenda ab aliis adjectionibus, constare debet contrahentes noluisse ratam habere obligationem, priusquam adjectio expleatur.

4. Conditiones dividuntur in *possibiles* et *impossibiles. Possibilis* est, quæ rerum naturalium ordinem non superat, secus dicitur *impossibilis;* quemadmodum esset quæ in legibus Romanis adducitur *'Si digito cœlum tetigeris'* quia vires nostras superat. Hinc in conditionibus potestativis possibilitas ex viribus agentis æstimatur.

5. Conditiones possunt esse *honestæ* vel *turpes. Honestæ* sunt illæ, quæ nulli legi, sive naturali, sive divino-positivæ, sive etiam humanæ adversantur. *Inhonestæ* vel *turpes* illæ dicuntur, quæ sunt contra bonos mores vel leges.

6. Inter conditiones plerumque inhonestas nonnullæ sunt *contra substantiam conjugii,* quia bonis substantialibus ejusdem adversantur. Tria autem sunt bona conjugii substantialia, scilicet bonum *prolis,* bonum *fidei,* bonum *sacramenti.* Quare 1°. contra substantiam conjugii sunt conditiones, quæ adversantur bono *prolis,* ad cujus honestam procreationem ordinatur matrimonium, ex. gr. contraho tecum si prolem evites, si prolem occidas; 2°. contra substantiam conjugii sunt conditiones positæ contra bonum *fidei seu fidelitatis* observandæ a conjugibus. Nam cum matrimonium ordinatum sit ad individuam societatem unius cum una, ita ut vir non habeat potestatem corporis sui, sed mulier et viceversa (1. *Cor.* VII. 4.) ex ipsa natura matrimonii fluit necessitas mutuæ fidei inter conjuges servandæ. Hinc esset contra substantiam matrimonii hæc conditio 'contraho tecum, dummodo te adulterandam quæstus causa tradas'. 3°. Substantiales turpes sunt conditiones, quæ bono *sacramenti* opponuntur. Ex ratione siquidem sacramenti exsurgit vera *indissolubilitas* matrimonii christiani. Hinc si consensus alligaretur eventui futuro, ex quo dissolveretur matrimonium, conditio hæc esset contra substantiam ejusdem matrimonii ex. gr. contraho tecum donec inveniam aliam te ditiorem.

7. Quæritur: *Utrum matrimonio adjici possint conditiones.*

De matrimonio habemus c. 5. h. t. *Urbanus III.* in hoc capite respondens in specie proposita de juvene, qui contraxerat sub conditione 'si pater consensisset', videtur hanc conditionem *admittere,* quamvis hæc conditio durior præ aliis sit. Est enim potestativa, arbitrio tertiæ personæ remittens exitum obligationis conjugalis contractus.

8. Verum ob *incommoda,* quæ inde advenerant, et advenire possunt ob suspensam obligationem, necnon ob incertam determinationem implementi conditionis, ex quo oriri possunt non paucæ dubietates et quæstiones, inductum est saltem in praxi, ut *non admittatur* celebratio matrimonii, in forma conditionata, nisi gravis ratio suadeat conditionalem consensum ponendum esse.

9. Quid vero dicendum si *de facto* matrimonium sub conditione celebratum fuerit?

Quoniam conditiones possunt esse honestæ et inhonestæ, possibiles et impossibiles, distinguamus oportet 3 casus:

I. contractum cum conditionibus honestis et possibilibus.
II. contractum cum conditionibus inhonestis vel impossibilibus simpliciter.
III. contractum cum conditionibus substantiæ matrimonii adversantibus.

I. De conditionibus honestis et possibilibus.

Cum ea sit natura conditionis, ut in quolibet contractu obligationem suspendat, dicendum est matrimonium etiam sub honesta et possibili conditione initum non valere nec obligare, donec non adimpleatur conditio apposita. Ita communis Doctorum sententia, quæ evidenter infertur ex c. 5. h. t. ubi *Urbanus III.* ait, juvenem qui sub conditione consenserat, non teneri ad matrimonium consummandum antequam verificaretur conditio, quia consensus non est de præsenti habendus, licet verbis de præsenti sit expressus.

Et revera. Consensus conditionatus duplicem dubitationem implicite secum trahit 1^0. utrum matrimonium aliquando futurum erit; 2^0 quandonam futurum erit matrimonium. Illico igitur post celebrationem matrimonium conditionatum obligare non potest.

10. Ex modo autem loquendi *Urbani III.* enascitur quæstio *'Utrum necne purificata conditione, eo ipso censeatur purificatus consensus, ita ut statim valeat matrimonium vel renovandus sit*

consensus.' Et quidem Urbanus III. ait, conditionalem consensum non esse de præsenti habendum. Itaque ex sensu contrario videtur esse consensus de futuro, idest matrimonium conditionatum videtur æquiparandum esse sponsalibus; nec proinde obligare post completam conditionem, nisi novus accedat consensus.

In hac quæstione diversa est sentiendi ratio Theologorum et Canonistarum.

Theologi enim duce *S. Thoma* Dist. XXIX. q. unic. art. 3. q. 3., tenent matrimonium conditionatum reduci ad contractum sponsalium de futuro.

11. *Canonistæ* autem adhærentes conceptui juridico contractus conditionati, tenent matrimonium conditionatum esse verum matrimonium, eo ipso quod conditio impleatur. Dispositio enim conditionata, adveniente conditione, pura redditur, et ex eo tempore perficitur perinde ac si ab initio pure facta fuisset; l. 11. ff. *Qui potiores in pignore . . . habeantur* §. 1.

Accedit ratio ex c. 5. h. t. Nam *Urbanus III.* ait juvenem non teneri ad matrimonium consummandum, ante eventum conditionis; ergo, ex sensu contrario tenetur post eumdem eventum.

Verum hac in re quid theoretice sit tenendum, quidve in praxi servandum, deprehenditur ex resolutione S. C. Concilii, quam fuse exponit *Fagnanus* in *comm.* ad c. 5. h. t. nn. 4. et sqq.

12. Duo, Parocho adstante, et testibus contraxerunt matrimonium de præsenti sub honesta et possibili conditione. Purificata conditione quæsitum est an eo ipso matrimonium consisteret, vel renovandus esset consensus coram Parocho et testibus. Plerique Patres in congregatione dixerunt, renovandum esse consensum coram Parocho et testibus, quia Concilium Tridentinum videtur locutum fuisse de matrimonio perfecto per verba de præsenti, cum requisivit præsentiam Parochi in matrimonio. Ergo cum in matrimonio sub forma conditionata non de præsenti, sed potius de futuro agatur, præsentia Parochi et testium iterum requiritur quando consensus de futuro fit de præsenti per ratihabitionem primi contractus.

Res delata est *S. Pio V.*, qui visus est probare sententiam canonistarum, quæ tenet purificata conditione, non esse renovandum consensum coram Parocho, nec difficultatem ex Concilio Tridentino ad rem facere.

Quæstio iterum proposita est in S. C. Concilii, et Patres omnes, præter unum, canonistarum sententiæ adhæserunt.

Resolutio relata est *Clementi VIII.*, qui visus est dubitare, quia licet ante Tridentinum Concilium matrimonium contractum absque ulla solemnitate valuisset, et proinde contractus conditionatus adveniente conditione natura sua transiisset in contractum purum et simplicem, idest in verum matrimonium, tamen aliter tenendum esse videbatur, post inductam formam contractus conjugalis per Tridentinum Concilium. Nam ex una parte certum est requiri formam Tridentinam in matrimonio, ex altera parte non videtur posse attendi forma solemnis adhibita ab initio. Sane quando receditur a conditione, nulla solemnitas adhibetur; aliqua autem adhibenda esset solemnitas in resolutione contractus, si partes obligatæ censerentur solemnitate adhibita in celebratione matrimonii conditionati. Ex hac animadversione videbatur non esse sufficiens, prior consensus, sed novus necessarius videbatur iterum coram Parocho et testibus exprimendus, respectu habito, ad id quod circa matrimonii formam Conc. Tridentinum statuerat.

Sacra autem Congregatio advertit, non verificari paritatem, inter casum quo receditur a conditione posita, et casum quo conditio expletur. In hoc enim secundo casu solummodo, juxta naturam contractus, prior solemnitas præsentiæ Parochi, et testium in celebratione matrimonii censetur virtute sua perseverare, usque ad tempus adimpletæ conditionis. Ex hoc autem fit, ut consensus conditionatus fiat purus, et unicus defectus, qui in matrimonio exsistebat, idest suspensio obligationis, tollatur per adventum conditionis, idest suspensio obligationis disparet.

13. Summus Pontifex probavit decisionem S. Congregationis, in proposita causa, at noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire posse, sed voluit *omnes casus, qui forte accidissent in futurum, esse specialiter considerandos cum suis circumstantiis.* En igitur norma.

14. Quæritur hic: *Quando sponsi si conditio adjicitur recipiunt sacramentum matrimonii* (loquimur hic de matrimonio inter christianos)?

Non possunt recipere (resp. conferre) nisi quando contractus matrimonialis est perfectus et absolutus; ergo verificata tantum conditione. — Si enim de matrimonio *conditionato* loquimur, de matrimonio *in fieri* loquamur et intelligamus necesse est, ergo de

contractu matrimoniali, non de matrimonio *in esse* (cfr. dicta in tit. *De sponsalibus* [IV. 1] n. 72. 4°. pag. 22.). Nam matrimonium, prout est *status,* conditionatum cogitari nequit. Ut autem in ceteris sacramentis sacramentum collatum dici potest non antea quam forma et materia integre et absolute est applicata, ita et in sacramento matrimonii, sc. posito vero et absoluto contractu. — Incipit vero collatio hujus sacramenti, convenienter naturæ contractûs, a momento quo personæ habiles incipiunt exprimere consensum matrimonialem, sive simplicem sive conditionatum. Terminatur autem collatio, quando consensus matrimonialis est absolutus sive terminatis consensûs verbis (in contractu simplici), sive verificata conditione (in contractu conditionato). Et hæc est peremptoria differentia inter utramque sententiam; nam secundum Theologos consensus conditionatus de præsenti non est causa efficiens matrimonii: non magis quam consensus sponsalitius de futuro; juxta Canonistas autem consensus conditionatus de præsenti causa efficiens est matrimonii, quæ tamen pendet ab implenda conditione. Optimum nobis præbetur analogum in *testamento.*

15. Pendente conditionis eventu contrahentes liberi, etsi non licite, possunt discedere a contractu; nam contractus quia nondum in essentia sua constitutus, non obligat; attamen si coram parocho et duobus testibus initus est ejusmodi contractus, æquum est parochum certiorem facere de discessione, ne status libertatis dubiis sit obnoxius. — Econtra explicandum est *quid efficiat copula carnalis contractui matrimoniali conditionato superveniens?*

Claritatis causâ distinguamus oportet inter regiones ubi viget c. »Tametsi« et regiones ubi non viget. 1°. In locis *ubi obligat lex Tridentina,* copula *sponsalibus* superveniens nequit efficere matrimonium, item neque copula *matrimonio* conditionato clandestino superveniens. At si matrimonio sub conditione in forma Tridentina inito superveniat copula, contrahentes censentur discessisse a requisito verificatæ conditionis ex c. 5. h. t. et ideo matrimonium perfectum esse saltem juxta sententiam Canonistarum, cum Theologi nihil operari ejusmodi copulam tenere debent. 2. In locis vero ubi non obligat lex Tridentina, hæc valent. *Sponsalia* conditionata subsecuta copula carnali transierant jure Decretalium in matrimonium ex c. 3. h. t. At hæc præsumptio juris et de jure hodie non jam viget ex Const. *Consensus mutuus;* cfr. exposita in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 38. pag. 116. —

Si autem *matrimonio* conditionato superveniat copula carnalis, contrahentes a conditione discessisse ideoque matrimonium absolute iniisse censentur ex cc. 3., 5., 6. h. t. juxta sententiam Canonistarum; nam decretum *Consensus mutuus* non loquitur de matrimonio conditionato, sed tantummodo de sponsalibus. Theologi autem decretum citatum etiam matrimonio conditionato quia pro sponsalibus illud habent, applicare debent. —

Quodsi conditiones honestæ et possibiles de *præterito* vel *præsenti* adjiciuntur, matrimonium valet vel non valet, secundum quod et in quantum requisitum adest vel non adest. Sed contrahentes exspectare debent usque dum quomodo res se habeat, cognoscatur.

II. De conditionibus inhonestis vel impossibilibus simpliciter.

16. Quæritur quid dicendum si matrimonio adjiciantur conditiones tales?

Huic quæstioni respondet c. ult. h. t. *Gregorii IX.:* hisce verbis: »Licet aliæ (i. e. quæ non adversantur substantiæ matrimonii) conditiones appositæ in matrimonio, si *turpes* aut *impossibiles* fuerint, debeant propter ejus favorem pro non-adjectis haberi«. Unde Doctores dicunt conditiones simpliciter turpes aut impossibiles *vitiare seipsas,* non autem vitiare matrimonium cui adjiciuntur. Sapiens quidem conclusio hæc est. Nam ex una parte salva est *contractus substantia,* cui non adversatur conditio apposita, ex altera parte *favor* matrimonii 1^0. exigit ut pro sua *sanctitate* non alligetur turpi alicui eventui, a quo pendeat, et 2^0. pro sua *gravitate* exigit ut non referat imaginem illusoriæ et ridiculæ negotiationis, prout est contractus alligatus conditioni impossibili. Hinc merito jus præsumit contrahentes, qui substantiam matrimonii lædere non intendunt, serio non posuisse conditiones simpliciter turpes vel impossibiles.

17. Hæc præsumptio juris, ut diximus, procedit *ex favore matrimonii.* Nam cum conditiones turpes vel impossibiles, aliis contractibus adjectæ, vitient ipsum contractum, econtra in matrimonio eædem conditiones vitiant seipsas. Favor hujusmodi inductus est in similitudinem causæ *testamenti,* et causæ libertatis, quæ causæ favorabiles esse in jure censentur, favor autem præcipue in eo consistit, ut jus præsumat in favorem causæ, quoadusque contrarium non demonstratur. Qui favor relate ad matrimonium expresse exhibetur, in c. 26. *De sentent. et re judicata*

(II. 27), quod tradit, in dubio ad evitanda pericula animarum, quæ orirentur ex dissolutione matrimonii forsitan validi, semper præsumendum esse pro valore matrimonii.«

Hinc in re nostra, quoniam qui ponit conditionem turpem vel impossibilem in matrimonio, incertum est utrum serio eas posuerit vel non, lex ipsa interpretatur voluntatem contrahentium, et statuit hanc fuisse sinceram quidem, et determinatam ad contrahendum matrimonium, non autem seriam fuisse relate ad conditionem.

Animadvertendum vero est hæc omnia procedere ex præsumptione legis ita interpretantis voluntatem contrahentium. Hanc autem præsumptionem haud esse juris et de jure, sed esse *solum juris,* quæ proinde *probationem in contrario sensu* non excludit. Idest si pateat consensum fuisse alligatum turpi conditioni aut impossibili, ob non verificatam conditionem, matrimonium, quod in consensu consistit, non sustinetur.

III. De conditionibus contra substantiam matrimonii.

18. In eodem c. 7. h. t. *Gregorius IX.* sic loquitur: »Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta: si alter dicat alteri; Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumque sit favorabilis, caret effectu«. Hinc Doctores dicunt, *conditiones contra substantiam matrimonii vitiare matrimonium* et non vitiare seipsas. Quamvis enim causa matrimonii sit maxime favorabilis, adeo ut in dubio ipsum jus interpretetur dubium pro valore matrimonii, tamen ipse favor efficere nequit, ut supponatur exsistere contractum ubi revera et certo non exsistit. Idest lex potest interpretari voluntatem, ubi adsit dubitatio, non potest autem voluntatem ex integro fingere et creare, ubi non adest prorsus.

Jamvero quando contractui matrimonii adjicitur conditio contra substantiam ejus, contractus non exsistit, nam non exsistit voluntas contrahendi. Qui enim vult aliquid contra substantiam contractus, non vult contrahere: censetur enim in mente habere objectum toto cœlo diversum ab eo circa quod consensum exterius exprimit. Ergo in hypothesi, deest reapse consensus, ac proinde matrimonium non valet.

Adjici autem conditio contra substantiam matrimonii potest expressis verbis in *ipso contractu* physice aut moraliter i. e. im-

mediate ante contractum ita tamen ut conditionem influere in contractum sit perspicuum, cfr. causam *Ulixibonen.* d. 18. Jul. 1724. (in opere »*Canones et decreta*« etc. edito a *Richter* et *Schulte* ubi casus in extenso narratur, pag. 246—250. n. 88., præcipue pag. 249. col. II.) ab utraque vel ab una parte non contradicente altera.

Si conditio ab una parte expresse adjecta ab altera parte rejicitur et nihilominus matrimonium in consueta forma contrahitur, matrimonium hoc valere præsumendum est. — Si conditio denique in mente adjicitur et quidem uti *conditio sine qua non*, matrimonium in foro conscientiæ non valet, in foro autem *externo* adjectio probari debet id quod difficultatibus minime caret; requiruntur enim argumenta »quæ prudentem virum, attentis circumstantiis occurrentibus certum reddere valent«. Sic in *Parisien.* d. 7. Martii 1885 in casu ubi sponsus conditionem contra bonum sacramenti in animo retinebat sc. contrahendi tantum ad certum tempus, decisum est pro nullitate; in altera *Parisien.* d. 31. Jan. 1891. sententia Curiæ Parisiensis pro nullitate infirmata est a S. C. Concilii sive quia sponsus contraxerat cum solo *errore* circa bonum sacramenti, sive quia conditio in mente posita contra idem bonum probari nequibat. Cfr. A. S. S. vol. 18. pag. 14. et sqq. et vol. 23. pag. 711. et sqq.

19. Quæritur an conditio illa '*Si prolem evites*', sit semper contra substantiam matrimonii, et illud reddat nullum.

Hæc conditio in duplicem aliam conditionem resolvi potest; 1^0. si prolem evites *per nefas,* ex. gr. per procurationem abortus, vel per crimen onanismi; 2^0. si prolem evites *servando castitatem.* Prior conditio est turpis et regulariter adversa substantiæ matrimonii, et per consequens matrimonium nullum reddit.

20. Secunda conditio *honesta* est. Verum, *estne conditio hæc contra substantiam matrimonii?*

Doctores nonnulli*) tenent *non adversari* substantiæ matrimonii. Nam 1^0. distingui potest ipsum *jus seu dominium* in corpora, ab *usu* juris ipsius. Per matrimonium traditur jus, per conditionem contrahitur obligatio non utendi jure, vel juxta aliquos, in

*) *Paludanus* et alii quos citat *Sanchez: De matrimonio* l. 5. disp. 10. n. 1.; item *Palmieri: De matrimonio,* pag. 17.: *Ballerini* ad *Gury:* II. n. 752.: *Lehmkuhl:* II. n. 690; necnon *Gasparri:* c. l. II. n. 858.

matrimonio sufficit si tradatur *jus remotum et radicale* ad prolem gignendam, non autem requiritur ut tradatur jus *proximum* et *expeditum*. Exemplum adducunt de pupillo, qui utique dominium verum acquirit, illud autem non obtinet expeditum.

2°. Adsunt *exempla piarum personarum*, quæ ligatæ erant voto perpetuæ virginitatis servandæ, quæ proinde vel contraxerunt cum conditione servandæ virginitatis, vel sese exposuerunt periculo votum violandi. Cum hoc alterum nequeat supponi, primum tenendum est.

Ergo valet tale matrimonium.

21. Aliorum*) sententia est, *conditionem servandæ castitatis, si deducatur in pactum contractus conjugalis, adversari substantiæ matrimonii*. Etenim omnis contractus matrimonialis initus cum conditione »*si generationem prolis evites*« est nullus ex c. 7. h. t. Atqui conditio de castitate perfecta perpetuo servanda continetur evidenter in illa »si generationem prolis evites.« Ergo contractus matrimonialis cum conditione »si castitatem perfectam perpetuo serves« initus est nullus. Nec dicas: *Gregorium IX.* conditionem »si generationem prolis evites« intellexisse tantum de conditione *turpi* contra bonum prolis. Nam S. C. Concilii d. 8. Julii 1724. eam interpretata est de conditione *honesta* contra idem bonum.

22. Quoad primam adversariorum objectionem: 1. Nemo negabit *post* contractum matrimonium *usum* posse separari a *jure;* nam matrimonium semel validum semper validum neque *humanæ* dispositioni subjacet, sic etiam matrimonium cui supervenit impotentia perpetua, valet, c. 7. *De divortiis* (IV. 19); econtra matrimonium cum impotentia perpetua contractum, nullum est. 2. Dato autem, non concesso usum a jure posse separari etiam ante matrimonium, quid ad rem? Nonne sponsi perpetuum usum matrimonii in limine contractus excludentes *contra bonum prolis stipulantur?* An fortasse ex conjunctione cum jure radicali quidem, sed absque usu hujus juris facilius proles enascitur quam ex conjunctione absque jure et usu? Et hoc est argumentum fundamentale nostrum, non illud jus radicale esse »jus inutile et iners«; libenter enim

*) *D. Thomas* in 4. Sent. dist. 28. q. un. a. 4.; *D. Bonaventura* in 4. Sent. dist. 28. q. ult.. *Layman.* l. 5. tract. 10. part. 2. cp. 7. n. 9., *Gonzalez* in c. 7. h. t. n. 8., *Barbosa* in c. 7. h. t. n. 3.. multique alii inprimis *Benedictus XIV.* in *Syn. Diœc.* l. 13. cp. 22. nn. 10. et seqq. et *Sanchez: De matrimonio* l. 5. disp. 10. nn. 1—7. qui omnes adversariorum objectiones jam tunc enumeratas rejicit.

concedimus separationem post contractum matrimonium possibilem inter jus et usum juris in idea concipi posse etiam ante matrimonium, at negamus contractum a quo posita conditione separatur usus juris in perpetuum, esse validum. — Ceterum in contractu cum conditione »Si pro quæstu *adulterandam* te tradas« jus tradi, solum usum in abusum commutari perspicuum est; tamen contractus ejusmodi non valet, c. 7. h. t. — Nec valet exemplum pupilli, quia interdictio exercitii juris non est absoluta et perpetua, sed est temporanea, nec repugnat aliquem posse recipere jus, quod illico non exerceat.

Quoad secundam rationem, sc. matrimonia celebrata a piis personis obstrictis voto perpetuæ castitatis (non loquimur de voto solemni in sensu juris, quod matrimonium dirimit) inprimis probandum erit easdem personas voto perpetuæ castitatis ante matrimonium fuisse *obstrictas*, b. hoc votum vel propositum fuisse in contractu matrimoniali *in pactum deductum;* c. dato hoc, contractum sic initum fuisse revera *matrimonium,* non species matrimonii. deinde adverti potest, propositum seu promissionem, servandi castitatem, antecedens matrimonium, non officere valori contractus, dummodo expresse*) non deducatur in pactum. Nam contractus celebratus absque adjecta conditione habetur uti absolute celebratus, et constans omnibus suis essentialibus elementis. Hinc revera locum habet plena traditio juris. Solummodo pars quæ castitatis voto ligatur, sese exponit aut saltem sese exponere potest periculo violandi votum, et ex hoc capite matrimonium est *illicitum.*

23. Sed si conjux qui voto ligatur ex divina revelatione sciat alium conjugem non esse usurum jure, quod recipit, poterit non solum *valide* sed etiam *licite* matrimonium contrahere, atque ita explicatur quomodo inter Beatissimam Virginem, et S. Josephum exstitit verum et licitum matrimonium non obstante voto virginitatis præexistente ipsius Sanctissimæ Virginis Mariæ. Ita *S. Thomas* in 4. Sent. D. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 2. et *Bened. XIV.* De Syn. lib. 13. c. 22. præsertim nn. 9. et seqq.

*) *Expresse* hoc non significat *externe*, sicut nec sequens „absque adjecta conditione“ requirit, ut *externe* conditio pateſiat, sed pro foro conscientiæ sufficit, ut voluntas dirigatur in objectum tali conditione circumscriptum: cfr. supra n. 18.

Secundum doctrinam *Benedicti XIV.* beatissima Virgo »emisit votum quidem castitatis perpetuo servandæ, ea tamen *addita conditione,* si ita Domino placuisset; nam sub Mosaica Lege oportebat generationi insistere tam mulieres, quam viros: — cum eadem Beatissima Virgo, ante celebrationem matrimonii, ex peculiari revelatione intellexisset, suum conservandæ castitatis propositum Divinæ voluntatis assensu comprobari, hujusmodi voto jam se *absolute* obstrinxisse: — ante ipsum quoque matrimonium, Deo pariter revelante, manifestatum Beatissimæ Virgini fuisse simile Sancti Josephi propositum de servanda in matrimonio virginitate; denique, cum Beatissima Virgo, sanctusque Joseph in matrimonium sese conjunxerunt, *nullam omnino apposuisse conditionem:* idque satis est, ut affirmemus nihil ex eo matrimonio colligi posse, quod veritatem illam evertat, scilicet nullum et irritum esse matrimonium, in quo contrahendo adjicitur conditio aliqua illius substantiæ contraria. Hæc est Sancti *Thomæ* doctrina in 4. *Sent.* dist. 30. qu. 2. art. 1«.

Ex hisce deducitur: 1⁰. Mariam virginem votum quidem emisisse perpetuæ castitatis, minime vero votum non nubendi; ideoque in contrahendo matrimonio conditionem ne in mente quidem apponere opus erat, quia divina revelatione præsciebat se posse castitatem perpetuam integram servare etiam contracto matrimonio. 2⁰. Matrimonium igitur inter Mariam et Joseph fuisse non solum putativum, sed verum. Josepho ergo uti marito competivisse omnia jura maritalia; unde post matrimonium observantia voti Mariæ ab eo pendebat.

I. Hoc autem videtur absonum Virginem virginum in observando voto castitatis suæ dependisse a voluntate alius creaturæ, item Virginem virginum non perfectissimum votum emisisse, sc. votum castitatis perfectæ et perpetuæ quod includit in se etiam votum non nubendi. Tandem si votum beatissimæ Virginis dependebat a voluntate mariti, quomodo potuit Angelo respondere: »Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?« *Luc.* I. 34. Nonne respondere debuit: Equidem non sum independens; hæc res spectat ad jura maritalia viri mei; interroga eum, num liceat. Nonne hoc responsum justitiæ virtus postulabat? — Loci S. Scripturæ qui loquuntur de viro Mariæ *(Matth.* I. 16. et 19.) de conjuge sua *(Matth.* I. 20. et 24., *Luc.* II. 5 etc.) facillime explicantur de viro putativo, de conjuge putativa; nam Joseph pater Jesu *simpliciter* dicitur, *Luc.* II. 48. cum sit *putativus Luc.* III. 23., ergo analogice

de marito etc. eadem poterat fieri expressio; S. Scriptura ipsa hoc indicat; Angelus enim dicit: »Accipe puerum et matrem ejus (*Matth.* II. 13. et 20.), licet superius Angelus Mariam conjugem ipsius vocasset. — II. Sancti Patres, si s. Augustinum excipias, non agnoscunt verum matrimonium: sic S. *Joannes Chrysostomus* in homiliis 4., 5. necnon 8. sæpius. Sic in hom. 5. ad verba »Cum autem accepisset, non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum«. Volens enim perpetuam (sc. etiam post partum) virginitatem Mariæ ostendere Chrysostomus sic argumentatur: »Si enim cognovisset eam et loco habuisset uxoris, quomodo illam Dominus quasi absque solatio et nihil penitus habentem, discipulo commendare curasset, jubens ei ut eam reciperet in suam. Unde igitur, inquies, fratres ejus dicuntur Jacobus et Joannes? Non aliter omnino quam ipse Joseph *putabatur* maritus«; cfr. cnn. 42. et 43. C. 27. q. 2. S. *Ambrosius* in c. 7. *De instit. virginum;* S. *Hieronymus* in c. 40. C. 27. q. 2. S. *Leo Magnus* in c. 17. C. 27. q. 2. S. *Gregorius Magnus* in c. 45. ibidem. — S. *Augustinus* autem putat verum fuisse matrimonium inter Mariam et Joseph: a. quia consensus cohabitandi et individuam vitæ consuetudinem (absque tamen copula) retinendi interveniens eos conjuges fecit, c. 3. C. 27. q. 2.; b. quia triplex bonum sc. prolis, fidei, sacramenti in eis fuit, c. 10. ibidem. Cui sufficiunt hæc veri matrimonii argumenta, poterit etiam contendere inter amicos qui filium adoptant, posse consistere matrimonium. Ex hoc Augustini fonte hauserunt Theologi et Canonistæ Medii Ævi pæne omnes quos citat *Freisen* in opere cui titulus »Geschichte des can. Eherechtes bis zum Verfall der Glossenlitteratur«. Tübingen. 1888. pag. 86 et sqq. *Rolandus* autem, postea *Alexander III.,* hoc matrimonium *putativum* nominat: »Sicut conjux dicebatur (Joseph) fide tantum vel *putative,* ita et pater Christi« apud *Thaner* c. l. pag. 128. et pag. 132. Utique *putative* hic non sumitur in sensu *putabatur,* sed *putabat,* attamen Rolandus conjunctionem non pro vero matrimonio habuit. — III. Nostris autem temporibus unanimis pæne videtur consensus Theologorum in agnoscenda veritate illius matrimonii rati, non consummati; cfr. *Flunk* Die Vermählung Mariæ mit Joseph (Desponsatio Mariæ cum Joseph) in Zeitschrift für katholische Theologie. 1888. pag. 663.

24. In *Syn.* c. 22. fuse pertractat *Benedictus XIV.* quæstionem circa valorem matrimonii Calvinistarum cum illa conditione: 'Ac-

cipio te et juro quod non deseram, *donec in honestate permanseris* et docet matrimonium *valere*, si conditio hæc expressa non fuerit in contractu; *non valere* autem, si fuerit *expressa*. Ratio secundæ partis apparet ex eo quod dissolubilitas in casu adulterii est contraria substantiæ matrimonii quod est perpetuus contractus. Hinc deducta in pactum, matrimonium irritat. Ratio autem primæ partis est quia quicumque contractum vult, et simpliciter exprimit consensum, vult necessario substantiam contractus ipsius et quamvis contrahentes versentur in errore dissolubilitatis ex capite adulterii, tamen cum intendant contrahere matrimonium quod Christus instituit, præsumuntur implicite voluisse completam perpetuitatem contractus.

Animadvertit vero Pontifex in Ritualibus Calvinianis ita formam matrimonii exprimi, ut dissolubilitas ex capite adulterii procul dubio ceu conditio ingrediatur ipsam celebrationem contractus.

Quare ceu principium statui potest, intentionem contrariam substantiæ matrimonii deductam in pactum, matrimonium ipsum nullum reddere prout etiam Congregatio S. Officii pluries declaravit, cujus resolutiones legi possunt penes *Benedictum XIV.* loc. cit. n. 8.

25. Non autem intentione ista matrimonium invalidari si solummodo *in mente* exstiterit, nec deducta fuerit in pactum contractui adjectum.*)

De conditionibus appositis in sponsalibus.

26. Communis sententia est, conditiones adjici posse sponsalibus. Nullibi enim in jure interdicitur sponsalium conditionatus contractus. Hinc invocari potest adagium glossæ in c. 2. *De transl. Episcopi* (I. 7) v. 'Non invenitur': 'Concessum intelligitur quod expresse non prohibetur'. Effectus conditionis in sponsalibus idem erit, ac est in aliis contractibus, ut scilicet obligatio non enascatur ante completam conditionem.

27. In specie autem de sponsalibus conditionatis dicendum est ex ipsis non oriri impedimentum publicæ honestatis, antequam conditio implementum suum habuerit. Ita expresse docet *Bonifacius VIII.* in c. un. *De spons. et matrim.* (IV. 1) in 6°. §. 'Ille vero'. Notat enim Pontifex conditionatum consensum ante purifi-

*) Hoc pro *externo* tantum foro valere, ex superius dictis perspicuum est.

catam conditionem non esse verum consensum. Quare jus pendente conditione non agnoscit illam conjunctionem animorum inter sponsos, ex qua exsurgit justitia publicæ honestatis.

Quæ dicta sunt de sponsalibus conditionatis intelligenda sunt in hypothesi, quod apponantur conditiones *honestæ* et *possibiles.* Istæ enim revera suspendunt obligationem.

28. Quid vero si apponantur conditiones *inhonestæ vel impossibiles?*

Procul dubio conditiones *contra substantiam matrimonii* reddunt nulla sponsalia. Nam qui non vult contrahere matrimonium, aliquid intendens contra substantiam ejus, nec præsumitur se velle obligare ad illud contrahendum de futuro.

Eadem porro conclusio tenenda est si sponsalibus accesserint conditiones vel *simpliciter* turpes vel impossibiles, ita scilicet ut contractum ipsum vitient, nullumque reddant. Nam sponsalia veniunt sub censu aliorum contractuum, qui a conditionibus turpibus vel impossibilibus nullius roboris fiunt. Quod enim de futuro est, non potest sub hisce conditionibus promitti.

29. Neque obstat *ratio deducta ex matrimonio*, nam favor juris concessus matrimonio non legitur concessus sponsalibus. Quae proinde remanent sub dispositione juris communis contractuum cæterorum.

30. Quæritur utrum valeant sponsalia contracta inter personas impedimento Ecclesiastico ligatas sub conditione *'Si Papa dispensaverit'*; ita ut illico post datam dispensationem, transeant in absoluta sponsalia.

31. Scinduntur Doctores in duas sententias. Qui dicunt sponsalia in hypothesi esse valida duo requirunt; 1°. ut impedimentum sit *juris Ecclesiastici;* 2°, ut hoc impedimentum tale sit, de quo *soleat* Pontifex dispensare, si enim dispensatio non soleat concedi, uti in affinitate ex copula licita in I°. gradu lineæ rectæ, conditio induit indolem conditionis impossibilis, cui consensus alligari nequit. Quibus positis sponsalia sub conditione: *si Pontifex dispensaverit,* censentur esse inita sub conditione honesta et possibili. Ergo purificata conditione obligant.

32. Alii autem tenent sponsalia hujusmodi esse invalida, et tunc solum valorem adipisci, cum post obtentam dispensationem, *iterum* consensu præstito firmentur.

Nos huic sententiæ assentimur. Ratio autem quæ ejus probat veritatem multiplex affertur.

1°. Quia conditio, *si Papa dispensaverit,* ceu aliena a jure communi et dependens a voluntate principis, habenda est juridice *impossibilis* juxta ll. 83. et 137. ff. *De V. O.* Attamen hæc ratio quæ ab aliquibus affertur, *mihi* non videtur probare; potius valent rationes quæ sequuntur:

33. 2°. Nonnulla adsunt responsa S. C. Concilii in hac re: sic in *Brugnaten.* d. 26. Jan. 1709., in *Januen.* 12. Dec. 1733., in *Sypontina* d. 2. Maji 1857., in *Beneventana* d. 27. Nov. 1858. et una *Sponsalium* d. 22. Febr. 1862.; cfr. A. S. S. vol. I. pag. 79—81. et pag. 121. et sqq. »Ut hisce decisionibus S. Sedis perstringens probandi vis possit adscribi, necessarium esset iisdem decisionibus declarari nulla sponsalia sic (sc. cum conditione »Si Superior dispensaverit«) contracta post fulminatam dispensationem absque novo consensu. Nam si ante fulminatam dispensationem alteruter recedit, jure suo utitur, quoniam sponsalia in sua vi absoluta non sunt constituta. Etenim ante fulminatam dispensationem Papa incepit quidem dispensare, sed nondum dispensavit«. Sic adversarii, e. gr. *Gasparri* c. l. I. n. 52. Sane ultimum refugium hoc est distinguere inter dispensationis concessionem et fulminationem idque non in mente Doctorum subtilium, sed in mente contrahentium qui singulos dispensationis actus vix vel ne vix quidem distinguunt. Accommodatior videtur nobis interpretatio sponsalia sic contracta post concessam, ante tamen fulminatam dispensationem e. gr. in *Januensi* vel in *Melutan.* declarata fuisse nulla, quia contrahentes adhuc inhabiles erant ad contrahenda sponsalia; nam animadvertimus cum non agatur de exsecutione facienda in via contentiosa post Pontificiam concessionem, exsecutionem procedere *de plano*, et reduci potius ad negotium formæ, quam ad negotium juris. Sed adest alia quoque responsio quam desumit *Gasparri* c. l. n. 51. ex *Giovine,* data d. 2. Oct. 1857. quæ sic se habet: »Ad 4^{um}. decernit talia sponsalia *nulla esse omnino,* etsi agatur de consanguinea violata, cui etiam sit facta promissio dispensationis obtinendæ, et ideo, obtenta dispensatione, necessarium esse *novum* consensum et interim utrique contrahenti liberum esse alia inire sponsalia, etsi non sit secundum honestatem promissis deficere«. (Apud *Giovine* l. c. in fine, qui tamen non dicit cujusnam Congregationis sit hæc declaratio).

Dolendum quod *Giovine* neque dubium quod propositum erat, neque Congregationem quæ responsum dedit, indicat. Nihilominus magnum adversariis præjudicium generat, uti ex verbis ipsis concludi potest.

34. 3°. Quod præjudicium adhuc confirmatur internis rationibus. Nam contractus sponsalitius debet celebrari inter personas de jure *habiles*. Jam vero posita inhabilitate, quidquid a personis inhabilibus agatur, coram lege perinde habetur, ac si actum non esset. Sumatur exemplum contractus mulieris absque decrecto judicis, ubi decretum judicis, habilitans requiritur. Hinc exsistente impedimento, consensus non potest esse ullo modo legitimus sub forma conditionata, nec ullam parere potest obligationem ad contrahendum matrimonium. Quare ut valeant sponsalia, consensus sponsalitius renovandus est tempore habili, idest post obtentam dispensationem ab impedimento. *Dispensatio* enim quæ supervenit, reddit quidem personas *habiles* ad contrahendum matrimonium, sed non dirigitur ad *sanandum* defectum sponsalium jam contractorum. Idest respicit ad futurum, non vero ad præteritum tempus, et ab epocha acceptæ dispensationis, personæ possunt sese obligare ad contrahendum matrimonium de futuro.

35. Hæc porro esse videtur œconomia S. Congreg. ut eliminet si fieri posset mores minus honestos, et periculis plenos, inter propinquas personas, etiam sub conditione futuræ dispensationis inceptos. Ea insuper videtur esse œconomia hodierna S. Congregat. ut ad evitandos malos exitus coactionis in materia conjugii, quo fieri possit, restringat legitimos contractus sponsalitios, nec tribuat valorem juridicum, non nisi illis sponsalibus de quibus nullum dubium oriri potest.

Hæc dicta sint de conditionibus. Præter conditiones contractibus adjici potest:

Modus, Demonstratio, Causa.

36. *Modus* est '*adjectio oneris, ad quod post contractum volumus obligare alterum contrahentem*'. Regulariter exprimitur per conjunctionem *Ut;* ex. gr. contraho tecum *ut* mihi utile opus procures.

Modus proprie *distinguitur* a conditione. Nam licet conditio possit etiam ipsa importare onus, quemadmodum est conditio potestativa, tamen conditio supponit contractum non perfectum, sed

suspensum et imperfectum usque ad conditionis ipsius complementum; modus contra supponit contractum perfectum in suo esse. Hinc ajunt, modum gignere obligationem principalem, distinctam ab obligatione contractus, pro qua exigi poterit congrua cautio.

37. *Quid si modus adjiciatur matrimonio?*

Modus hic vel est contra substantiam matrimonii, vel est turpis simpliciter, vel est impossibilis, vel est honestus et possibilis.

Modus contra' substantiam matrimonii nullum reddit ipsum matrimonium. Nam significat partes non bene sentire de substantia matrimonii, et unus censetur imponere, alter vero acceptare obligationem, quæ destruit ipsum contractum matrimonii, quare contrahentes merito præsumuntur, noluisse celebrare verum et genuinum contractum matrimonii. Exemplum adduci potest ex c. ult. h. t. Illa enim conditio *'Contraho tecum donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem'* non est proprie dicta *conditio,* sed potius *modus* contra substantiam matrimonii.

Modus simpliciter turpis aut impossibilis nullius est valoris, ac proinde matrimonium valet, nec obligatio inde exsurgit, ad observandum adjectum pactum. Præsumuntur enim contrahentes non serio modum contractui adjecisse. Modus honestus et possibilis observandus est.

38. *Causa* est *ratio ob quam quis contractum conficit,* et solet exprimi, per particulam causalem *quia.*

39. *Demonstratio* est affinis *causæ* et nihil aliud est quam *'expressio alicujus qualitatis, quæ supponitur in persona cum qua contrahitur'* ex. gr. contraho tecum *quæ* es filia Ducis.

Specificum discrimen inter causam et demonstrationem est, ut causa exprimat motivum quod impellit ad contrahendum, demonstratio vero indicit quænam sit intentio contrahentis, vel circa personam, vel circa qualitatem, quæ in mente versatur.

40. Ex qua notione patet falsam causam, vel falsam demonstrationem matrimonium irritare in duplici hypothesi, 1°. si error causæ vel demonstrationis sit substantialis, idest si sit error in personam vel si afficiat qualitatem, quæ in personam redundat; 2°. si falsa causa vel falsa demonstratio in conditionem transeant, idest si appareat consensum causæ vel demonstrationi fuisse alligatum tanquam conditio sine qua non.

Titulus VI.

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

I.

De Clericis.

1. Clerici in *sacris* ordinibus constituti, nec licite nec valide matrimonium contrahunt; eos enim Ecclesia inhabiles reddit ad contrahendum. Ita in c. 1. et 2. h. t. in c. un. *De voto* in 6°. (III. 15) et in cn. 9. sess. 24. *De Reform. matrim. Conc. Trident.* Hinc ordo major est impedimentum dirimens matrimonium ab Ecclesia inductum.

2. Quod si clericus in majore ordine constitutus, matrimonium attentaverit, juxta c. 1. *De clericis conjug.* (III. 3) compelli potest per suspensionis et excommunicationis censuram, ad dimittendam mulierem et ad agendam pœnitentiam.

3. Clerici in majoribus constituti matrimonium attentantes juxta Clem. un. *De consang. et aff.* (IV. 1) ipso facto incurrunt *excommunicationem.* Ab hac excommunicatione potuit et potest absolvere Episcopus sive Ordinarius juxta Const. *Apostolicæ Sedis,* cl. III. n. 1.: »*Clerici in sacris constituti* vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes«.

4. De irregularitate ex bigamia similitudinaria, si clerici in majoribus matrimonium attentatum consummare fuerint ausi, conferatur liber I., tit. 21. n. 11. Insuper post can. 9. cit. sess. 24. *de Ref. matrim.* in *Tridentino,* si clerici majores matrimonium attentaverint cum errore formali, scilicet arbitrantes matrimonium attentatum revera validum esse, considerari debent ceu *hæretici,* et pœnis plecti possunt contra hæreticos latis. — Hæc de clericis *latinis.*

5. Contra clericos majores *græcos* matrimonium contrahentes post ordinationem ex lege generali *Trullana* in can. 6°. decernitur pœna *depositionis.* Contra vero *Italo-græcos Benedictus XIV.* in §. 7. Const. *'Etsi Pastoralis*« n. 27. confirmat pœnam depositionis simulque statuit *excommunicationem* latæ sententiæ.

6. Quæritur: *utrum ordini majori obligationes cœlibatus et s. officii recitandi ita sint annexæ ut nunquam separari possint?* — R. *Negative,* i. e. obligationes separari possunt in hisce casibus: 1°. in casu *dispensationis.* Summum Pontificem posse dispensare perspicuum est; nam a. hic agitur de remittenda aliqua lege ecclesiastica; b. dispensationes jam concessas esse historia narrat et quoad ordinem subdiaconatus et diaconatus habemus decretum S. C. Inq. d. 20. Febr. 1888. *S. Alphonsus* in *Theol. mor.,* De sacr. Ordinis n. 808 contendit: »Summum Pontificem in casu urgentissimo dispensare cum solis ministris, sed non cum sacerdotibus«. Verum quidem est, Papam forte nunquam dispensasse ad contrahendum matrimonium, at sæpius dispensatum est post attentatum matrimonium, præsertim ob publicas causas. Sic *Julius III.* sæc. 16°., Cardinali *Polo,* legato suo in Anglia sub Maria regina, facultatem concessit dispensandi cum clericis sæcularibus, tantum presbyteris, diaconis et subdiaconis, qui tempore schismatis anglicani matrimonium de facto attentaverant, ut, dummodo alter eorum superstes maneat, inter se legitimum matrimonium contraherent, de cætero sine spe conjugii ac omni ordinum ipsorum exercitio sublato. *Pius VII.* quoque in constitutione confirmatoria concordati de d. 15. Aug. 1801. declarat, se per Breve ejusdem diei vestigia fuisse secutum *Julii III.* circa ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti, tempore revolutionis gallicanæ matrimonia attentaverant. Episcopis neque in Ecclesia occidentali neque in orientali dispensatio fuit unquam concessa.*) Ex hisce exemplis probatur Papam dispensasse, ergo potuit dispensare. — Separari possunt obligationes a ss. Ordinibus: 2°. *declaratione* obligationes ejusmodi non urgere propter speciales circumstantias: a) quando ss. Ordines recipiebantur *ante usum rationis,* cfr. Instructionem *Benedicti XIV.* quæ incipit »*Eo quamvis*« d. 4. Maji 1745 super quæstionibus apud *Coptos;* cfr. tit. *De temporibus ordinationum* (I. 11) nn. 11. et sqq.; b) ante *pubertatem,* licet post adeptum usum rationis, in eadem Instructione §. 23.; c) quando quis fuerit ordinatus sine *scientia* obligationum, *Carrière:*

*) Si nonnulli fabulantur a *Pio VII.* dispensatum fuisse cum *Talleyrand,* Episcopo Augustodunensi, super ss. ordinibus ita ut „matrimonium“ ejus civile cum quadam muliere (Madame Grant) legitimum in foro Ecclesiæ declararet, mendacium narrant; nam non *Pius VII.,* sed Cardinalis *Consalvi,* conscio quidem Papa, sed nequaquam approbante, misit ad illum diplomaticum Breve quo vesti laicæ redderetur; cfr. *Artaud:* Histoire de Pie VII., tom. II. chap. 22.

De s. matrim. §. 797.; d) quando ordinatio fiebat sub influxu *metus* qualificati, sc. qui irritum reddat matrimonium; *Benedictus XIV.* in cit. Instr. §. 21. et in *Syn.* l. 12. cp. 4. n. 2.; cfr. supra tit. *De temp. ord.* (I. 11) n. 13. —

Si ordo major matrimonio tantum rato vel consummato superveniat, matrimonium neutiquam dissolvitur. Conditiones, sub quibus maritus se potest facere ordinare, jam alibi tractavimus, sc. in tit. *De conversione conj.* (III. 32) n. 9. pag. 317.

Reliqua in tit. *De convers. conjug.* (III. 32), *De clericis conjug.* (III. 3), *De tempore ordination. et qualit. ordinandorum* (I. 11), *De bigamis* (I. 21).

II. De Voto.

7. Votum *solemne* quoad matrimonium duplicem habet effectum: 1. irritat matrimonium postea contractum; 2. dissolvit matrimonium ratum, non consummatum antea contractum. — De secundo effectu sermo erat in tit. *De conv. conj.* (III. 32) n. 1. et redibit in tit. *De divortiis* (IV. 19).

Votum *solemne* irritat matrimonium quod post votum emissum contrahitur.

Votum autem *simplex* solummodo *illicitum* reddit matrimonium, cc. 3. 4. et ult. h. t.; c. un. '*De voto*' (III. 15) in 6°. et can. 9. sess. 24. *De Ref. matrim. Conc. Trid.*

8. Verum votum simplex duplici in casu matrimonium irritat, 1°. Votum castitatis emissum a muliere quæ consentit virum suum fieri sacerdotem. Mulier enim hujusmodi, nec viro e vivis erepto matrimonium contrahere potest. Fusius quæstio jam tractabatur in tit. *De conv. conj.* (III. 32) n. 9. pag. 318. cum nota.

2°. Votum simplex ab Alumnis societatis Jesu emissum quoadusque ipsi in societate vivant, nec fuerint a Superiore Generali dimissi, const. *Greg. XIII.* '*Ascendente Domino*'.

9. Votum autem simplex semper irrita reddit sponsalia, quæ postea contrahantur, nam promitti nequit, quod non potest impleri absque culpa c. 6. h. t.

Quod autem sit votum solemne, et quod simplex, nec non reliquæ quæstiones circa materiam voti, tractantur in titulis *De regularibus* (III. 31) nn. 4., 13. et sqq. et *De voto* (III. 34) nn. 2. et sqq.

10. *Pœnæ:* 1. Pro viris: bigamia similitudinaria, de qua tamen cfr. tit. *De bigamis* (I. 21) n. 11. pag. 208. — 2. Pro monialibus. Moniales sic delinquentes fiunt incapaces munerum virginibus reservatorum, *Thesaurus. De pœnis* ad v. »matrimonium« c. 4. — 3. Pro utrisque: excommunicatio l. s. Ordinario reservata quæ tangit juxta Const. *Ap. Sed.* cl. III. n. 1. Regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes eorumque complices. cfr. supra n. 3.

11. Quæritur utrum ejusmodi censura percellat personas de quibus sermo est in citato numero, quæ contraherent matrimonium appellatum *civile.*

Præmitto prodiisse jam authenticam interpretationem hujus canonicæ dispositionis, qua proposita quæstio dirimatur. S. C. Inquisitionis enim fer. IV. d. 22. Dec. 1880. decrevit: »Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post emissum solemne castitatis votum, præsumentes contrahere matrimonium, sic dictum, civile, in locis ubi lex Tridentina de clandestinitate viget, *incurrere* excommunicationem latæ sententiæ Episcopis seu Ordinariis reservatam«. A fortiori incurrunt talem excommunicationem personæ sacræ præsumentes contrahere matrimonium in locis ubi Tridentina lex *non* viget. Ex decreto hoc apparet quantopere Auctor noster materias adhuc sub lite pendentes in sensu Sedis Apostolicæ solverit; quare suas expositiones non prætermittemus, licet in extenso non ponamus. — Rationes quare excommunicatio cl. III. n. 1. etiam ad clericos *civile matrimonium* contrahere præsumentes extendi debeat, sunt sequentes: 1°. Personæ sacræ aliquam legitimitatem suo matrimonio adsciscere volunt. Unde quia veram legitimitatem assequi nequeunt, speciem legitimitatis petere coguntur, id quod fieri nequit nisi in matrimonio quod civile vocant; 2°. Finis hujus excommunicationis est ut absterreantur personæ sacræ ab attentando matrimonio. Qui finis nunquam fere obtinebitur nisi præsumentes contrahere »matrimonium« etiam civile excommunicatione percelluntur; etenim in plerisque orbis terrarum partibus hæc figura matrimonii veri in oppositione contra Ecclesiam introducta est. 3°. Hac declaratione S. Officii *uniformitas* constituebatur inter regiones ubi c. »Tametsi« viget, et ubi non viget.

12. Objici fortasse potest, quod Ecclesia non soleat contractum civilem appellare *matrimonium* et per consequens si in paragrapho

nostro sub nomine matrimonii intelligendus esset civilis contractus, iste *nobilitaretur.*

Huic difficultati sic respondemus: constitutio *'Apostolicæ Sedis' positive* non approbat contractum civilem, sed per appositam censuram solummodo conatur ab eodem arcere personas vinculis sacris obligatas. Hinc modus loquendi constitutionis dici potest *negativus,* seu totus sistit in prohibitione.

Ceterum vocabulo *matrimonii* uti potest Romanus Pontifex, eo quod vulgatus est communis modus loquendi, seu appellandi civilem contractum nomine matrimonii, vel in sensu *subjectivo* i. e. contrahentium, non in *objectivo* sc. juxta rei veritatem idque eo potius, quod matrimonium a talibus personis attentatum nunquam est verum matrimonium.

13. Nec obstat postremum decretum S. C. Concilii d. 7. Aprilis 1879, supra relatum, nam dispositio hujusmodi respicit unice impedimentum *publicæ honestatis,* nec excludit pœnam, qua plectantur quædam personæ, quæ contractum civilem matrimonii audeant perficere.

14. Quæritur: utrum personæ sacræ censuram hanc incurrant quæ præter sacrum ordinem vel professionem religiosam *alio quoque ligantur impedimento? Negative,* si ejusmodi matrimonium nullum est etiam ex defectu consensus in persona sacra, velut ex vi et metu, simulato consensu, ex amentia; *affirmative* quando matrimonium non sustinetur ob aliud impedimentum v. gr. consanguinitatis, affinitatis etc. Nam punitur hoc crimen non solum ob implicitam saltem hæresim damnatam in cn. 9. sess. 24. *Tridentini:* »S. q. d. clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto . . . . A. S.«, sed etiam ob pravam delinquentis voluntatem sub figura matrimonii liberius peccandi, quæ voluntas verificatur etiam quando matrimonium ex duplici fonte irritatur.

15. Cessatio hujus impedimenti. I^us^. modus est: *dispensatio Summi Pontificis.* Nonnulla exempla hujus dispensationis referuntur ex tempore ineuntis sæculi 19. Novissimi temporis exemplum præbetur nobis in dispensatione alicujus laici professi jam vinculo civili uniti facta per organum S. C. Inq. d. 12. Jan. 1888. ob speciales circumstantias et sub specialibus cautelis, sc. dispensatur solum quoad licitum hujus conjugii usum; imponuntur ipsi pœni-

tentiæ per totam vitam duraturæ: recitatio tertiæ partis Rosarii singulis hebdomadibus, confessio per annum saltem quinquies peragenda, duplex jejunium in anno; tandem amoveantur ejusmodi conjuges a loco ubi nota est conditio religiosa viri. Huc accedit facultas Ordinariis d. 20. Febr. 1888 facta dispensandi in articulo mortis etiam super impedimento professionis religiosæ. — 2. Non quidem solemne voti impedimentum, sed simplicis in Societate Jesu emissi voti cessare potest etiam alio modo, sc. *legitima dimissione* taliter professi per Superiorem Generalem factam.

16. Vidimus jam n. 7. *solam professionem solemnem* dissolvere etiam matrimonium antea contractum, nondum consummatum. Quid juris sit, quando matrimonio jam consummato alteruter conjux altiora petit, jam tractatum est in tit. *De conversione conjugatorum* (III. 32) pag. 315 et sqq.

Titulus VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

1. Tituli objectum est impedimentum *criminis.*

Non quodlibet crimen dirimit matrimonium, sed crimen *adulterii* et *homicidii.* Siquidem canones voluere impedire *turpes amores,* alterutrius conjugis cum extranea persona, et simul avertere votum captandæ *mortis* conjugis innocentis.

Impedimentum criminis in eo consistit, ut etiam resoluto matrimonio, conjux superstes nec licite nec valide novum matrimonium contrahere possit cum illa extranea, quam constante primo matrimonio, sibi conjunctam habuit turpi dilectione.

Ut ordini et perspicuitati consulamus, in speciales casus materiam tituli dispescimus. Præmittimus vero ex *solo adulterio**)

*) Attamen in jure civili Romanorum quod adoptavit decretum *Gratiani* valebat axioma: „Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio". cc. 1. et 3. C. 31. q. 1.; c. 12. Nov. 134. — In *Germania* secundum legem d. 6. Febr. 1875. „Deutsches Civilehe-Gesetz" (Lex de matrimonio civili in Germania) §. 33. n. 5. sequens statuitur impedimentum: „Die Ehe ist verboten: ... 5) zwischen einem wegen Ehebruchs Geschiedenen und seinem Mitschuldigen. Im Falle Nr. 5 ist Dispensation zulässig". *(Latine:* Interdicitur matrimonium: ... 5) inter conjugem ob adulterium (etiam quoad vinculum) separatum et complicem in adulterio. In hoc casu (n. 5) dispensari potest. Cfr. §. 1312. Cod. Civilis Germanici.

non enasci impedimentum criminis. Scilicet si quis absque ullo intuitu futuri matrimonii, adulterium committat cum conjuge alterius, valide cum eodem conjuge matrimonium contrahit, post resolutum primum matrimonium. Ita in c. 6. h. t. Idem dicendum de *homicidio.*

2. Hisce positis impedimentum criminis contrahitur I°. *per adulterium formale, cum promissione acceptata futuri matrimonii* Cc. 6., 7. et fin. h. t.

Requiritur autem a) ut *adulterium* sit *utrinque* formale; formale autem habetur adulterium, quando *perfecta* copula carnali inter personas intercedat, quarum vel utraque vel alterutra sit vinculo conjugali tertiæ personæ ligata et simul utraque pars cognoscat hoc ligamen.

Requiritur nempe ut tum vir, cum mulier cognoscat malitiam carnalis commixtionis, inferentem injuriam fidei conjugali c. 1. h. t.

b) Requiritur ut intercedat inter adulteros *promissio acceptata* futuri matrimonii cc. 6., 7. et c. ult. h. t. nec *revocata* ante adulterium. Etenim per hanc promissionem criminosam revera incipit esse tractatus pravus, quo foventur iniqui amores, incipiuntque desiderari damnabiles nuptiæ, et insinuatur sponte sua votum captandæ mortis conjugis innocentis, quare malitia specifica hujus criminis in eo consistit, ut duplex injuria irrogetur legitimo matrimonio, idest fides conjugalis rumpitur per adulterium, et matrimonii ipsius solutio procuratur per promissionem novarum nuptiarum.

Porro indifferens est utrum hæc promissio facta fuerit *ante* vel *post* adulterium, dummodo facta fuerit vivente adhuc conjuge innocente, idest constante adhuc matrimonio. Si conditio promissioni adjecta fuerit, ea conditio verificari debet vivente adhuc conjuge innocenti.

3. II^{us}. casus traditur in c. 1. h. t., et est casus *adulterii cum attentato matrimonio.* Videlicet: Si duo quorum uterque vel alteruter ligatur vinculo conjugali cum tertia persona, attentent inter se et consumment matrimonium, contrahunt vicissim impedimentum dirimens. Ad contrahendum vero impedimentum criminis in casu requiritur ut utraque pars *conscia* fuerit de exsistentia matrimonii adhuc constantis cum tertia persona, idest requiritur adulterium utrinque formale. Species quidem hæc videtur proposita fuisse

Alexandro III. Quidam uxorem legitimam habens, sibi aliam hujus rei insciam copulavit. Mortua priore muliere, secundam retinuit et tractavit affectu maritali, adeo ut perdurante consensu alias præstito per signa, dici potuerit contractum matrimonium clandestinum. Vir deinde volebat recedere ab hac secunda muliere, allegans nullitatem matrimonii cum eadem ob impedimentum criminis, sed respondit Pontifex impedimentum non fuisse contractum, quia secunda mulier ignoraverat matrimonium viri cum alia muliere adhuc vivente. Ergo ex sensu contrario canonis quoties cognoscitur ab utraque parte, inducitur impedimentum; confirmatur ex c. 5. h. t. — Si pars matrimonii inscia postea de matrimonio certior facta iterum consummat matrimonium, impedimentum adest.

Quid, si matrimonium attentatum erat *contractus civilis?* Casum inducto fere ubique sic dicto matrimonio civili sæpe accidere posse apparet. Nobis videtur impedimentum criminis etiam ad hunc casum se extendere, etenim considerant actum civilem aut uti matrimonium aut ut actum præliminarem matrimonii qui promissionem futuri matrimonii acceptatam necessario supponit; ergo incidimus aut in secundum aut in primum casum impedimenti criminis. Adest præterea decretum S. C. Inq. d. 22. Dec. 1880 supra in tit. *Qui clerici* (IV. 6) n. 11. citatum quod nostro casui analogice potest applicari.

Quoniam in utroque exposito casu non intervenit homicidium, impedimentum solet dici oriri *neutro patrante* idest neutro ex adulteris procurante mortem conjugis innocentis.

4. III^us^. casus impedimenti criminis est *occisio conjugis patrata ex machinatione utriusque* ad matrimonium contrahendum. Ita satis clare concluditur ex c. 1. *De convers. Infidel.* (III. 23), ubi dicitur Saracenos, qui quarumdam christianarum mulierum viros harum mulierum insidiis et machinationibus occiderunt, eas non posse ducere in uxores; cfr. tit. *De conv. Infid.* (III. 33) n. 3.

Requiritur ergo, ut *uterque* conspiratione, auxilio, vel consensu, concurrerit in occisionem conjugis innocentis. Hæc autem machinatio dirigi debet ad *finem contrahendi nuptias.* Est enim specifica indoles impedimenti criminis, ut legitimum matrimonium impetat et novas subroget nuptias in locum priorum legitimarum nuptiarum. Requiritur insuper ut *mors* innocentis conjugis revera *secuta* fuerit, quia caput cit. loquitur de occisione peracta.

Quoniam in casu præsente concurrit conspiratio viri et mulieris contra vitam conjugis innocentis, impedimentum dicitur ex crimine *'utroque patrante'*.

5. Antiquitus hoc impedimentum adeo urgebatur, ut non solum redderet nullum matrimonium inter eos, qui procuraverant mortem conjugis innocentis, sed etiam iisdem machinantibus interdictum esset matrimonium contrahere cum aliis extraneis personis. Hæc vero interdictio disparuit, sed solum ceu conditio dispensationi a Dataria Apostolica apponi solet, quando dispensatio hæc de impedimento criminis conceditur.

6. IV^us^. casus impedimenti criminis verificatur, quando cum *adulterio* utrinque formali, conjungitur *homicidium* conjugis. Patet conclusio ex c. 7. h. t.

Conditiones autem sunt a) ut *unus saltem* contrahentium vel physice vel moraliter, idest per mandatum, consilium, vel preces *concurrat* in mortem conjugis innocentis. Hinc ratihabitio cædis factæ non sufficit (arg. ex c. 6. h. t.). Non autem requiritur ut uterque concurrat in mortem conjugis, sed sufficit ut unus concurrat. Et ex hac conditione casus præsens a superiori casu specifice differt, quia casus superior procedit, *utroque patrante,* præsens vero procedit alterutro *patrante.*

Quid vero si altera pars *nesciat machinationem mortis?*

Licet non omnes Doctores conveniant, tamen videtur melior sententia eorum, qui tenent *non requiri,* ut alter etiam contrahens cognoverit machinationem. Arg. ex cc. 6. et 7. h. t. ubi mentio fit de machinatione unius saltem contrahentis in mortem conjugis.

b) Requiritur ut occisio conjugis facta fuerit *animo contrahendi matrimonium.* Nam si fiat ob alium finem, ex. gr. ut liberius possent in illicito commercio vivere, non contrahitur impedimentum criminis. Deducitur conclusio ex c. 5. C. 31. q. 1. ubi dicitur *'occidisse notatur ut conjungeretur'*.

7. Quæritur utrum impedimentum criminis contrahatur ab eis, qui nesciunt ex facto criminoso impedimentum oriri.

Profecto impedimentum hujusmodi positum est ab Ecclesia tanquam pœna, ac proinde videretur ab ignorantibus non contrahi juxta c. 2. *de Const.* (I. 2) in 6^0^. ubi traditur censuram excommunicationis non incurri absque notitia.

Verumtamen *communis* sententia Doctorum, et *praxis* tam *Curiæ* Romanæ, quam Curiæ Episcoporum tenent etiam ab ignorantibus contrahi hoc impedimentum.

8. Sane in curiis non distinguitur inter scientes vel ignorantes impedimentum, sed indiscriminatim matrimonium, posito criminis impedimento, uti nullum habetur, nisi obtineatur dispensatio.

Si ex praxi transeamus ad theoriam, habemus, impedimentum criminis esse utique inductum per modum pœnæ ecclesiasticæ, sed illud inducere indolem *irregularitatis,* non autem censuræ. Sane scopus proprius et immediatus impedimenti criminis est ut personas inhabiles reddat ad contrahendum.

Inhabilitas autem idem est ac irregularitas.

9. Jam vero in eo præcipue differt irregularitas a censura, ut censura non liget ignorantes, nam pœna censuræ infligitur contra spernentes auctoritatem Ecclesiæ, hinc censura supponit contumaciam quam ipsa frangere intendit. Irregularitas autem etiam orta ex crimine inducitur proprie et directe ex defectu, qui in persona exsistere a lege præsumitur ob patratum crimen.

Ergo eo ipso quod aliquis defectum patitur, et in nostra hypothesi eo ipso quod quis crimen admiserit, licet ignoraverit crimen illud constituere impedimentum dirimens matrimonium, dummodo compos sui fuerit, et cognoverit in genere malitiam delicti commissi, contrahit inhabilitatem ad contrahendum matrimonium.

Atque ita soluta est etiam difficultas sumpta ex c. 2. *De const.* (I. 2) in 6°.

10. Animadverti ex adverso potest, impedimentum ex crimine fuisse ab Ecclesia statutum, ut deterrerentur fideles a concipiendo voto captandæ mortis conjugis innocentis. At horror ex hoc impedimento concipi nequit, nisi cognoscatur impedimentum ipsum crimini adnexum.

Errantis enim et ignorantis nulla voluntas.

Ergo ubi ignoratur impedimentum criminis, non contrahi illud videtur.

Sed responderi potest finem legis non semper cadere sub legè, idest quandoque legem obligare, quamvis non verificetur scopus ob quem lex edita est.

Lex enim considerat quod plerumque solet contingere.

Hæc vero hypothesis præsertim locum habet, cum lex lata est propter periculum seu finem generalem, quæ proinde urget et obligat, licet in specie non verificetur periculum seu finis legis.

Titulus VIII.

De conjugio leprosorum.

1. Ex c. 1. hujus tituli patet ob lepram; vel alium morbum contagiosum supervenientem *non solvi* vinculum matrimonii, sive illud sit solummodo ratum sive etiam consummatum. Quoad matrimonium ratum et consummatum, ratio est quia agitur de contractu jam completo et perpetuo, idest undequaque indissolubili. Quoad ratum tantummodo, ratio est, quod, licet non sit indissolubile absolute. canones etenim præviderunt casum solutionis ob professionem religiosam, tamen nihil statutum est de incommodo aliquo notabili corporeo superveniente.

2. Nec obstat c. ult. h. t. in quo dicitur superveniente lepra conjugem *cogi* non posse ad copulam. quia matrimonium non adhuc fuerat consummatum. Nam illud 'consummatum' non sese refert ad consummationem matrimonii, sed ad consummationem consensus. Agebatur enim de meris *sponsalibus* in quibus consensus est solummodo de futuro, et non de præsenti et proinde dici potest consensus non consummatus.

3. Quod de lepra vel morbo contagioso superveniente diximus relate ad vinculum, dicendum esse etiam tenent Doctores de lepra vel morbo præexistentibus et ignoratis, idest non exinde irritum reddi vinculum matrimonii. Nam error in hac materia respicit solummodo qualitatem personæ et per consequens non est substantialis.

4. Quæritur utrum lepra vel alius morbus contagiosus inducere possit divortium *semiplenum*, idest relate ad thorum et cohabitationem.

In genere divortium hujusmodi nequit induci a) quia matrimonium importat de se contractum et obligationem *perpetuam*, b) quia causæ divortii minus pleni, procedunt ex *culpa* unius conjugis, quæ culpa per se non verificatur in casu, c) quia licet non possit haberi commercium carnale ob morbum contagiosum, tamen adhuc verificari potest societas *mutui adjutorii;* quæ est unus ex finibus matrimonii.

5. Verum ubi conjunctio maritalis sine periculo haberi nequeat, præstatio *debiti conjugalis* urgeri non potest. Nam nemo tenetur ad id præstandum, per quod timeatur destructio proprii individui. Hinc continentia servari debet a conjugibus. Cf. c. 1. h. t.

Cui capiti non contradicunt verba in c. 2. h. t. ejusdem *Alexandri III.:* »Quod si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur«. Nam explicanda sunt juxta sensum c. 1. h. t., dein suppleri debet *rationabiliter:* si infirmus . . . rationabiliter exigat debitum, tunc erit solvendum. Rationabiliter autem exigit, quando ordo caritatis hoc postulat. Ceterum in lepra contagium vitari posse contendunt periti, secus in syphili; cfr. *Pastoralmedicin* auctore Dr. E. W. M. *von Olfers,* 2. edit. 1893. pag. 68—70.

6. Si lepra vel alius morbus contagiosus superveniat post contracta sponsalia, sponsalia hæc dissolvuntur. Nam implicita conditio censetur inesse contractui *'dummodo res ita permaneant, sicut sunt'* et alia *'dummodo res sint, sicut apparent'*. Cfr. c. ult. h. t. et tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 62.

Titulus IX.

De conjugio servorum.

1. Sermo est in titulo præsenti de impedimento *conditionis.* Servorum nomine in jure non veniunt *famuli,* qui pacta mercede conduci solent, neque *glebæ addicti* (adscriptii, Leibeigene), sed illi, qui ex jure gentium, vel civili, dominio alieno contra naturalem libertatem subjiciuntur, ita ut considerari possint ceu pars dominii domestici, et venire, vel alio modo alienari possint.

Tales erant qui in bello capiebantur, quique *mancipia,* idest manucapti dicebantur; tales etiam erant, qui ex matrimonio ancillarum, quæ sub dominio erant, nascebantur, nam filius sequitur conditionem matris.

2. Si de matrimonio servorum sermo fit, habemus leges Romanas inter servos non agnovisse verum matrimonium, sed *contubernium,* l. 3. C. *De incest. Nupt.*

3. At aliter sentiendum est jure canonico.

Primis quidem Ecclesiæ temporibus, conjugia servorum licet fuissent inita insciis vel invitis eorum dominis, ab Ecclesia uti valida habebantur. Nam proclamata est Lex Evangelica, qua coram Ecclesia servus non distinguebatur a libero, sed omnes erant æquales in fide. Ita ex c. 1. C. 29. q. 2., qui canon tribuitur *Julio I.* Romano Pontifici.

4. At a sæculo VIII. videtur fuisse mutata disciplina, ita ut invalidum ab Ecclesia haberetur conjugium, quod a servis initum esset absque dominorum consensu. Hæc disciplina eruitur ex c. 8. C. 29. q. 2., qui canon depromptus est ex Concilio Cabilonensi.

5. Hæc vero disciplina non constat directe an fuerit *generalis* necne. Profecto judicium, quod insinuat universitatem ejusdem, infertur ex dispositione contraria c. 1. h. t., in quo disciplina hujusmodi abrogatur.

6. Decretalis autem hæc est *Hadriani IV.,* qui Pontificatum gessit a. 1154—1159. In hac vero decretali Pontifex invocat principia æqualitatis conditionis fidelium, invocata a veteribus canonibus, et decernit matrimonium contractum a servis invitis, vel insciis dominis, *valere.**)

7. Sed ne jura dominorum lædantur, statuit servos etiam post conjugium præstare debere dominis suis consueta *servitia.*

8. Quid vero dicendum de matrimonio contracto inter personam liberam et aliam servili jugo obligatam?

Profecto si libera persona *sciverit* conditionem servilem alterius, matrimonium valet. Ita expresse in c. 5. C. 29. q. 2.

9. At si persona libera contraxerit cum alia, *quam credebat liberam,* sed *revera* in *servili* conditione versabatur, sive error aut ignorantia sit antecedens, sive sit concomitans, matrimonium nullum est. Ita in c. 2. h. t. et in c. 4. C. 29. q. 2.

10. »Si quæratur autem ratio hujus impedimenti, illud videtur posse ad impedimentum erroris reduci. Nam ideo matrimonium nullum in casu retinetur, quia præsumitur intercessisse errorem substantialem. Qualitas siquidem libertatis vel servitutis ab Ecclesia considerata est ceu qualitas, quæ statum personæ afficiens,

---

*) Quomodo Romani Pontifices adlaboraverint ad abolendam servitutem ubique terrarum, nobis refert S. P. *Leo XIII.* in Lit. Ap. „*Catholicæ Ecclesiæ*" d. 20. Nov. 1890., ubi et ipse eandem rem ex professo tractat.

et ob jura maxime diversa personam aliam saltem juridice exhibere videtur. Hinc error circa qualitatem servilem, resolvitur in errorem personæ. Nec proinde ex parte libera censetur adfuisse consensus. Nemo enim liber homo præsumitur contrahere velle matrimonium cum persona dominio alieno subjecta, quæque proinde non potest corporis sui plenam et absolutam potestatem tradere alteri conjugi, sed solum quatenus servitia domino debita permittant«. Verba præcedentia continent sententiam Auctoris, quæ recte intelligenda est. Rationes enim quæ afferuntur, ad summum probant optime egisse Ecclesiam *statuendo impedimentum* dirimens quod consistit in ignorantia status servilis quando altera pars est libera: nihil amplius. Nam servitus non pertinet (saltem ex persuasione christiana) ad substantiam, sed ad qualitates personæ; neque in casu pertinet ad qualitates in personam redundantes quoniam persona aliunde cognoscitur. Neque dici potest personam liberam a serva differre substantialiter quoad *jura matrimonialia* quæ et ipsa alieno dominio sunt subjecta; etenim si in hoc nimis insistimus, matrimonium cum persona serva *semper* erit invalidum. Ceterum multo duriora imponit error circa alias qualitates, præsertim sanitatis, honestatis morum, fortunæ. Numquid et talis error substantiam attingit?

11. Si attendamus ad modum loquendi canonum videtur matrimonium contractum cum errore conditionis servilis esse invalidum pro parte libera, quæ conditionem servilem alterius ignoravit, adeoque posse rescindi ad petitionem. Certe in matrimonio vera rescindibilitas admitti nequit, sed matrimonium aut illico valet, aut illico nullum esse debet.

Itaque loca juris ita accipienda sunt, ut dari posset *purgatio* hujus impedimenti, quæ purgatio *ante* Tridentinum Concilium fieri poterat per verbum vel per factum, et proinde præsumebatur a lege per liberam cohabitationem conjugum, post agnitam conditionem servilem. *Post* vero Concil. Tridentinum, hæc purgatio fieri debet diverso modo prout impedimentum est occultum vel publicum. Nam si est *publicum,* ratihabitio et purgatio defectus fieri debet in forma Tridentina.

Titulus X.

De natis ex libero ventre.

1. Principium est Juris Romani, a Jure nostro recognitum, quod *'partus sequatur ventrem'*. Hinc prout mater est serva vel libera, filius servus est vel liber absque ulla relatione ad patrem.

2. Quoniam vero libertas est in jure causa *favorabilis,* hinc filius liber nascitur, et uti liber habetur, si mater libera fuerit saltem uno ex tribus temporibus, quæ relationem habent ad partum, idest vel conceptionis, vel nativitatis filii vel intermedio tempore, seu gestationis filii in utero. Qui enim conceptus est in utero pro nato habetur, quoties de ejus favore agitur ll. 5. et 7. ff. *De statu hominum* quibus satis aperte consonat c. un. h. t.

Hæc verificantur relate ad conditionem servilem.

3. Nam posito legitimo conjugio inter homines *liberos,* fili quoad dignitatem, et honores sequuntur conditionem patris.

4. Ita etiam uxor viri sui conditionem sequitur, quamvis inferioris gradus, ll. 5. ff. *De senatorib.* et 13. C. *De dignitat.*

Titulus XI.

De cognatione spirituali.

1. Matrimonium quod in vinculo amoris conjugalis fundatur non bene conciliatur cum naturali verecundia, et amore isto reverentiali, qui oritur ex præexistente propinquitate personarum. Propinquitas personarum principaliter procedit ex *cognatione.*

2. Porro primaria cognatio est *naturalis,* quæ oritur ex communi sanguine et non remota personarum origine, ab uno eodemque stipite, quæque dicitur *consanguinitas.*

3. In similitudinem cognationis hujus, inductæ etiam sunt intellectu juris binæ cognationes, idest *spiritualis* et *civilis.* Spiritualis quidem ortum habet ex *regeneratione* in fide Christi, quæ regeneratio fit in *Baptismate,* et *Confirmationis* sacramentum eam perficit.

4. Legalis vero seu civilis cognatio procedit ex *adoptione,* quæ in jure civili imitatur cognationem naturalem.

I°. De cognatione spirituali.

5. Cognatio spiritualis oritur ex Baptismate, vel Confirmatione, quia Ecclesia in horum sacramentorum administratione, vel susceptione, consideravit intervenire quamdam compaternitatem, commaternitatem, et filiationem spiritualem respondentem, ideoque censuit per hujusmodi sacramenta induci propinquitatem et vinculum quoddam personarum.

6. Penes antiquos canones et etiam jure Decretalium, cognatio spiritualis imitatur ipsam cognationem naturalem, et eo usque matrimonium dirimebat, quousque illud dirimebat *consanguinitas et affinitas.* Cc. 4. et 8. h. t.

7. At post Tridentinum c. 2. sess. 24. *De Ref. matrim.* coarctatum est hoc impedimentum, scilicet cognatio spiritualis dirimit matrimonium: 1°. Inter suscipientes et baptizatum vel confirmatum, ejusque patrem et matrem, 2°. inter ministrum sacramenti et ipsum baptizatum vel confirmatum ejusque parentes.

Memoriæ adjuvandæ causa circa eos, qui cognationem spiritualem contrahunt in Baptismatis vel Confirmationis administratione, vel susceptione, inducti sunt sequentes versiculi:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Suscipiens, susceptus, susceptique parentes.*)

Hinc cognationem spiritualem inter se non contrahunt suscipientes, idest patrinus et matrina, nec ipsi suscipientes cum ministro conferente sacramentum Baptismi, vel Confirmationis. Loquimur I. *de baptismo.*

8. Quæritur an impedimentum hujusmodi contrahatur per baptismum *invalide* collatum. Responsio negativa est; quia ex baptismate nullo nulla perficitur regeneratio, ac proinde nulla compaternitas inducitur, vel filiatio spiritualis.

9. Quid *si baptismus privatim collatus fuerit etiam in casu necessitatis?*

Si de *baptizante* agitur, nullum dubium quin cognatio spiritualis contrahatur inter easdem personas ac in solemni baptismo. — Quoad *suscipientem (suscipientes)* præmittendum est eos non debere,

*) Verbum „Suscipiens" bene adhibetur in collatione Baptismi, minus in collatione Confirmationis; nam patrinus in hoc Sacramento non suscipit, sed „tenet" (Tridentinum c. l.).

tamen posse laudabiliter adhiberi. Verum si adest periculum ne quærendo vel instruendo patrinum baptizandus moriatur ante baptismum, jure naturali prætermittendus est patrinus. Hisce præmissis iterum ponitur quæstio: Quando patrinus de facto adhibitus omnia peragit de jure peragenda, contrahitne cognationem spiritualem?

Nonnulli, inter quos *S. Alphonsus* in *Theol. mor.*, de baptismo n. 149., »communius et probabilius« *negant* cognationem spiritualem contrahi. Rationes hujus sententiæ sunt: 1. scopus Concilii *Tridentini* minuendi impedimenta matrimonii, præsertim respectu cognationis spiritualis; qui scopus ipsis verbis c. 2. *De ref. matr.* exprimitur; 2. utebatur S. Synodus verbis quæ baptismum privatum expresse excludunt, sc. loquitur tantum »de suscipientibus baptizatum *de sacro fonte,* qui solus institutus est ad conferendum baptismum solemne, non autem privatum«.

Alii affirmant ex privato baptismo oriri impedimentum; quia 1°. *canones* non distinguunt inter administrationem solemnem et privatam; 2°. quia ex baptismo privatim etiam in casu necessitatis collato, dummodo sit validus, efficitur regeneratio, ac proinde locum habet compaternitas et filiatio spiritualis. Nec obstat quod adhibitio patrini pertinet ad ritus baptismi solemnis. Etenim actio patrini pertinet non *exclusive* ad cæremonias solemnis baptismi, sed ita ut in baptismo solemni adhiberi *debeat,* in privato autem *possit.* Hæc secunda sententia *certa* redditur decisionibus S. Sedis.

S. C. Concilii enim d. 17. Apr. 1603. censuit: »*Si Maria habuit animum levandi infantem de sacro fonte, contractam esse cognationem spiritualem*«. Exponebatur S. Congregationi sequens casus: »Emmanuel de Soto et Maria de Manzanades Hispalen. ad invicem promiserunt matrimonium inter se contracturos; postea vero quædam alia mulier quæ gravida facta erat a prædicto Emmanuele, peperit, et timore subitaneæ mortis obstetrix baptizavit fœtum, quem dum super ipsum aqua infundebatur, manibus suis tenuit prædicta Maria, ignorans ex prædicta actione posse sibi aliquod impedimentum ad prædictum matrimonium oriri, quod si præscisset, nequaquam prædictum fœtum manibus tenuisset«. — In quo casu nihil perspicuitatis desideratur: Maria, impedimenti cognationis spiritualis inscia, tenuit infantem dum baptizatur in baptismo privato necessitatis causa collato. »Contractam esse cognationem spiritualem«, S. C. Concilii respondit, dummodo præter unum requisitum, sc. tactus physici, alterum, sc. animus levandi,

non defuerit. — Verum adversarii opinantur hanc decisionem dirimere quæstionem quidem in casu, minime vero in generali. Bene satisfit etiam desiderio ejusmodi; nam S. C. C. etiam generaliter rem decidit. Proponebatur enim S. Congregationi hæc quæstio: »An dispositio Concilii decernens in sacramento baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto? — S. Congregatio censuit: »*Dilata et scribant theologi.* Die 29. Maji 1677«. Sex Theologi electi sunt viri doctrina conspicui, ex quibus P. Miroballus, Theatinus, extensius quam ceteri elaboravit votum, quod videri potest in »Analectis Juris Pontificii« (Huitième série, Rome 1866.) col. 1718. Transmissis votis Theologorum ad manus Emorum Cardinalium quæstio fuit iterum proposita, ut supra. Et S. Congr. censuit: *Affirmative.* Die 5. Martii 1678.

Responsum hoc extraximus de dictis *Analectis J. P.* col. 1731. Decisioni nihil adjungitur approbationis a Summo Pontifice factæ. Utrum confirmatio data fuerit necne, saltem dubium est. In qua circumstantia ponunt adversarii ultimum effugium. »Ut ad *posterius* responsum (sc. d. 5. Martii 1678) veniamus«, ait e. gr. P. *Lehmkuhl* in *Theol. mor.* II. n. 758. in nota, »tota agendi ratio S. C. ostendit, responsum illud esse legis Tridentinæ interpretationem *extensivam.* Porro ut ejusmodi interpretatio vim legis obtineat, quæ non interrogantes solum, sed *omnes* adstringat, *authentica* promulgatio fiat necesse est«. Miramur quod cl. hic theologus tam cito judicium fert nullis adductis rationibus. Interpretationem *extensivam* contendit ex tota agendi ratione. Sed quare? Fortasse quia S. C. vota sex theologorum exquisivit; at numquid in decretis *comprehensivis* nequit totidem exquirere? Et si res adhuc sub lite est, quid tanti labores? Quare approbationem Papæ non impetrarunt? In vanum laboraverunt. — *Extensiva* interpretatio tunc adesse videtur quando decisum ne probabiliter quidem in decreto interpretando continetur; *comprehensiva* quando probabiliter continetur; nam si certo continetur, interpretatio necessaria non est. Atqui decisum d. 5. Martii 1678. probabiliter continebatur in c. 2. *De ref. matr.* Ergo responsum d. 5. Martii 1678. interpretatio *comprehensiva* est; ergo nulla expressa approbatione Sum. Pontificis indiget. — Probo minorem.

Adest auctoritas *externa:* auctores sc. quos citat *S. Alphonsus* in n. 149. pro *affirmativa* sententia et ipsa S. C. C. in responso d.

17. Apr. 1603.; adsunt rationes *internæ;* jure enim canonum non distinguebatur inter patrinos in baptismo *solemni* et *privato,* saltem probabiliter. Tridentinum autem canones in hoc non correxit; nam cognationem spiritualem non restrinxit nisi in quantum expressit. De patrinis autem in baptismo privato nihil statuit. Nam »de sacro fonte suscipere« significat *patrinum esse* in baptismo non tantum solemni, sed etiam *privato;* nam S. C. Concilii d. 17. Apr. 1603. his verbis utebatur ad exprimendum baptismum *privatum.*

Interpretatio ergo S. C. Concilii d. 5. Martii 1678. *comprehensiva* est; nulla igitur confirmatio Summi Pontificis necessaria est; lis ergo decisa. Certissime *S. Alphonsus* affirmanti sententiæ adhæsisset, si cognovisset S. C. Concilii decretum. Quare quando patrinus adhibitus in baptismo *privato* requisita animi levandi et tactus physici ponit, cognationem spiritualem contrahit. — Cfr. de potestate S. C. Concilii tit. *De off. Jud. Ord.* (I. 31) nn. 46. et sqq.

Ibi exposuimus sub n. 49. S. hanc Congregationem non posse resolutionem dare, quæ sit sive *restrictiva* sive *extensiva* Tridentinorum decretorum, sed solummodo *comprehensivam* resolutionem dare posse, quæ scilicet decretis ipsis adhæreat et eadem explicet. Cardinales enim hujus Congregationis non sunt veri legislatores, qui jus mutare possint, sed constituti sunt solummodo legitimi interpretes, qui sensum legis determinant.

10. Quid vero si pater vel mater proprium filium baptizaverint?

In genere inducitur impedimentum cognationis spiritualis. Hoc impedimentum quidem si filius natus est ex commercio fornicario ante contractum matrimonium efficit, ut absque dispensatione, nec licite, nec valide possit matrimonium contrahi.

11. Quod si autem matrimonium est contractum, impedimentum superveniens ex cognatione, juxta antiquos canones separationem viri ab uxore inducebat, ita ut non posset amplius servari individua vitæ consuetudo. cc. 1. et 2. C. 30. q. 1.

Deinde autem factum est ut per hoc impedimentum solummodo conjux baptizans amitteret *jus petendi* debitum conjugale, teneretur autem reddere.

12. Tandem vero correctum jus est ita ut conjugi baptizanti neque jus petendi debitum conjugale adimeretur, quando baptizavit filium suum in casu *necessitatis.* Ita in c. 7. C. 30. q. 1. Invocatum enim est principium illud: necessitas non habet legem.

13. Quid vero dicendum, *si pater vel mater levaverint proprium filium in solemni baptismo.*

Huic quæstioni respondet *Alexander III.* in c. 2. h. t., ubi statuit non contrahi impedimentum cognationis, sive levaverit filium suum ex *ignorantia*, sive ex *malitia.* Ex *malitia* quidem pater levaret filium suum, ut exinde eximeretur aliquo modo ab onere debiti conjugalis. Quo in casu plena remanent jura et onera conjugalia, quia fraus et dolus nemini patrocinari debet, cc. 3. et 4. C. 30. q. 1. Si autem conjux filium levaverit ex *ignorantia*, pariter non contrahitur impedimentum cognationis, quia ignorantia eum excusare videtur.

Nec valet objicere impedimenta procedere ad instar irregularitatis, quæ incurritur etiam ab ignorantibus, nam in hypothesi matrimonii jam contracti inhabilitas ex cognatione importaret privationem juris *acquisiti*, et aliqualem solutionem matrimonii, quæ profecto facile admitti nequit absque ulla culpa. Igitur ignorantia ubi adsit, merito excusat ab impedimento cognationis. Quare in sensu capitis non contrahitur impedimentum cognationis, sive sciens sive ignorans, parens filium suum ex sacro fonte susceperit.

14. Quæritur *quinam patrini esse possint in Baptismate?*

Distinguamus oportet inter requisita ad *valorem* hujus muneris suscipiendi et inter requisita ad *liceitatem.* Quoad *valorem* distinguimus requisita ex *natura rei* et ex jure *positivo.*

I. *De requisitis ad valorem 1°. ex natura rei.* Quoniam patrinus munus ecclesiasticum suscipere vult, præter proprium baptismum duo necessaria sunt: *animus* et *signum externum. Non-baptizatus* enim sive *infidelis* nequit suscipere munus ecclesiasticum nec legibus Ecclesiæ est subjectus. — *Animus* vel *intentio* suscipiendi saltem virtualis postulat, ut adsit *rationis usus* et voluntas sit libera ab errore, vi, conditioque adjecta sit adimpleta; sic e. gr. munus patrini cum annexa cognatione spirituali non suscipitur quando quis promisit se levaturum si exspectanda proles fuerit *puer;* de facto autem erat puella. Præsumpta intentio vel ratihabitio non sufficit. — Debet autem adesse animus *suscipiendi;* nam si quis signum externum ponit solo animo juvandi baptizantem, munus patrini non suscipitur. —

Signum externum consistit in aliquo *tactu physico in ipso actu regenerationis.* Diximus »in ipso actu regenerationis«; nam si quis inter *cæremonias* tenet infantem, nullum contrahit impedi-

mentum, etiamsi baptismus jam valide collatus per errorem absolute repeteretur, S. C. Concilii dd. 13. Apr. 1669. et 2. Oct. 1687. (*Analecta J. P.* sér. 8. col. 1832). Si vero *sub conditione* iteratur baptismus quando dubium probabile circa priorem collationem adest, et in utraque collatione vel alterutra adhibetur patrinus, tunc solum certo contrahitur cognatio spiritualis quando eadem persona in utraque collatione tactum physicum cum intentione ponebat; aliter dubium est impedimentum. —

Tactus physicus exprimitur verbis: *offerre, tenere, levare, suscipere.* Quæritur: Qualis ex hisce actionibus *certo* sufficit ad contrahendam cognationem spiritualem? Certo sufficit: *tenere* infantem dum baptizatur, S. C. C. dd. 17. Apr. 1603. et 18. Dec. 1688. Sufficit etiam, si patrinus non quidem tenet infantem, sed *tangit* infantem e. gr. in humero, dum alius tenet, S. C. de Prop. Fid. d. 21. Jan. 1856. — Item sufficit, si patrinus *e manibus sacerdotis* qui ipse tenuit infantem inter baptizandum, *suscipit* baptizatum vel eundem levat e sacro fonte quando per immersionem baptizatur; cfr. Tridentinum c. 2. *De ref. matr.* — At *dubie* contrahitur cognatio spiritualis, quando patrinus infantem tantum offert, vel eum digito tantum aut momento tangit; item quando suscipit infantem non immediate e manibus sacerdotis, sed e. gr. obstetricis, nisi forte hæc acceptum statim tradit. Nam responsum S. C. Conc. d. 18. Dec. 1688. quod afferunt e. gr. *Analecta Jur. Pont.* ser. 8., col. 1733. n. 217. pro cognatione spirit. suscipientis *mediate* e manibus sacerdotis, in hac re nihil probat quoniam patrinus infantem sic *ante* baptismum acceptum *tenuit* in baptismo.

15. Ex hisce resolvitur quæstio de *procuratore patrini.* Procurator ponit quidem tactum physicum, sed non cum animo suscipiendi vel levandi, sed vices mandantis gerendi. Mandans autem per procuratorem ponit tactum physicum cum animo suscipiendi; juxta *reg.* 77. *Juris* in 6⁰.: »Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum«. Ideoque contrahit cognationem spiritualem. In multis resolutionibus S. C. Concilii jam declaraverat *procuratorem non contrahere sibi, sed mandanti* e. gr. in *Veronen.* d. 29. Martii 1582., in *Nullius* d. 15. Martii 1631., denuo idem confirmatum est in *Nucerina* d. 11. Jun. 1881. ita ut sententiæ juxta quas uterque vel neuter vel solus procurator contrahat cognationem spiritualem, probabilitate careant.

16. 2⁰. De requisitis ad valorem *ex lege positiva.*

Munus patrini non suscipiunt ideoque cognationem spiritualem non contrahunt: a. omnes *infideles* i. e. *non baptizati*, ex *positiva* quoque lege; b. *pater* aut *mater* baptizandi, si sunt *legitimi*, item *conjux* legitimus; cn. 3. C. 30, q. 1. et c. 2. h. t.; c) ii qui *ultra designatos* ponunt requisita ad valorem. Statuit enim *Tridentinum* in c. 2. *De ref. matr.:* »Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. *Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant*, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus«. Jus designandi sive eligendi spectat ad patrem et matrem vel ad eorum vices gerentes; ad parochum autem vel ad ejus vices gerentem jure tantum *suppletorio*, sc. quoties parentes nimios, incapaces, indignos vel ineptos designaverint. Hisce præmissis tria statuimus: 1. *Omnes designati* requisitis ad valorem instructi contrahunt cognationem spiritualem, licet sint nimii vel indigni vel inepti; 2. omnes *non-designati* qui *ultra designatos* ponunt requisita ad valorem, *non* contrahunt; 3. omnes *non-designati* qui dum designati vel non adsunt vel non ponunt requisita ad valorem, requisitis ad valorem satisfaciunt, contrahunt. — Tria hæc concluduntur ex c. 3. h. t. in 6°. (IV. 3) collato capiti 2. *De ref. matr.* necnon ex voluntate Ecclesiæ ne in baptismo solemni unquam desint patrini. S. R. C. d. 15. Febr. 1887. in una *Beng. Centr. Bonifacius VIII.* enim disposuerat, ut omnes qui accessissent, etsi plures quam unus vel una essent, spiritualem cognationem contraherent. Tridentinum autem l. c. non correxit jus antiquum nisi in hoc quod personæ *ultra designatos* ponentes requisita ad valorem non contraherent. In casu 3°. exposito non agitur de personis ultra designatos animum et tactum physicum ponentibus, sed de personis idem præstantibus sine ullo designato.

17. II. *De requisitis ad liceitatem.* Rituale Romanum loquens de patrinis in tit. II. cap. 1., omnia egregie complectitur hisce verbis: »Parochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro fonte suscipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, aut ineptos admittat«. —

Quoad *numerum* idem Rituale prosequitur: »Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur, ex decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres«. Sed si parochus duos viros e. gr. admittit et ipsi præstant requisita ad valorem, cognatio contrahitur, uti supra jam vidimus. Notari debet Tridentinum mitigasse constitutionem *Bonifacii VIII.* in c. 3. h. t. Nam hic unum *vel* unam permisit suscipientem, Tridentinum autem unum *et* unam.

Quoad *indignos* statuit Rit. Romanum in n. 25.: »Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminosos, aut infames«. Infideles pertinere non solum ad indignos sed etiam ad incapaces, supra exposuimus nn. 15. et 16. Quæritur; *utrum ejusmodi indigni nunquam possint admitti ad munus patrinorum.* Distinguendum est inter hæreticos et ceteros. Publice excommunicati aut interdicti aut publice criminosi aut infames quando ex eorum repulsa prævidentur mala majora, possunt admitti exceptis publice denuntiatis sive vitandis; S. Pœnitentiaria d. 5. Julii 1856. *(Monitore Ecclesiastico* vol. I. pag. 189, quesito 1°.) et d. 10. Dec. 1860. n. 19. (ibidem pag. 543). Aliter res se habet respectu *hæreticorum.* Quum enim a S. C. Inq. quæreretur: »Utrum hæc declaratio (sc. S. Pœnit. d. 10. Dec. 1860. n. 19. qua tolerantur personæ supra memoratæ) etiam ad patrinos *hæreticos* extendi possit; an vero præstet, sicut nonnulli volunt, in hujusmodi casibus difficilibus baptismum sine patrino administrare«, S. C. Inq. fer. IV. d. 3. Maji 1893. respondere censuit: »*Negative, et præstare ut baptismum conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit*«. (A. S. S. vol. 26. pag. 448.) Ex hoc responso sequitur: 1. hæreticos quoad munus patrini non æquiparari ceteris, agitur enim in casu etiam de communicatione in sacris vitanda; 2. licet grave præceptum sit adhibendi patrinum in solemni baptismo, tamen minus malum est nullum adhibere quam hæreticum; 3. adlaborandum esse, ut loco hæretici assumatur catholicus præter quem hæreticus potest esse testis, si recusari aliter nequit. — Ceterum si quis indignorum de facto præstat quæ ad valorem requiruntur, cognationem contrahit spiritualem. —

Ad *ineptos* pertinent: a. »qui sana mente non sunt« (hos etiam ad incapaces pertinere apparet); b. »qui ignorant rudimenta fidei«;

nam docere hæc debent filios suos spirituales; c. »monachi vel moniales aliive cujusvis Ordinis Regulares a sæculo segregati«.

Hi enim sæculo mortui specialia in sæculo munera non suscipiant. Attamen notandum est responsum S. R. C. d. 15. Febr. 1887.: »Potius adhibeantur moniales uti matrinæ quam ut conferatur utrumque sacramentum (Baptismi sc. et Confirmationis) sine matrinis«. Utique non de monialibus in *stricto* sensu, sed de *sororibus Caritatis* in casu sermo erat, neque nostrum erit hoc responsum extendere ad regulares in proprio sensu, sed tantum ad membra Congregationum, de quibus dici potest: Quoties sacramentum Baptismi (Confirmationis) administrandum esset absque patrinis, potius adhibeantur regulares Congregationum ad patrinorum vel matrinarum munus.

Sacerdotes sæculares jure *communi* non vetantur suscipere filios spirituales, at nonnunquam jure *particulari* et merito; nam sacerdotes, præsertim in cura animarum occupati, »omnibus debitores« non speciali cura — eaque sæpe pecuniaria tantum — prosequi debent paucos.

»Patrinos saltem in ætate *pubertatis* ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime *convenit*« Rit. Rom. l. c. n. 24.

18. In *Confirmatione* idem fere jus valet quod in Baptismo, paucis exceptis. 1) Requiritur *animus* et *tactus physicus*, qui posterior in *Pontificali Romano* sic exprimitur: »*Infantes* per patrinos ante Pontificem confirmare volentem *teneantur in brachiis dextris. Adulti* vero seu alii majores *ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui.* Et ideo neque masculi feminis patrini, neque feminæ masculis matrinæ esse deberent«. Tactus physicus in Pontificali præscriptus non requiritur ad valorem, sed sufficit, »si patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi«, S. R. C. d. 20. Sept. 1749. ad 6^um^. *(Decreta Authentica* vol. II. n. 2404.) S. C. Inq. in Vic. Ap. *Sandwichen.* d. 11. Dec. 1850. ad 1^um^. »Dandos«, ait S. Officium, »in Confirmatione patrinos et observandas Romani Pontificalis rubricas quæ neque variandæ neque omittendæ sunt, nisi ob causam gravem; et ad mentem. Mens est, ut loco pedis ponant patrini manum dexteram super dexterum humerum confirmandi«. (A. S. S. vol. 25. pag. 440.)*)

*) Vicarius Ap. enim quæsierat: 1. „Jusqu' à présent nous n'avons point donné des parrains, ou si quelque fois nous en avons donné, nous n'avons point observé la rubrique: *Adulti*" etc. ut supra.

2) Requisita ad valorem ex lege *positiva* eadem fere sunt quæ in Baptismo. Præterea requiritur ut patrinus et ipse sit confirmatus, S. C. C. d. 13. Jun. 1654. respondit: Non confirmatum *non contrahere* cogn. spiritualem. — Quoad *designationem* in Confirmatione non est una sententia inter DD. Certum est ex c. 3. h. t. in 6°., c. 2. *De ref. matr.* necnon ex *Pontificali Rom.* l. c. adhibendum esse unum vel unam sc. unum in masculo confirmando et unam pro femina, non unum *et* unam, uti in Baptismo. Certum quoque est jus designandi *spectare* ad confirmandum vel ejus parentes, jure suppletorio ad Episcopum. At quid judicandum quando ultra designatum alius vel alii confirmandum tenent animo tenendi?

Probabiliter dici potest personas *ultra* designatam *non contrahere;* nam Tridentinum implicite, sc. in verbo »tenentem« insinuat dicta respectu Baptismi valere proportionate etiam in Confirmatione, hæc interpretatio spiritui legis maxime convenit. At S. Sedes quæstionem non decidit.

3) Præter indignos et ineptos in Baptismo adhiberi prohibitos in *Confirmatione* repelluntur: a. omnes *diversi* sexus personæ Pontificale Rom. l. c. b. Patrini in baptismo, excepto casu necessitatis, c. 100. D. 4. *De consecr.,* S. C. Conc. in *Anconitana* d. 16. Febr. 1884. respondit: Consuetudinem adhibendi in Confirmatione patrinum Baptismi »posse tolerari; sed Episcopus curet *abusum* pedetentim evellere.«

19. De *numero* filiorum spiritualium sive in Baptismo sive in Confirmatione. Respectu *Baptismi* lege positiva nihil statui facile intelligitur; aliter quoad *Confirmationem;* nam Pontificale hoc præscribit: »Nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi«. Non vetatur ergo lege positiva aliquem *diversis* temporibus pluribus esse patrinum quoad utrumque sacramentum. Attamen jam ratione retinetur patrinus, ne nimios suscipiat in filios spirituales, quomodo officia patrini accurate implebit qui fidei jussor sive sponsor spiritualisque pater vocatur? — Merito igitur S. C. Conc. dd. 14. Jun. et 12. Jul. 1823 improbavit usum centenarium *Fesulanæ* diœcesis, quo vir unus pro omnibus maribus, una mulier pro feminis ab Episcopo vel parocho deputabatur in munus patrini vel matrinæ, hisce verbis: »Non esse probandum dictum usum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo judicandæ, ad formam Pontificalis Romani«.

In nonnullis regionibus mos est quod duæ familiæ se conjungunt in compaternitate ita ut maritus et uxor unius familiæ e sacro fonte suscipiant omnes infantes alterius et viceversa necnon ut maritus unius familiæ teneat in Confirmatione omnes filios, ejusque uxor omnes filias alterius familiæ. Quid dicendum de hoc usu? Si patrinus vel matrina in uno sacramento assumatur in patrinum vel matrinam alterius sacramenti, abusus esset ex dictis supra n. 18. 3°. Cetera autem non sunt improbanda; nam liberi unius familiæ in spiritualem tutelam alterius, quando oportet, cum facilitate atque utilitate suscipi possunt. Imo hæc relatio inter duas familias ab Ecclesia quasi munus compaternitatis unum consideratur; quare etiam compaternitas non augetur. »Si quis«, ait S. C. Inq., »plures ejusdem personæ filios *eodem* Sacramento teneat, cognatio spiritualis *non augetur*, et consequenter opus non est ad dispensationis validitatem ut in supplici libello hæc circumstantia exprimatur«, S. C. Inq. d. 29. Apr. 1894. ad Eppum. *Ruth. et Vabr.* (*Monitore Eccl.* vol. VIII. p. 2. pag. 206.) Jam antea *Pyrrhus Corradus* l. VIII. c. 8. n. 16. et *F. P. van de Burgt* in *tractatu de dispensationibus matrimonialibus*, ed. 3ª. Sylvæ-Ducis. 1856. pag. 23. idem docuerant. — In casu ergo supra proposito gignitur pluralitas cognationis spiritualis non ratione numeri filiorum uniuscujusque familiæ, sed ratione *duplicis compaternitatis* ex una et ex altera familia. Et si ex aliqua causa compaternitas reciproca servatur in utroque sacramento, quattuor oriuntur impedimenta cognationis spiritualis.

20. Quæritur utrum baptizans possit idem esse et suscipiens, necnon confirmans idem esse et tenens? Quoad baptismum nihil est decisum; quoad Confirmationem habemus rescriptum S. R. C. d. 14. Junii 1873. in *Policastren.:* »Episcopus confirmans in casu officium Patrini gerat per Procuratorem«. Et quia Procurator non sibi, sed mandati munus suscipit, responsum est: *Affirmative;* quod responsum merito etiam *baptizanti-suscipienti* applicatur. Et quando consuetudo (utique minus probanda) fert ut sacerdos baptizandum in baptismo teneat, opus non est procuratore.

21. In supplici libello species infima exponenda est: utrum cognatio spiritualis proveniat ex Baptismo an ex Confirmatione; in utroque sacramento utrum sit paternitas an compaternitas; quoad paternitatem utrum sit ex parte conferentis sacramentum an ex parte tenentis; *Van de Burgt* c. l. pag. 23. n. 25. Inter

has species eminet cognatio inter *levantem et levatum*, etenim in facultatibus quinquennalibus *ordinariis* excipitur expresse hæc species; cfr. *Schneider: Fontes Jur. Novissimi* pag. 99. n. 9., pag. 101. n. 1., pag. 105. n. 4., pag. 85. n. 6. et notam 2) Si cl. Editor in loco ultimo contendit »Multo magis excipitur etiam illa quæ est in baptizantem et baptizatum, quamquam casus ejusmodi matrimonii omnino insolitus non memoratur expresse in exceptione«, huic sententiæ obstat principium: »Ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus«.

22. Ante Concilium *Tridentinum* cognatio spiritualis tam late se extendebat, ut incommodum inde proveniens ipsum Concilium lamentaretur in c. 2. *De ref. matr.* Præter species a Tridentino retentas numerabantur hæ: inter patrinos ad invicem — inter filium patrini et baptizatum vel confirmatum — inter patrinum unum et filios alterius patrini post susceptum patrini munus natos — inter baptizatum et filios baptizantis — inter parentes baptizati vel confirmati et conjugem superstitem patrini, c. 1. h. t. (IV. 3) in 6°., *Schulte:* Handbuch des katholischen Eherechtes. Giessen 1855. (Manuale Juris matrimonialis catholici) pag. 191. §. 26. cum nota 17). Huc accessit impedimentum *impediens Catechismi*, c. 2. h. t. in 6°. Quæ impedimenta omnia præter recensita superius abolita sunt hisce verbis Concilii Tridentini: »Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.«

Titulus XII.

De cognatione legali.

1. *Adoptio* inducta est in solamen illorum, qui filiis orbantur, l. 1. ff. *De Adoptionibus.* Adoptio definiri solet '*Actus legitimus, quo qui filius non est, aut nepos, in filium proprium vel nepotem assumitur*'.

2. Adoptio in Jure Romano distinguitur in *perfectam*, quæ etiam *arrogatio* dicitur, et in *imperfectam*, quæ simpliciter *adoptio* appellatur.

Arrogatio ea est, qua persona *extranea* et *sui juris* assumitur in filium aut nepotem, ita ut transeat in familiam et potestatem adoptantis, perinde ac si fuisset filius aut nepos legitimus et naturalis. §. 3. Instit. *De Adopt.* Adoptio hujusmodi dispositione legum Romanarum fieri debebat consensu populi Romani in comitiis cu-

riatis, post constitutum Imperium per *rescriptum Principis* — *adoptio plena sive perfecta.*

3. Imperfecta, idest simplex *adoptio,* ea est, qua persona *extranea* et *nondum sui juris,* idest constituta sub sui patris naturalis vel avi potestate, assumitur in filium aut nepotem adoptantis, ita ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis, sed perseveret sub potestate patris, vel avi *sui.* Filius vel nepos ita adoptatus, non fit *necessarius* hæres adoptantis, quare in testamento *præteriri* potest. Succedit tamen ab intestato. §. 2. Inst. *De Adopt.* Adoptio hujusmodi, jure romano fiebat per *officium judicis competentis.*

At si persona non sui juris adoptatur a persona non extranea, sed cognata, sc. ab avo vel proavo suo *materno* vel ab avo *paterno* non naturali quidem (sive cognato), sed per adoptionem patris (sive agnato), tunc ejusmodi adoptio, »quia concurrunt in eandem personam et naturalia et adoptionis jura« effectus arrogationis producit. Ergo habemus: I. *Adoptionem plenam,* ad quam pertinet *arrogatio* (n. 2.) et *adoptio personæ alieni juris, sed cognatæ;* II. *adoptionem minus plenam* i. e. adoptionem personæ non sui juris ab extraneo factam.

4. Ecclesia leges civiles commendavit in hac re, easque fecit canonicas, et recognovit *cognationem legalem* ex *adoptione plena,* tamquam impedimentum dirimens matrimonium; c. 1. C. 30. q. 3. qui canon exceptus est ex Epistola *Nicolai I.* ad consulta *Bulgarorum.* Jure autem meritoque Ecclesia canonizavit dispositionem legis civilis, qua per adoptionem fictione juris censetur inducta propinquitas personarum. Nam 1°. auctoritas adoptantis, relativa dependentia adoptati in novam familiam sponte sua secumferunt conjunctionem animorum, et *reverentiam quasi filialem* quæ non bene cum matrimonio quod in amore *concupiscentiæ* fundatur, conciliantur. — Accedit 2°. ratio *cujusdam publicæ honestatis,* quæ exigit ut matrimonium prohibeatur inter personas cognatione legali conjunctas. Publica enim honestas exigit ut relatio proximitatis, per imitationem naturæ inducta rite custodiatur, et removeatur spes matrimonii, ne amor concupiscentiæ excitetur et foveatur inter easdem personas, et ne boni mores publicum detrimentum patiantur.

5. Ecclesia non propria constituit impedimenta, sed juris civilis Romanorum impedimenta adoptavit. Ergo quærendum est, qua-

tenus cognatio legis secundum jus civile Romanorum constituat impedimenta dirimentia. Principii loco statuimus verba juris consulti *Pauli* in l. 23. ff. *De adoptionibus:* »Qui in adoptionem datur, his quibus *adgnascitur,* [et] *cognatus* fit: quibus vero non adgnascitur, nec cognatus fit; adoptio enim non jus sanguinis, sed jus adgnationis affert. Et ideo si filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non est: neque enim adgnascitur ei, propter quod nec cognata ejus fit«. Quid sibi vult vox »adgnasci«, »adgnatio«? Nihil aliud significat quam in conjunctionem earum personarum venire quæ aut subsunt patriæ potestati alicujus patrisfamilias aut subessent si pater familias adhuc viveret, ll. 7. et 23. ff. *De adopt.* et l. 4. ff. *De operis libertorum.*

6. Hisce præmissis *tria* sunt *cognationis spiritualis genera:* 1. *Paternitas* legalis; 2. *fraternitas* legalis; 3. *affinitas* legalis.

Ad 1^{um}. *Paternitas* legalis matrimonium dirimit inter adoptantem et adoptatum vel adoptatam et descendentes adoptati (æ) in infinitum. Hoc paternitatis impedimentum perdurat etiam dissoluta adoptione vel ejus effectu.

Ad 2^{um}. *Fraternitas* legalis se extendit ad omnes illas personas quæ sub *patria potestate* adoptantis sive naturali sive adoptionis jure sunt in diversis gradibus, c. un. h. t. Ergo filii naturales illegitimi huc non pertinent. Duo hic notanda: 1. Hoc impedimentum non perdurat nisi perdurante adoptione vel patria potestate; 2. non se extendit nisi ad 3^{um}. gradum *civilis* computationis, l. 3. ff. *De nuptiis,* §. 4. Inst. *De nuptiis,* ubi legitur: »Duorum fratrum vel sororum liberi, vel fratris et sororis conjungi possunt«, id quod ex l. 3. cit. in adoptatis valet. Etenim liberi fratris et sororis etc. in 4. gradu civilis computationis sunt conjuncti; l. 1. ff. §. 6. *De gradibus.*

Ad 3^{um}. *Affinitas* legalis stricto jure Romanorum non reducitur in *paternitatem* legalem, hoc patet ex verbis supra n. 5. citatis: »Ideo et si filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non est, neque enim adgnascitur, propter quod nec cognata ejus fit«, sed est revera *affinitas* legalis; nam »Adoptivus filius si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest: quia *novercæ* locum habet. §. 1. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ *nurus* loco est, ne quidem post emancipationem filii ducere poterit: quoniam aliquando nurus ei fuit,« l. 14. ff. *De ritu nuptiarum.* — Hoc confirmatur ex responsione

S. C. Concilii d. 25. Sept. 1734. in *Hortana* apud Benedictum XIV. in *Syn.* l. 9. cp. 10. n. 5., in extenso apud *Richter et Schulte* c. l. pag. 267. n. 107., apud *Gasparri:* c. l. I. n. 758. Miror quod hic cl. Auctor l. 14. cit. in sua spinosa argumentatione non fuerit usus.

7. Dixi inter omnes istas personas. Nam quamvis in c. 1. C. 30. q. 3. et c. un. h. t. prohibitio matrimonii solum reperiatur inter adoptantem et adoptatam, et inter filiam vel filium legitimum naturalem adoptantis, et filium vel filiam adoptatam, tamen sequimur in jure canonico extensionem cognationis legalis supra expositam, a jure civili retentam. Nam leges civiles in hac materia generaliter a sacris canonibus approbantur. Unde tuto cum *Panormitano* in rubr. h. t. n. 1. invocari potest principium juridicum ecclesiasticæ legislationis expressum in c. 1. *'De novi operis nunciatione'* (V. 32) scilicet 'quod deest in jure canonico suppletur per dispositionem juris civilis, quando utrumque jus tractet de eadem materia'.

8. Quæritur *utrum impedimentum cognationis legalis sit perpetuum nec ne?*

Si sermo sit *de paternitate et filiatione legali,* impedimentum ex eisdem derivans est perpetuum, adeo ut etiam soluta quomodocumque adoptione, non possit adoptans ducere in uxorem, quam uti filiam vel neptem adoptivam sub sua habuit potestate (l. 55. ff. *De ritu Nupt.*, et c. 1. C. 30. q. 3.). Videtur enim primitiva relatio filiationis et paternitatis legalis virtute sua perseverare, etiam post solutionem adoptionis, nec bene componi cum matrimonio. — Idem dicendum est *de cognatione legali orta ex affinitate.*

9. Quod si vero sermo sit de impedimento orto ex fraternitate legali, idest de cognatione legali in linea *transversa,* hoc impedimentum tamdiu perseverat, quamdiu durat adoptio, ita nempe ut soluta per mortem vel per emancipationem adoptione, cesset impedimentum, et filius qui fuerat adoptivus, possit uxorem ducere filiam naturalem et legitimam adoptantis.

Pariter soluta patria potestate liberorum legitimorum naturalium adoptantis, potest matrimonium consistere inter eos, et filium vel filiam adoptatam. Hæc omnia inferuntur ex §. 2. Instit. *De Nupt.*, et l. 12 ff. *De Ritu Nupt.*, necnon ex c. *un. h. t.*, quod sese refert ad dispositiones juris civilis.

10. Ultimo loco animadvertendum est, cognationem legalem exhibere impedimentum præveniens actum celebrationis matrimonii.

Nam si *post* contractum matrimonium superveniat cognatio legalis, hæc *non interrumpit jura conjugalia:* ex. gr. si quis puellam accipiat in uxorem, et deinde adoptet in filium puta patrem puellæ ipsius, nullam jacturam patiuntur jura conjugalia, quoad redditionem et quoad petitionem debiti conjugalis; quia canones nihil dicunt de cognatione legali superveniente post matrimonii celebrationem.

11. Quærunt Doctores, *utrum adoptio perfecta tantum, idest arrogatio, vel etiam simplex adoptio dirimat matrimonium.*

Glossa finalis in c. un. h. t., et *Panormitanus* in idem cap. n. 5., et *Pontius: De matrimonio* l. 7, c. 42., aliique docent impedimentum oriri ex *utraque* adoptione. — Verum *Innocentius* in idem cap. un. h. t., *Sanchez: De matrimonio* disput. 69. n. 9. aliique Doctores tradunt ex *sola* arrogatione impedimentum oriri. — *Benedictus XIV. De Syn.* lib. 9. c. 10. n. 5. insolutam quæstionem reliquit, et in praxi quæstiones resolvendas esse tradit, juxta leges romanas.

Verum videtur *sola arrogatio* gignere impedimentum dirimens. Nam per adoptionem simplicem filius adoptatus sub potestate patris naturalis remanet, nec transit in familiam adoptantis. Ideoque ex adoptione simplici non gignitur necessitudo et dependentia inter personas, neque enascitur respectus honestatis et reverentiæ.

12. Quæritur quid dicendum de adoptionibus quæ juxta *recentiores legislationes* perficiuntur.

Profecto si agatur de aliqua legislatione, quæ jus romanum quoad adoptionem retineat, dubitari nequit per adrogationem contrahi cognationem legalem.

At communiter in novis codicibus non omnia servantur, quæ a jure romano statuta sunt, ad arrogationem perficiendam. Ita ex. gr. in codice *Gallico* artic. 348. decernitur: *'Adoptatus manebit in familia naturali, et conservabit omnia sua jura'.* Verum aliquid amplius in adoptione a novis legibus inductum est, quod a romanis legibus in adoptione imperfecta non exigebatur. Quare dici potest, quodammodo *novas formas* adoptionis fuisse in hodiernis legislationibus receptas.

13. Quibus positis Doctores in duas abeunt sententias. Canonistæ Gallici, *André* in opere: *Cours alphabetique du droit canon* et *Cobrière* in opere *Droit privé, administratif et public,* negativam sententiam quoad adoptionem in gallica legislatione recog-

nitam, propugnarunt, eo quia adoptio hæc non refert omnia arrogationis antiquæ elementa.

14. Alii autem cum *Carrier* et *Bouvier* affirmant. Inter hos adnumeratur clarissimus *De Angelis*. Affirmativæ sententiæ nos quoque ob duas rationes subscribimus, 1°. quia Ecclesia legem non tulit qua impedimentum cognationis legalis aboleretur; non obstante immutatione in adoptione a novis legibus inducta. 2°. Quia responsiones authenticæ prodierunt S. Sedis, quæ nostram quæstionem in sensu *affirmativo* resolvit.

15. Sane S. C. Inqu. interrogata 'An adoptio celebrata in forma præscripta a codice civili Regni *Neapolitani* producat necne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium?' d. 23. Febr. 1853 respondit: '*Affirmative*'. Sacra autem Pœnitentiaria interrogata a P. *Lasserre,* Vicario Generali *Petrocorensi,* per sequens dubium 'Cum in Regno Galliæ adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quæritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat', respondit: '*Affirmative si res sit de adoptione legitime inita*'. (Tomo XII. n. 20. *Actorum* S. Pœnitentiariæ.)

Itaque dummodo lex civilis constituat formam adoptionis, ac juxta eam adoptio fiat, cognatio legalis contrahitur. Legitimitas enim adoptionis a lege civili determinatur. Hinc nil mirum si S. C. Inq. d. 16. Aprilis 1761 edixerit, non oriri impedimentum cognationis legalis ex more in *Bulgaria* recepto, juxta quem citra dispositionem legis civilis paterfamilias aliquando filios sibi adoptat absque ulla juris solemnitate.

16. Accedit *praxis S. Pœnitentiariæ,* quæ, uti patet ex Actis, quæ in distinctis voluminibus asservantur, de facto impedimenti cognationis legalis exsistentiam in Galliis aliisque nationibus admittit, et super illa si causæ canonicæ adsint, dispensat.

Ratio autem cur Ecclesia recipiat formas actuales adoptionis, hæc esse videtur. Quia videlicet quemadmodum ob temporum mutatas circumstantias imminutus est rigor patriæ potestatis et relativæ dependentiæ, ita etiam rigor antiquæ arrogationis, quæ imitabatur patriæ potestatis effectus, imminui debuit. Posita autem hujusmodi imminutione a novis legibus peracta, nihilominus per adoptionem inducitur conditio personarum et relatio inter ipsas, ex qua *proximitas et conjunctio animorum* enascitur, temporum

exigentiis accommodata, vi cujus maritalis unio inter personas has non videtur publicæ honestati et bonis moribus conformis.

17. Omnia respectu legislationum recentiorum exposita breviter concludamus: 1. Quando legislatio aliqua statuit adoptionem quæ omnino correspondet quoad substantiam legis civilis Romanorum, impedimentum canonicum cognationis legalis certo adest. Talem legislatio »*Neapolitana*« statuisse videtur. — Si vero correspondet adoptioni minus plenæ, impedimentum canonicum dubium est. — Quando autem adoptio perficitur nulla interveniente civili lege, neque impedimentum canonicum adest, uti in *Bulgaria.*

Hisce præmissis quæritur utrum canonicum impedimentum adsit juxta novum *Codicem civilem Imperii Germanici* (Bürgerliches Gesetzbuch für das deutsche Reich) qui vigebit a Calendis Januarii anni 1900. Legislatio super adoptione invenitur in libri 4., partis II. titulo 8. §§. 1741—1772. — Quoad *solemnitatem* adoptandi statuitur: §. 1741. Qui prole legitima caret, alium adoptare potest contractu cum eodem. Qui contractus debet confirmari per competentem judicem. In sequentibus §§. leguntur accidentalia et modificationes circa solemnitatem, in quibus eminet §. 1746. »Qui matrimonio est junctus, non potest adoptare vel adoptari nisi consentiente conjuge. — *Effectus* adoptionis declarantur in his §. 1757. Adoptione assequitur adoptatus conditionem juridicam filii legitimi adoptantis vel conjugum adoptantium. — §. 1758. Adoptatus adoptione recipit familiæ adoptantis nomen, cui adjungere potest nomen familiæ propriæ. — §. 1762. Effectus adoptionis se extendunt etiam ad prolem adoptati supervenientem. — §. 1763. Effectus adoptionis non se extendunt ad propinquos adoptantis. Conjux adoptantis non fit affinis adoptato nec conjux adoptati adoptanti. — §. 1765. Adoptione perfecta parentes legitimi naturales amittunt potestatem parentalem (i. e. quæ parentibus competit) super filium adoptatum, mater illegitima jus et officium curam habendi respectu filii adoptati.*)

*) Vel in textu originali. §. 1741. Wer keine ehelichen Abkömmlinge hat, kann durch Vertrag mit einem Anderen diesen an Kindesstatt annehmen. Der Vertrag bedarf der Bestätigung durch das zuständige Gericht. — §. 1746. Wer verheirathet ist, kann nur mit Einwilligung seines Ehegatten an Kindesstatt annehmen oder angenommen werden. — §. 1757. Durch die Annahme an Kindesstatt erlangt das Kind die rechtliche Stellung eines ehelichen Kindes des Annehmenden. Wird von einem Ehepaare gemeinschaftlich ein Kind an-

Ex hisce patet: Legislatio Imperii Germanici adoptionem non *minus plenam*, sed *plenam* i. e. *adrogationem* statuit; nam adest solemnitas legis civilis et adest effectus quo adoptatus revera de familia naturali in aliam familiam transit ita ut desinat esse filius legitimus familiæ naturalis simulque fiat filius legitimus alterius quoad totam conditionem suam juridicam. — Ex hac adoptione sequitur *paternitas legalis* sine ullo dubio, quam agnoscit aliquatenus etiam legislatio eadem Germanica in §. 1311. »Qui alium adoptaverit, nequit matrimonium inire cum adoptato vel adoptati progenie quamdiu persistit adoptio«.*)

Verumtamen impedimentum hoc a legislatione Germanica in §. 1311. constitutum infideles i. e. non-baptizatos afficit, minime christianos, saltem per se. Pro christianis valet impedimentum cognationis spiritualis canonicum: i. e. paternitas, fraternitas, cognatio legalis, quemadmodum supra exponebatur in n. 6. Ne opponas: »Si quæstio incidat . . . cognationis legalis, necessario recurrendum erit ad leges *civiles*«, ait *Benedictus XIV.* Atqui leges civiles (in *Germania)* non agnoscunt fraternitatem neque cognationem legalem ex §. 1763., sed nec paternitatem legalem *dissoluta adoptione* ex §. 1311. Ergo impedimentum etiam canonicum ad paternitatem legalem perdurante adoptione restringitur. Nam ex verbis *Benedicti XIV.* in *Syn.* l. 9. cp. 10. n. 5. citatis sequitur *con-*

---

genommen oder nimmt ein Ehegatte ein Kind des anderen Ehegatten an, so erlangt das Kind die rechtliche Stellung eines gemeinschaftlichen ehelichen Kindes der Ehegatten. — §. 1758. Das Kind erhält den Familiennamen des Annehmenden. Das Kind darf dem neuen Namen seinen früheren Familiennamen hinzufügen, sofern nicht in dem Annahmevertrag ein Anderes bestimmt ist. — §. 1762. Die Wirkungen der Annahme an Kindesstatt erstrecken sich auf die Abkömmlinge des Kindes. Auf einen zur Zeit des Vertragsabschlusses schon vorhandenen Abkömmling und dessen später geborene Abkömmlinge erstrecken sich die Wirkungen nur, wenn der Vertrag auch mit dem schon vorhandenen Abkömmlinge geschlossen wird. — §. 1763. Die Wirkungen der Annahme an Kindesstatt erstrecken sich nicht auf die Verwandten des Annehmenden. Der Ehegatte des Annehmenden wird nicht mit dem Kinde, der Ehegatte des Kindes wird nicht mit dem Annehmenden verschwägert. — §. 1765. Mit der Annahme an Kindesstatt verlieren die leiblichen Eltern die elterliche Gewalt über das Kind, die uneheliche Mutter das Recht und die Pflicht, für die Person des Kindes zu sorgen.

*) *Germanice:* §. 1311. Wer einen Anderen an Kindesstatt angenommen hat, darf mit ihm oder dessen Abkömmlingen eine Ehe nicht eingehen, solange das durch die Annahme begründete Rechtsverhältniss besteht.

trarium. Ex contextu enim eruitur *Benedictum* non loqui nisi de legibus civilibus *Romanorum* et postulare, »ut ad *earundem normam quæstio decidatur*«, i. e. ut leges singularum rerumpublicarum de adoptione reducantur ad leges civiles Romanorum de eadem materia. Si illæ congruant saltem in substantia cum his, impedimentum cognationis legalis canonicum in triplici specie (paternitatis, fraternitatis, affinitatis) quale transsumptum est a legislatione Romana, adest; si non congruant, licet ipsæ cognationem legalem forte statuant, impedimentum canonicum non adest. — At hæc omnia theorice sint dicta; in praxi recurrendum erit ad S. Sedem. —

18. Pro *Austria* cl. Instructio Austriaca hæc habet in §. 29.: »Adoptio juris Austriaci intra præfatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternæ adoptantis potestati subjiciatur, *vel* in ejusdem domum filiorum familias adinstar cohabitaturus recipiatur. Quodsi autem neque paternæ adoptantis potestati subjiciatur, *neque* in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptatio juris Austriaci imperfectæ æquiparanda est et nullum matrimonii impedimentum involvit«. Legislatio Austriaca super adoptione invenitur in §§. 179—185. C. C. A., quæ Germanicæ simillima est; at juxta §. 184. adoptio stipulationibus privatis ad *imperfectam* (sc. adoptionem) reduci potest; cfr. *Aichner:* in *Comp. Jur. Eccl.* §. 178. ed. 7ª. pag. 614. —

Titulus XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

1. Postquam B. Raymundus de cognatione spirituali egerit, et de legali, pertractare incipit de cognatione naturali seu carnali, quæ complectitur tum *affinitatem,* tum *consanguinitatem.* Tractationem vero suam ab affinitate aggreditur.

2. Affinitas est *'propinquitas personarum inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa, orta ex copula carnali completa'.*

Affinitas hæc potest oriri ex *legitima* carnali conjunctione in matrimonio, vel ex copula *illicita.*

Rursus copula illicita potest esse vel *adulterina,* vel *incestuosa,* vel simpliciter *fornicaria,* prout locum habet inter personas vinculo matrimoniali ligatas, vel ligatas impedimento ad contrahendum matrimonium, vel prorsus liberas. — Titulus prout inscri-

bitur, proprie agit *de affinitate ex copula adulterina vel incestuosa*. Ut autem plenior sit tractatio, etiam de tertia affinitate agimus, atque in particulares casus materiam dispescimus.

3. Et I°. posita *copula perfecta, quocumque titulo illicita* inter duas personas, enascitur *affinitas* inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Commixtio enim carnalis intercedit, vi cujus propinquitas quædam personarum inducitur.

Diximus »*perfecta*«; nam si copula per se ad generationem apta non sit, nulla affinitas enascitur, c. 11. C. 35. q. 2. et 3. Canoni citato congruit responsum S. Pœnitentiariæ d. 2. Julii 1885, cujus integrum textum hic inserendum censuimus ex *Monitore Ecclesiastico* vol. IV. p. 2. pag. 15. et in nota: »An sodomia, cujuscumque speciei sit, pariat impedimenta consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, et an exprimenda sit in petitione dispensationum (quoties occurrit) et in casu cognationis spiritualis. — Sacra Pœnitentiaria respondit: *Negative ad omnia.* — Datum Romæ in S. Pœnitentiaria d. 2. Julii 1885. — R. Card. *Monaco* P. M. Hyp. Canon. Palombi S. P. Secr.«*) Aliter res se habet cum *artificiosa mulieris fœcundatione* quam *non licere* S. C. Inq. d. 24. Martii 1897. declaravit approbante et confirmante *Leone XIII.* d. 26. ejusd. mensis et anni. Nam saltem *si* ex tali fœcundatione enascitur fœtus, commixtio seminum et exinde affinitas adest.

4. Jure antiquo juxta c. 7. C. 35. q. 3. correctum ab *Innocentio III.* in Concilio *Later. IV.* cujus dispositio legitur in c. 8. '*De consang. et affinit.*' (IV. 14) hæc affinitas ex illicita copula, quemadmodum affinitas ex copula licita, matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum inclusive.

---

*) Quomodo sodomia parere possit impedimenta consanguinitatis, publicæ honestatis, spiritualis cognationis, intelligere nequimus; etenim consanguinitatis fundamentum est communis sanguis, publicæ honestatis consensus sponsalitius, spiritualis cognationis denique collatio Baptismi et Confirmationis necnon consanguinitas. Fortasse quæstio sic est interpretanda: An sodomia etc. pariat inter consanguineos, affines, quasi-affines vel spirituali denique cognatione ligatos incestum qui in petitione dispensationum necessario exprimendus sit? S. Pœnit. respondit: *Negative ad omnia.* d. 2. Julii 1885, ergo copula sodomitica inter sic cognatos non erat illa *copula incestuosa* quæ usque ad 25. Junii 1885. necessario exprimenda erat in supplici libello dispensationum matrimonialium: cfr. Lit. circulares S. C. Inq. d. 25. Juni 1885. in *Monitore Eccl.* vol. IV. p. 1. pag. 125.

5. At Concilium Tridentinum in c. 4. sess. 24. *De reform. matr.*, impedimentum affinitatis ex copula *illicita* coarctavit usque ad *secundum* gradum inclusive. Hinc posita copula illicita, vir valide contrahit matrimonium ideoque *sponsalia* quoque *de futuro* cum consanguineis mulieris usque ad secundum gradum exclusive, et viceversa mulier cum consanguineis viri.

Quæstio difficilis solutionis est, quid significet vox »copula illicita«. Concilium *Tridentinum* utitur non verbo »illicita«, sed »*ex fornicatione*« cit. c. 4. Jam vidimus »fornicationem« in cit. loco non sumi strictiore, sed latiore sensu ita ut comprehendat non solum copulam simpliciter illicitam, sed adulterinam, incestuosam, sacrilegam. At potestne etiam usus matrimonii *putativi* dici copula *ex fornicatione? Materialiter* quidem quia matrimonium nullum supponitur, adest fornicatio; *formaliter* autem non, saltem non ex utraque parte. — Certum est copulam non haberi fornicariam quando matrimonii nullitas ignoratur tam ab utraque parte, quam a populo, cfr. S. C. C. in causa *Brixien.* d. 3. Dec. 1607. (vel 1667 uti alii habent: e. gr. Gasparri, Feije, Aichner). Bartholomæus et Maria matrimonium inter se contraxerant et consummaverant, quod postea nullum declaratum est ob consanguinitatem in 4. gradu. Bartholomæus deinde intendit ducere uxorem Cavallariam consanguineam Mariæ in 3. gradu. Cum quæreretur, an B. posset absque dispensatione apostolica matrimonium contrahere cum C., responsum fuit: »Non posse contrahere, *obstante illi tum impedimento publicæ honestatis, tum affinitatis.* (Lib. 25. *Decr.* pag. 472 sqq. et pag. 484. apud *Richter et Schulte* c. l. n. 102. pag. 264.) Magni sane momenti est hæc decisio ex qua sequitur: 1. Impedimentum *publicæ honestatis* non absorberi impedimento affinitatis, saltem quando matrimonium est *invalidum.* 2. Consummationem matrimonii invalidi affectu *maritali* efficere affinitatem *legitimam* i. e. quæ dirimit usque ad IV. gradum.

Contra 1^am^. sequelam hujus decisionis adducitur *Benedictus XIV.* qui in *Syn.* l. 9. cp. 13. n. 4. sic loquitur: »Matrimonium consummatum aut veram producit affinitatem, aut certe aliud impedimentum non parit«. At hunc Pontificis locum ad matrimonium *validum* consummatum coarctamus. Ergo nostra sententia est: Quando matrimonium *validum* consummatur, impedimentum publicæ honestatis transit in affinitatis; quando autem *invalidum* consummatur, impedimentum publicæ honestatis remanet, cui accedit aut affinitas

ex affectu maritali, aut affinitas ex fornicatione, in quantum scientia nullitatis præcedit consummationem, cfr. *Pyrrhum Corradum* in *Praxi disp.* l. 8. c. 7. n. 24. apud *Aichner* c. l. §. 180. n. 3. pag. 618. — Ad 2^am^. sequelam notandum est: Quando nullitas matrimonii nota est et utrique contrahenti et communitati, affinitas certo habenda est *ex fornicatione* contracta. In ceteris vero casibus, sc. quando alteruter solus vel uterque contrahentium solus vel populus solus ignorat aut scit nullitatem, dubium esse videtur, utrum affinitas ex fornicatione contracta sit annon. Quid juris sit in matrimonio »civili«, videbimus in titulo *De consanguinitate et affinitate* (IV. 14) n. 23.

6. Tridentinum impedimentum affinitatis ex fornicatione contractæ *dirimens* restrinxit ad II. gradum inclusive; quæritur, utrum exsistente affinitate ex fornicatione contracta in 3^0^. vel 4^0^. gradu adsit impedimentum matrimonii *impediens* an *nullum* omnino impedimentum? Hanc quæstionem diremit *S. Pius V.* in Const. *Ad Romanum* d. 28. Nov. 1566. hisce verbis: »Declaramus et Apostolica auctoritate decernimus nullum aliud impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere et *licite* matrimonium contrahi possit«.

7. II^us^. casus est de copula, quæ *post inita sponsalia* habeatur ab ulterutro ex sponsis cum consanguineis alterius intra *secundum* gradum exsistentibus. Juxta c. 2. h. t. ob inductum impedimentum affinitatis, sponsalia amplius urgeri nequeunt. Quare qui copulam illicitam habuit cum consanguinea sponsæ suæ in primo gradu ex. gr. cum sorore, matrimonium nequit contrahere cum sponsa, quia obstat affinitas, neque potest cum ejus consanguinea quam cognovit, quia obstat impedimentum publicæ honestatis.

8. III^us^. casus est copulæ illicitæ habitæ *post contractum matrimonium* inter unum conjugem et consanguineam personam alterius. Effectus hujus copulæ adulterinæ est, ut pars delinquens contrahat affinitatem cum conjuge sua. Affinitas autem hæc non imminuit jura conjugis *innocentis*. Hinc conjux innocens potest petere conjugale debitum, et pars delinquens tenetur illud reddere. Sed pœna adulterini concubitus tota est contra delinquentem conjugem. *Pœna* autem hæc juxta canones *duplex* est. Prima pœna est ut delinquens conjux *amittat jus petendi debitum* conjugale; c. 1. h. t. Quæ pœna ex declaratione S. C. Concilii, confirmata a *Gregorio XIII.* locum non habet nisi quatenus affinitas ex for-

nicatione adest, i. e. quando conjux copulam perfectam habet cum persona consanguinea alterius conjugis in 1. vel 2. gradu. —

Secunda pœna est ut idem conjux delinquens privetur jure contrahendi matrimonium cum alia *qualibet* persona, etiam post solutum matrimonium quo actu ligatur.

Quare impedimentum inductum fuit ita, ut delinquenti conjugi absolute interdiceretur novum matrimonium, cc. 1., 2. et 8. h. t. ita tamen ut si contraherent, matrimonium teneret. Verum hoc impedimentum impediens tum in jure, tum in stylo curiæ in desuetudinem abiit; quare in concessione dispensationis ad petendum debitum nihil jam additur.

9. Tandem hæc fieri potest animadversio. Dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad debitum conjugale petendum, rigorose loquendo poscenda esset a *S. Pœnitentiaria,* si crimen copulæ sit *occultum,* si crimen sit *publicum,* ab Apostolica *Dataria.* Attamen providere solet *S. Pœnitentiaria* etiam in casibus impedimenti publici. In facultatibus *quinquennalibus* a S. Pœnitentiaria concedi solitis invenitur etiam hæc sub n. X. »Dispensandi cum Incestuoso sive Incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ Uxoris seu respective Mariti: remota occasione peccandi et injuncta gravi pœnitentia salutari et Confessione Sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio Dispensantis statuendum«. Ceterum ab incurrenda hac pœna excusat ignorantia facti, juris, probaliter etiam pœnæ.

Titulus XIV.

De consanguinitate et affinitate.

I. De consanguinitate.

1. Consanguinitas in jure nostro cum aliqua differentia accipitur ac sumitur a jure civili. Nam jure *civili* e. gr. in l. 4. ff. *Unde cognati,* consanguinitas potius complectitur cognatos, idest masculos descendentes ex masculis, necnon fœminas quæ per masculos nobis conjunguntur vinculo sanguinis. — Jus *canonicum* sub nomine consanguinitatis complectitur cognationem, quæ ex *quacumque com-*

participatione sanguinis, sive per masculum sive per fœminam derivat.

2. Consanguinitas ergo definiri potest: a) in sensu *latiore:* Vinculum communis sanguinis. In hoc sensu omnes homines, uti sunt ejusdem humanæ naturæ, sic consanguinei sunt; b) in sensu *strictiore: Vinculum communis sanguinis quod efficitur generatione, intra certos limites.* Qui limites constituuntur aut a Deo aut ab una vel altera Societate suprema: ab Ecclesia vel a Potestate civili (cfr. tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 106. pag. 36. et sqq.).

In consanguinitate considerantur *Linea, gradus, stipes.*

3. *Stipes* est persona, sive masculus sive fœmina, a qua velut a proximiore principio communi descendunt personæ de quarum consanguinitate quæritur.

4. *Gradus* est distantia unius personæ ab alia in ordine ad consanguinitatem. — *Linea* est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes.

Linea alia est *recta*, alia *obliqua* seu *transversalis.* Linea recta est successio personarum, quarum una ab altera descendit, idest quarum unaquæque est genita relate ad personam immediate superiorem, est vero generans quoad personam immediate inferiorem.

5. Hæc vero linea dicitur *descendentalis*, vel *ascendentalis*, prout considerentur personæ a Titio descendentes, ex. gr. filius, nepos, pronepos, abnepos etc.; vel considerentur personæ Titio superiores, nempe ejus pater, avus, proavus, abavus etc.

6. *Obliqua* linea continet personas, quæ consanguineæ solummodo sunt quia ab eodem stipite vel mediate vel immediate derivant. Ex. gr. duo fratres, duo nepotes, pronepotes etc. Hæc vero linea obliqua dicitur vel *æqualis* vel *inæqualis*, prout personæ consanguineæ æqualiter vel inæqualiter distant a communi stipite.

7. Quoniam consanguinitas æstimanda est pro diversa distantia a stipite ex quo ortum habet, hinc quæritur quomodo *computetur* hæc distantia, idest quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. In linea *recta* Jus Canonicum sequitur Jus Civile, et statuit: *'tot gradus, quot generationes'.* Unde *'tot gradus quot personæ, dempto stipite.'* Quare filius a patre suo uno gradu distat, nepos ab avo duplici distat gradu.

8. In linea autem collaterali Jus Canonicum non recipit civilem computationem. Nam Jus Civile etiam in hac linea conside-

ravit generationes, et tot gradus distinxit quot sunt generationes. Hinc duo *fratres* sunt in *secundo* gradu, duo *consobrini* in *quarto*, quia in primo casu binæ intervenerunt generationes, quatuor autem in secundo casu.

Jus autem Canonicum*) considerat solummodo unam lineam, et si lineæ non sint æquales, considerat longiorem. Hinc regula est: In linea *collaterali* seu *obliqua tot sunt gradus, quot sunt personæ in linea longiore* dempto stipite, idest duo collaterales in linea *æquali* tot gradibus distant inter se, quot gradibus alteruter distat a communi stipite. In linea vero inæquali tot gradibus personæ distant inter se, quot *remotior* distat a stipite. Quare frater et soror sunt in primo gradu lineæ collateralis æqualis; consobrinus et consobrina in secundo; patruus et neptis pariter sunt in secundo gradu lineæ obliquæ inæqualis, quia neptis duobus gradibus distat ab avo, qui est stipes communis.

9. Quæritur *quomodo consanguinitas matrimonium dirimat.*

Consanguinitas in linea *recta* matrimonium dirimit in infinitum, quia reverentia parentibus debita impedit quominus matrimonium consistere possit; et quidem si de *primo* gradu sermo sit, matrimonium dirimit non solum ex jure Ecclesiastico et Civili, sed etiam ex ipso jure naturali. Idem dic, saltem probabiliter, in *ceteris* gradibus lineæ rectæ. Nam ratio principii præsertim proximi naturalem instinctum inducit, ob quem personæ alio vinculo amoris naturaliter colligatæ, conjugalem amorem fovere nequeunt honeste.

10. Quod si sermo sit de linea *collaterali*, jure antiquo matrimonium dirimebatur inter consanguineos usque ad *septimum* gradum

*) Computationem juris canonici in linea collaterali vocant nonnulli *Teutonicam* sive *Germanicam*, „quia Ecclesia a Germanis, relicta Romana, illam receperit usque ab antiquissimis temporibus", *Gasparri* l. c. I. n. 665. At hæc assertio saltem valde dubia est: nam 1. hereditarium jus producebat apud Germanos ordinem numerandi gradus proprium, ita ut duo circa testatorem vel relinquentem hereditatem construerentur orbes cognatorum: unus omnium in 1°. gradu cognatorum qui in Germanica computatione omnino non numerabantur; alter omnium remotius cognatorum in masculis usque ad 10., in fœminis usque ad 7. gradum se extendentium. Ratio 2. est, quod computatio *canonica* in Francorum et ceterorum Germanorum regna non introduceretur nisi magnis contentionibus; cfr. *Freisen* c. l. §. 36. pag. 411—439. Videtur Ecclesia excoluisse computationem *propriam*, naturæ matrimonii maxime convenientem, cfr. *Matth.* I. 17.

inclusive, cc. 7. et 17. C. 35. q. 2. et 3. Utrum autem hoc impedimentum, præsertim in 6. et 7. gradu, ubique uti *dirimens* impedimentum observatum sit, non videtur certum. Hæc disciplina Ecclesiæ extendendi impedimenta ad gradus valde remotos, sapiens admodum fuit, habita præsertim ratione temporum. Etenim cum bella intestina vexarent finitimas civitates et oppida, opportunum fuit cogere cives unius oppidi ad nuptias ineundas cum civibus alterius oppidi, ut per matrimonium quod est medium dilatandi charitatem, et conciliandi unionem familiarum, pax inter populos foveretur.

Verum tractu temporis cognitum est, non amplius absque præjudicio animarum posse exigi observantiam præfatæ disciplinæ. Quare jus antiquum correctum est ab *Innocentio III.* in Concilio *Lateranensi IV.,* cujus dispositio legitur in c. 8. h. t.

In hoc decreto Concilii statutum est, impedimentum consanguinitatis coarctatum esse ad *quartum* gradum inclusive, ita ut ultra quartum gradum possit matrimonium valide et licite contrahi. E. gr. si vir quidam in 5. gradu distat a communi stipite, dum mulier in 5., 4., 3. vel 2. gradu distat, et viceversa, impedimentum non subsistit, quia remotior gradus attenditur, c. 9. h. t. Nec obstat c. 3. h. t.; nam hic agitur de dispensatione concessa quæ stricte de linea collaterali *æquali* interpretanda est.

Præter rationem principalem, sc. »gravis dispendii animarum«; Concilium et aliam adducit deductam ex *quatuor humoribus corporis humani.*

Hæc autem secunda ratio quæ potius est *exornativa* quam formalis, pluribus visa est ridicula, et in dedecus legislationis Ecclesiasticæ verti solet. Nos vero arbitramur optime posse decretum Lateranense a quavis ignorantiæ et levitatis nota ex hac parte purgari.

Et 1⁰. quidem animadvertimus, c. 8. h. t. non exhibere rescriptum Pontificis *cappellani* alicujus manu exaratum, bene vero referre decretum solemne Concilii Generalis sub sapientissimo Pontifice *Innocentio III.* celebrati. Unde macula ignorantiæ et levitatis tam facile admitti non potest.

2⁰. Eo tempore hæc de quatuor humoribus corporis humani theoria recepta erat inter physicos Doctores,*) et invocari potuit

*) Cfr. c. 8. *De celebratione missarum* (III. 41) ubi idem *Innocentius* hanc theoriam fusius exponit: „Ad compositionem humani corporis quattuor elementa

a Patribus Concilii, ut fideles facilius reciperent decretum Conciliare, quod videbant communi de corporis humani elementis theoriæ consentaneum. Opportunum autem est leges disciplinares coordinare cum notionibus et principiis communiter receptis.

Nostris temporibus, præsertim occasione Concilii *Vaticani* non deerant tentamina restringendi consanguinitatem ad *duos* gradus id quod probare ac commendare minime possumus saltem respectu tollendi 3. gradum ex rationibus mox afferendis.

11. Quæritur *quo jure dirimat matrimonium consanguinitas inter collaterales.*

Profecto si sermo sit de secundo, tertio et quarto gradu cognationis carnalis, impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimit jure *Ecclesiastico* quod tamen fulcitur impulsu juris naturalis, c. 8. *De divortiis* (IV. 19), c. 5. sess. 24. *De ref. matr.* in Trident.

12. Certum vero esse videtur, in primo gradu matrimonium non dirimi ex solo jure Ecclesiastico. Nam 1°. omnes fere gentes abhorruerunt a matrimonio inter fratrem et sororem. Si quis autem populus hoc conjugium admisit, ceu populus *barbarus* fuit reprehensus. Hinc 2°. Pontifex in c. 8. *de divortiis* (IV. 19), decrevit infideles conversos ad fidem non esse separandos, si in secundo vel ulterioribus gradibus consanguinitatis conjuncti matrimonium contraxerint; rationemque addit, quia infideles non ligantur legibus Ecclesiæ. A sensu ergo contrario capitis infertur esse separandos infideles conversos ad fidem, si matrimonium contraxerint in primo gradu consanguinitatis, quia impedimento ligantur quod est infidelibus commune, idest quod non procedit ex mera lege Ecclesiastica, quæ infideles non obligat. 3°. Rem confirmat *factum negativum in Ecclesia,* quæ numquam dispensavit in impedimento primi gradus consanguinitatis lineæ transversalis. Hinc Concilium Tridentinum in cit. c. 5. dum loquitur de dispensatione in impedimento consanguinitatis, quæ ab Ecclesia concedi potest, absolute incipit a *secundo* gradu; item decretum S. C. Inquisitionis d. 20. Febr. 1888. quod confert Ordinariis facultatem in omnibus impedimentis juris ecclesiastici dirimentibus dispensandi, excipit expresse s. presbyteratus ordinem necnon affinitatem ex copula

---

concurrunt, videlicet: terra, aqua, aër, et ignis: et ad vegetationem ejusdem corporis *quattuor humores* illis consimiles conveniunt, videlicet sanguis, cholera, phlegma, et melancholia;" eandem theoriam habet *S. Thomas* in IV. D. 40. q. 1. art. 4. in corp.

licita in linea recta, nihil commemorans de consanguinitate in I°. gradu collaterali æquali quæ necessario commemoranda erat, si ad impedimenta juris ecclesiastici pertineret. Ergo impedimentum hujusmodi non est solum juri Ecclesiastico tribuendum, sed est impedimentum juris superioris.

13. Et quidem juxta plures cum *Sanchez,* impedimentum hoc est *juris naturæ;* juxta alios est juris *positivo-divini.* Et quidem videtur esse juris positivo-divini quia ab ipso mundi initio necesse fuit ut matrimonium contraheretur inter fratrem et sororem. Factum igitur ipsum naturalis propagationis humani generis regit hoc matrimonium. Ergo jus naturæ illud non interdicit, secus enim eadem lex statim ab initio suspendi, aut dispensari debuisset. Quæ suspensio vel dispensatio divina non bene componitur cum lege naturali propriedicta, quæ cum rerum essentiis innitatur, est immutabilis. Quare potius dicendum est, impedimentum de quo agitur, procedere ex jure positivo-divino primo homini intimato, cujus vis et obligatio incipere debebat ab Adæ nepotibus, post sublatam rationem contrariam primæ propagationis generis humani.

Salva Auctoris h. l. reverentia nobis unice placet sententia *Sanchezii,* quam supra jam innuimus in tit. *De sponsa duorum* (IV. 4) n. 8. pag. 168—169. Non agitur hic de lege naturali *physica,* nam procreatio liberorum ex fratre et sorore non est impossibilis, sed agitur de lege naturæ *morali* quæ conjunctiones ejusmodi toto conatu destruere intendit nisi alia lex superior admittit. Hæc lex superior est Dei consilium ut »ex uno omne genus hominum inhabitaret super universam faciem terræ« *(Act.* XVII. 26). Ceterum de lege positivo-divina nihil continetur neque in S. Scriptura neque in Traditione.

Ecclesia sane optime meruit de humano genere constituendo hoc impedimentum consanguinitatis atque extendendo illud ad ulteriores gradus. *S. Thomas* in *Summa theologica* II II^{æ} q. 154. a. 9. in corpore tres profert rationes: 1^{a}. Amor concupiscentiæ carnalis ex se destruit amorem pietatis et ex iis qui natura sunt inæquales ita ut aliis reverentia sit exhibenda, reddit æquales; 2^{a}. amor concupiscentiæ carnalis inter proxime conjunctos patefacit amplissimum luxuriæ introitum; nam necessitas simul conversandi admovet periculum carnalis commixtionis, et »sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam«; 3^{a}. amor concupiscentiæ carnalis inter proxime conjunctos impedit dilatationem caritatis inter

multos et dissitos, uti exponit *S. Augustinus* in 15. l. *De civitate Dei* cp. 16. — Hisce rationibus adjungi potest 4ª. quam et *Aristoteles* et *Innocentius III.* innuit, sc. ratio *physica.* Pestiferas sequelas matrimoniorum inter consanguineos observare potes analogice in plantis ac bestiis. Non raro talia matrimonia egent prole, interdum proles quidem nascitur, at ægrotans ac deficiens corpore et animo. Jam priscis temporibus notæ erant sequelæ ejusmodi matrimoniorum destructivæ.

Bene *S. Gregorius* scribit in c. 20. C. 35. qq. 2. et 3.: »Experimento didicimus ex tali conjugio (sc. consobrinorum) sobolem non posse succrescere«; nam etsi soboles nascitur, mox ad perniciem vergit præsertim quando talia matrimonia inter consobrinos cumulantur. — *Benedictus Levita:* III. 179, contendit ex matrimoniis consobrinorum nasci liberos cæcos, claudos, gibbos et lippos sive alios turpibus maculis aspersos (apud *Freisen* c. l. pag. 373.).*)

*) Bene exprimuntur sequelæ sæpe dictæ in proverbio Germanico: „Heirat in's Blut — Thut selten gut: — Sterben, verderben — Keine Erben". (i. e. Matrimonia inter consanguineos raro proficiunt; unde venit proles aut nulla, aut morti vel aliis miseriis obnoxia.) Hanc propositionem facile concedunt et adversarii Ecclesiæ, e. gr. *Devay François:* Du danger des mariages consanguins au point de vue sanitaire. Paris et Lyon 1857. in 8°. pag. 39 et sqq. — *Alfred Henry Huth:* The mariage of Near Kin, considered with respect to the laws of nations, the results of experience, and the teachings of biology. London 1875. in 8°. *Studien über die Volksseele,* auctore Eduardo *Reich,* 2. ed. Jena. 1879. §. 111. pag. 101. Ultimus auctor pravas sequelas adscribit matrimoniis consanguineorum malis jam infectorum et aliquatenus recte in quantum sc. validi non tam facile exhauriuntur. Operæ pretium est sequelas sæpedictas numeris illustrare. Commissio medicorum *Americæ Septentrionalis* publicarunt hanc statisticam:

Gradus consanguinitatis	Numerus matrimoniorum	Numerus liberorum	Liberi validi	Liberi ægroti vel monstrosi	Inter 100 liberos ægroti vel deformes
Consobrini					
Lin. Collat. æq. 3. gr.	13	71	42	29	40,8
„ 2. gr.	120	626	360	266	42,5
„ 1. gr.	630	2911	955	1956	67,2
Oriundi ex					
cons. lin. coll. æq. 2. gr.	61	187	64	123	65,2
Consanguinei					
lin. coll. inæq. 1. gr.	12	53	10	43	81,1
Dupliciter					
consanguinei lin. coll. æq.					
in 2. gr.	27	154	21	133	96,4

14. *Nomina consanguineorum:* A. In linea recta; B. in linea collaterali. —

A. In linea *recta:* 1. *Ascendentes:* I. gr.: pater, mater; II. gr.: avus, avia; III. gr.: proavus, proavia; IV. gr. abavus, abavia. —

2. *Descendentes:* I. gr.: filius, filia; II. gr. nepos, neptis; III. gr.: pronepos, proneptis; IV. gr.; abnepos, abneptis. —

B. In linea *collaterali:* 1. *æquali:* a) ex *patre:* I. gr.: frater, soror; II. gr.: patrueles, amitini (æ); III. gr.: patrueles magni (æ), amitini (æ) magni (æ); IV. gr.: propatrueles, proamitini (æ); — b) ex *matre.* I. gr.: frater, soror; II. gr.: consobrini (æ), III. gr.: consobrini (æ) magni (æ); IV. gr.: proconsobrini (æ). —

B. In lin. coll. 2. *inæquali*: a) ex *patre:* I. gr.: patruus (= patris frater), amita (= patris soror); II. gr.: patruus magnus (= avi frater), amita magna (= avi soror); III. gr.: propatruus (= proavi frater), proamita (= proavi soror); — b) ex *matre:* I. gr.: avunculus (= matris frater), matertera (= matris soror); II. gr.: avunculus magnus (= aviæ frater); matertera magna (= aviæ soror); III. gr.: proavunculus (= proaviæ frater), promatertera (= proaviæ soror).

Fratres et sorores vocantur *germani* quando ex iisdem genitoribus, *consanguinei* quando ex eodem patre tantum, *uterini* quando ex eadem matre tantum sunt orti. — Quando liberi quos maritus ex alia femina, cum liberis uxoris quos ex alio viro peperit, uniuntur, utrosque liberos non fieri consanguineos per se patet; eosdem ne affines quidem fieri videbimus.

15. *Multiplicitas consanguinitatis.* Duplex vel multiplex consanguinitas oritur ex eo quod alterutra vel utraque persona nupturiens duplici vel multiplici via ascendat ad *unam* vel *duplicem* stipitem communem. Quod evenire potest sive dispensatione indiguerint ascendentes sive non. *Tres* præcipue sunt casus:

Morbi qui ex talibus matrimoniis nascuntur, esse solent: deformationes (monstruositas), morbi cerebrales et neurosi, e. gr. epilepsia, liberi generantur surdomuti vel laborantes oculis (inflammatio retinæ punctata = getigerte Netzhautentzündung: inflammatio nervi optici = Entzündung des Sehnerves); cfr. Jahrbuch der Naturwissenschaften 1885—1886 pag. 468. — Numerus liberorum surdomutorum in Bavaria altero tanto major est apud Protestantes quam apud Catholicos (relative). Apud *Sinenses* ubi matrimonia inter consanguineos sunt rarissimi, etiam surdomuti sunt rari, apud Nigros inter quinquagenos invenitur jam homo surdomutus; nam matrimonia talia sunt frequentia. Cfr. etiam *Gasparri:* c. l. n. 673. not. 1.)

I. Ex ascendentibus usque ad IV. gradum quidam matrimonium inierunt cum dispensatione. Exemplum:

Antonius — Maria, stipes communis.
a quibus sunt geniti:

1. Thomas	1. Gertrudis	1. Elisabeth.
2. Franciscus orator	2. Agatha	2. Cornelius.
	3. Agnes 3. oratrix	

Oratores sunt consanguinei in lin. coll. inæquali in *duplici* 3. gradu tangente 2^{um}. — Ex dictis facile dissolvitur quæstio, quotuplici impedimento ligentur consanguinei lin. coll. æq. 2. gr., quorum avus et avia item eadem consanguinitate ligati erant. Etenim sunt consanguinei simpliciter in lin. coll. æq. 2. gr. et dupliciter in lin. coll. æq. 4. gr. quæ duplicitas in supplici libello exprimi debet.

Jakobus — Anna, stipes communis
a quibus sunt geniti:

Eva	1. Franciscus	1. Maria Robertus
	2. Edmundus	2. Walburga

a quibus sunt geniti:

Emma	1. 3. Adolphus 3.	1. 3. Cæcilia 3. Fridericus
	2. 4. Carolus 4. orator	2. 4. Agnes 4. oratrix.

Hanc graduum expositionem suam facit S. C. Inq. d. 11. Martii 1896. Exposuerat enim Episcopus *Cenomanensis* sequentis dubii solutionem:

»In casu stipitis intermedii (secundi gradus) ex duobus inter se iterum (in secundo gradu) consanguineis constituti, utrum unicum exsistat et declarari debeat in libello supplici dispensationis, impedimentum consanguinitatis, videlicet illud solum quod ex hoc proximiori stipite intermedio procedit; an insuper duo alia habeantur et declaranda sint impedimenta, provenientia ab remotiori stipite communi (quarti gradus) per lineas in stipite intermedio conjunctas. Feria IV. die 11. martii 1896«. S. C. Inq. respondit: *Negative ad primum, affirmative ad secundum.* S. P. d. 12. Martii 1896 hoc responsum approbavit.

II. Consanguinei unius stipitis in matrimonium duxerunt consanguineos alterius stipitis (absque dispensatione), e. gr. duo fratres unius familiæ duas sorores alterius familiæ. Exemplum:

Rovers, stipes communis	*Aart,* stipes communis
1. Thomas R. 1. Antonius R.	1. Lucia A. 1. Cornelia A.
2. Bernhardus R. 2.	2. Philippus R. 2.
3. Genovefa R. 3. oratrix	3. Sebastianus R. 3. orator

Est enim in Sebastiano sanguis familiæ R. et A. (3. gr.), in Genovefa item sanguis utriusque familiæ (3. gr.)

III. Persona unius stipitis in matrimonium successive ducit duas personas alterius stipitis (cum dispensatione); e. gr. vir duas sorores. Exemplum:

Hall Georgius, st. c.	Sorg, st. c.
	1. Barbara S. 1. Lioba S.
1. Ferdinandus H. 2.	1. Rosa H. 2.
2. Zeno H. 3. orator	2. Gertrudis H. 3.
	3. Balbina R. 4. oratrix

Zeno consanguineus est Balbinæ ex uno stipite in 3. gr. tangente 2^{um}. et ex altero stipite in 4. gr. tangente 3^{um}.

Consanguinitatem duplicem vel multiplicem combinatione horum trium multiplicationis generum adhuc multiplicari posse per se patet. Cfr. *Van de Burgt:* l. c. pag. 15.

II. De affinitate.

16. Affinitas definitur '*Propinquitas personarum ex carnali copula, eaque perfecta et consummata proveniens.*'

Quid significet copula *perfecta,* deinde quando adsit *licita* vel *illicita,* jam supra vidimus in tit. *De eo* (IV. 13) n. 3. et n. 5 Hic loquimur tantum de affinitate *licita.*

Affinitas ergo consistit in *propinquitate inter virum et consanguineos mulieris cognitæ, et inter mulierem cognitam et consanguineos viri.* Unde affinitas non est inter ipsum virum et mulierem, inter quos intercessit copula carnalis, sed ipsi quodammodo sunt ad invicem *origo affinitatis* relate ad mutuos consanguineos.

17. In affinitate autem distinguuntur *lineæ* et *gradus*, imitantes lineas et gradus consanguinitatis. Videlicet consanguinei in linea recta viri sunt affines mulieri in linea recta, et viceversa: consanguinei autem viri in linea obliqua sunt affines mulieri in linea collaterali seu obliqua, et viceversa consanguinei mulieris in linea obliqua sunt affines viro in linea obliqua. Pariter consanguinei viri sunt affines mulieri in eo gradu, in quo cum viro conjunguntur vinculo consanguinitatis, et viceversa consanguinei mulieris ipsius. Quare filia et mater mulieris sunt affines viro in primo gradu lineæ rectæ: soror mulieris est affinis viro in primo gradu lineæ obliquæ.

18. Jure antiquo ante Concilium *Lateranense IV. triplex genus affinitatis* distinguebatur. I^{um}. genus affinitatis erat illud idem, quod exposuimus inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. — II^{um}. genus efformabatur ex affinibus in primo genere, ita ut viro essent affines in secundo genere, qui erant affines mulieri in primo genere affinitatis, et viceversa. Scilicet si vir matrimonium contraxisset cum vidua, personæ, quæ erant affines viduæ ex primo matrimonio, affines erant viro in secundo genere affinitatis. — III^{um}. genus affinitatis constituebatur ex personis jam affinibus mulieri in secundo, quæ fiebant affines viro in tertio genere affinitatis, et viceversa. Ex. gr. supponamus primum virum viduæ, et ipsum fuisse viduum ex præmortua uxore sua, consanguinei hujus primæ uxoris erant affines in primo genere primo viro, erant affines in secundo genere novæ uxori, erant affines in tertio genere ultimo viro.

19. En exemplum. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Berta. Consanguinei Bertæ fiunt affines in primo genere Titio. Demoritur Berta. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Seja. Consanguinei Bertæ, qui erant affines Titio in primo genere, jure antiquo fiebant affines Sejæ in secundo genere. Demoritur Titius. Seja contrahit et consummat matrimonium cum Sempronio. Consanguinei Bertæ qui erant affines in secundo genere

cum Seja, fiebant affines in tertio genere Sempronio. Quare invaluerat adagium juridicum 'affinitas gignit affinitatem'.

20. Pariter affinitas jure antiquo etiam oriebatur inter liberos mulieris ex viro præmortuo habitos, et liberos viri habitos ex muliere præmortua; cui innuitur c. 5. h. t. Unde pater et filius non poterant ducere in uxorem matrem et filiam. Insuper nec duo fratres poterant ducere duas sorores. Verum *Lateranen.* Concilium *IV.* in cc. 5. et 8. h. t. omnes sustulit affinitates, et solummodo reliquit primum genus affinitatis, eam nempe quæ est inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Unde sublata est antiqua regula, et contraria regula fuit eidem substituta, nempe 'affinitas non parit affinitatem'.

21. Sæculo elapso agitata est quæstio, utrum licite et valide possit consistere matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Pro sententia negativa adducebatur l. 15. ff. *De ritu Nuptiarum,* in qua expresse traditur vitricum non posse matrimonium contrahere cum uxore privigni sui; nec non afferebatur l. 4. §. 7. ff. *De gradibus affin.* At contra adductum est c. 8. h. t. in quo sublatum est secundum et tertium genus affinitatis. Jam vero in casu revera agitur de secundo genere affinitatis. Nam uxor privigni est affinis in primo genere matri privigni ipsius, et proinde est affinis vitrico in secundo genere affinitatis.

Hisce perpensis d. 8. Martii 1721 a S. C. responsum est, non posse impediri matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Conferri potest *Benedictus XIV.* in *Syn.* l. 9. c. 13. nn. 3. et 4.

22. Quæritur quoadusque sese protendat impedimentum affinitatis ex copula licita.

Ante Concilium *Lateran. IV.* affinitas dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum. At *Innocentius III.* in eodem Conc. restrinxit hujusmodi impedimentum usque ad *quartum* gradum inclusive; c. 8. h. t. Et hæc dispositio adhuc viget. Licet enim Trid. in c. 4. sess. 24. *De reform. matrim.* correxerit jus antiquum, quoad affinitatem ex copula *illicita,* et coarctaverit impedimentum inde exortum ad *secundum* gradum, tamen relate ad affinitatem ex copula honesta jus antiquum in sua integritate reliquit.

23. Quo posito quæritur: 'An copula habita per consummationem matrimonii quod civile dicitur, dirimat usque ad quartum

gradum, vel potius solummodo usque ad secundum?' Arbitramur, *solummodo usque ad secundum gradum.* Ratio dubitandi ex adverso allata hæc est, quia contractus civilis habet formam conjugii, licet invalidi, unde copula exinde habita non est confundenda cum copula fornicaria de qua loquitur Concilium Trident. in sess. 24. *De Reform. Matrim.* c. 4. *De Angelis,* L. 4. t. XIII°. n. 5°.

24. Verum hæc ratio nobis non arridet. Nam postquam Ecclesia explicite declaravit, per contractum civilem induci turpem et exitialem *concubinatum* (Allocutio Consistorialis d. 27. Sept. 1852. Instructio S. Pœnitentiariæ. d. 15. Januarii 1866), nemo unquam dicere poterit copulam carnalem, quæ in matrimonio civili habetur referre aliquo modo formam seu figuram copulæ honestæ. et non esse potius vere fornicariam. Igitur cum copula hujusmodi sit vere et proprie fornicaria, affinitas, quæ inde exsurgit, dici debet affinitas ex copula illicita, adeoque ea matrimonium dirimit usque ad secundum gradum.

Quæ sententia Auctoris confirmata videtur responso S. C. C. d. 7. Apr. 1879. supra relato, quod statuit »matrimonium civile« non inducere impedimentum publicæ honestatis. Nam affinitas ex copula licita et publica honestas ex matrimonio non consummato pari passu procedunt.

25. Quæritur *quo jure affinitas dirimat matrimonium.*

In c. 18. *Levitici* plures gradus affinitatis exhibentur, in quibus interdictum est matrimonium. Verum Synodus Tridentina in c. 3. sess. 24. *De ref. matr.* condemnavit eos, qui dicebant Ecclesiam non posse dispensare in aliquo ex impedimentis consanguinitatis et affinitatis in Levitico descriptis. Quare Ecclesia nonnulla impedimenta ex affinitate orta suæ potestati subjecta esse censuit, adeoque censuit esse juris Ecclesiastici.

28. Et revera si sermo sit de affinitate ex linea *obliqua,* certi esse possumus, impedimentum inde ortum etiam in primo gradu esse juris Ecclesiastici. Nam Ecclesia sæpe dispensavit. Pariter animadverti potest legem Mosaicam jussisse fratrem sibi assumere uxorem fratris præmortui, ejusque semen excitare. Quod præceptum non posset conciliari cum lege naturæ contraria, vel cum lege divino-positiva, quæ universum humanum genus obligaret.

27. Quæstio, quæ agitur maxime inter Doctores, respicit affinitatem in primo gradu lineæ rectæ. Quærunt scilicet Doctores,

quo jure nullum sit matrimonium inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum.

Nonnulli Doctores cum *Sanchez* in tract. *De matrimonio* l. 7. disp. 66. tenent matrimonium hoc dirimi ex solo jure *Ecclesiastico.* Alii autem docent dirimi ex jure naturali et divino.

Ratio horum Doctorum triplex est: 1°. quia gentes instinctu naturali talia conjugia reprobarunt. Hinc *Paulus* in 1. *Cor.* V. 1. dicere non dubitavit: 'Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat'.

2°. Quia in jure privignus vel privigna, relate ad novercam vel vitricum habentur in loco *filiorum* c. 15. C. 35. q. 3.

28. 3°. Quia Ecclesia in primo gradu affinitatis *licitæ* lineæ rectæ nunquam dispensavit.

29. Prima autem sententia suo non caret fundamento. Et sane affinitas originem habet ex copula. En origo juridica impedimenti. Hæc origo communis est tum affinitati ex copula licita, tum affinitati ex copula illicita. Ergo vis intrinseca et juridica utriusque eadem est. Et si quæ est modificatio et limitatio unius præ alia, hæc procedit ex dispositione positiva Ecclesiæ, quæ respectum habet ad honestos mores et familiarum decus. Atqui Ecclesia *dispensavit* et *dispensare solet* in primo gradu lineæ rectæ affinitatis ex copula *illicita.* Ergo Ecclesia potest rigore juris dispensare in primo gradu affinitatis etiam ex copula licita.

30. At cur non fecit? — Quia ratio decentiæ et publicæ opinionis non consuluit. At aliud est quod non expediat aliquid facere, aliud est quod non habeatur jus ad aliquid faciendum. Quare S. Sedes quando negat dispensationem ab impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ ex copula licita, hanc formulam habet: 'Ecclesia super hoc impedimento non dispensat', non autem dicit non posse dispensare, aut alia hujusmodi.

31. Neque contrarium probat relatio intercedens inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum, nam relatio hæc est *fictitia et legalis,* non autem naturæ. Sane non raro inter istas personas non excitatur amor paternus, vel maternus, et relativus amor et veneratio filialis, præsertim quando filii vel filiæ non jam sub potestate parentum commorantur.

32. Quoad vero gentium mores, quibus conjugium de quo agitur reprobatur, animadvertunt exinde solummodo probari quam-

dam *indecentium*, non autem veram repugnantiam conjugii cum stricto jure naturæ.

33. Relate autem ad textum Paulinum animadvertunt, Paulum indignatione exarsisse, quia privignus uxorem patris sui *adhuc viventis*, tamquam suam retinebat. Quod inferunt ex 2. *Cor.* VII. 12; ubi Paulus alludens ad incestuosum Corinthium, meminit de injuria, quæ certe nonnisi patri viventi proprie irrogari poterat.

Hæc 2ª sententia nunc *certa* est ex decreto S. C. Inq. d. 20. Febr. 1888, ubi dicitur: »Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia qua locorum Ordinarii dispensare valeant . . . . super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure *ecclesiastico* dirimentibus, excepto s. presbyteratus Ordine, et *affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente*«. Ex hisce verbis deducitur evidenter impedimentum hoc affinitatis esse juris mere *ecclesiastici;* nam non excipitur quod non continetur — a fortiori; etenim præter dictam affinitatem excipitur impedimentum Ordinis presbyteratus quod certe est juris mere ecclesiastici; cfr. dicta superius in tit. *Qui clerici* (IV. 6) n. 6. pag. 202.

34. *Nomina affinium.* Affinitas potest oriri: I. ex copula perfecta *descendentium*, e. gr. filii, nepotis, vel II. ex copula perfecta *ascendentium*, e. gr. patris, matris. In utroque casu habemus lineam *rectam ascendentalem* et *descendentalem* et lineam *obliquam*. Quare

A. 1°. Nomina affinium ex copula perfecta *descendentium* in linea recta *ascendentali:* I. gr.: socer (= pater mariti vel uxoris), socrus (= mater mariti vel uxoris); II. gr.: prosocer (= avus mariti vel uxoris), prosocrus (= avia mariti vel uxoris); III. gr.: absocer (= proavus mariti vel uxoris); absocrus (= proavia mariti vel uxoris).

A. 2°. Nomina affinium ex copula perfecta *descendentium* in linea recta descendentali: I. gr.: gener (= maritus filiæ), nurus (= uxor filii); II. gr.: progener (= maritus neptis), pronurus (= uxor nepotis).

B. 1°. Nomina affinium ex copula perfecta *ascendentium* in linea recta *ascendentali*. I. g.: vitricus (= maritus matris), noverca (= uxor patris); II. gr.: provitricus (= maritus aviæ), pronoverca (= uxor avi); II°. *descendentali:* I. gr.: privignus (filius mariti vel uxoris), privigna (filia mariti vel uxoris).

C. *Linea obliqua:* I. gr. levir (frater mariti vel uxoris), glos (soror mariti vel uxoris); fratria (uxor fratris), sororius (maritus sororis). Ceteri vocantur generali nomine affines in tali vel tali gradu.

35. *Regula et multiplicatio affinitatis.*

Regula generalis hæc est: *In quo quis gradu est consanguineus viro cognoscenti, in eodem est affinis mulier cognitæ et viceversa.*

Affinitas duplicatur vel multiplicatur hisce 4 modis et quidem I. ex copula cum *duabus vel pluribus* personis; II. ex copula cum *una* persona. —

I. Ex copula cum duabus vel pluribus personis: 1) Quando vir rem habuit cum duabus vel pluribus feminis in gradu (usque 4^{um}. vel 2^{um}.) prohibito consanguineis mulieri ducendæ et viceversa; e. gr. vir successive uxores duxit: Annam in 2., deinde Catharinam in 3. gr. consanguineam Berthæ, quacum nunc contrahere vult. At si vir non matrimonia contraxerat, sed fornicatus tantum erat cum dictis mulieribus, affinitas cum Catharina, quippe quæ in 3^{0}. gr., non attenditur.

2) Item, quando orator rem habeat cum consanguinea oratricis (usque ad 4^{um}. vel 2^{um}. gr.) simulque oratrix cognita fuit a consanguineo oratoris (in iisdem gradibus). E. gr. Antonius orator carnaliter cognovit Barbaram, sororem Margaritæ oratricis, quæ et ipsa matrimonio juncta erat Bernhardo, oratoris consanguineo in 3^{0}. gr.

II. Ex copula cum *una* persona: 1) Multiplex affinitas adest quando orator rem habuit cum persona quæ oratrici *dupliciter* vel *multipliciter* est *consanguinea* et viceversa. E. gr. Philippus orator matrimonio ligatus erat cum Agnete, consanguinea Teresiæ oratrici in 3. et in 2. gr. lin. coll. æqualis; affinis enim est Philippus Teresiæ in 3. et in 2. gr. lin. coll. æq.

2) Duplex affinitas adest quando vir copulam perfectam habuit prius *illicitam,* sc. ante matrimonium, postea *licitam* cum consanguinea in 2. vel 1. gradu cum consanguinea mulieris ducendæ, et viceversa. E. gr. Eva post mortem mariti Zachariæ a quo jam ante matrimonium carnaliter fuerat cognita, nubere vult cuidam Stephano, consanguineo Zachariæ in 2. gr. tangente 1^{um}. Nequit contrahi hoc matrimonium absque dispensatione. Attamen in supplici libello *sufficit* ut exprimatur affinitas ex copula *legitima;* nam

decretum *Gregorii XVI.* communicatum Episcopis *Belgii* d. 29. Martii 1842 in epistola Cardinalis *Castracane* statuitur, ut in dispensationibus matrimonialibus super I°. aut II°. gradu affinitatis ex licita conjunctione provenientis, necessarium deinde non sit explicare, si ante præcedens matrimonium ab oratore vel oratrice cum defuncto conjuge initum et consummatum, alia inter ipsos *illicita* copula intercessisset.« In eadem epistola data est etiam sanatio pro præterito. Hanc declarationem non solum pro *Belgio* valere, sed etiam pro aliis regionibus eruitur ex responso Apostolico ad Archiepiscopum *Ultrajecten.* d. 9. Sept. 1855. quo pro casu æquali dabatur facultas dispensandi super affinitate *licita;* quoad affinitatem ex copula *fornicaria* Archiepiscopus remittebatur ad declarationem *Gregorii XVI.* his verbis: »*Dentur Lit. Ap. de die 29. Martii 1842*«. Unde patet secundum doctrinam *Benedicti XIV. Inst.* 10. n. 6.: vim decreti *Gregorii XVI.* esse *universalem. Van de Burgt:* tractatus *de dispensationibus matrimonialibus,* ed. 3ª. pag. 21—22 et 136.

Titulus XV.

De frigidis et maleficiatis, et de impotentia coëundi.

1. Agitur in titulo de *impotentiæ impedimento.* Impotentia est *'inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam'.* Copula autem perfecta ea est quæ per effusionem virilis seminis in vas mulieris *de se capax est generationem operandi.*

Dixi 'de se capax est'; non enim requiritur, ut de facto generationem operetur. Siquidem impotentia distinguitur a *sterilitate.* Sterilitas autem habetur, cum, posita etiam copula carnali completa, tamen generatio non efficitur.

Decisiones S. C. Inq. recentes definitionem cl. Auctoris aliquantum mutarunt. *Perfecta* enim copula secundum easdem decisiones S. C. Inq. non solum ea est quæ de se capax est, sed etiam ea quæ de se capax *esset* operandi generationem. Etenim copula inter virum potentem et mulierem cui omnino deest *uterus* vel omnino desunt *duo ovaria,* de se capax non est operandi generationem. At quia vagina in muliere adest et in viro plena potentia et quia copula peragi potest uti inter partes omnino integras, propterea diximus: *perfecta* copula dici debet ex responsionibus S. Officii etiam ea quæ de se capax *esset,* sed in his circumstantiis non

est ex defectibus actionem quidem humanam non tangentibus, generationis tamen possibilitatem omnino excludentibus.

En primum responsum S. C. Inq. d. 3. Febr. 1887. Cum quæreretur »Num mulier per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta ad matrimonium ineundum permitti valeat ac liceat, necne?« S. C. reposuit: »*Re mature diuque perpensa*, matrimonium mulieris de quo *in casu*, *non esse impediendum*«. — Alterum autem responsum datum est d. 23. Julii (30. Julii) 1890. et hic est tenor verborum totius responsi: »Illme Rme Domine. In congregatione feriæ IV. d. 23. currentis mensis discussum fuit dubium ab Amplitudine Tua propositum supplici libello d. 31. Octobris elapsi anni, videlicet: Num mulier (N. N.) cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? Et, re mature perpensa, Emi Domini Cardinales una mecum Inquisitores generales decreverunt: *Matrimonium non esse impediendum.* — Quod dum Amplitudini Tuæ pro *istius curiæ* norma significo, Eidem fausta quæque adprecor a Domino. Amplitudinis Tuæ, Addictissimus in Domino, R. Card. *Monaco.* Romæ, d. 30. Julii 1890. Illmo Domino Episcopo *Regii Æmiliæ*«. Quoad hæc duo responsa notandum est: 1. In utroque casu conceptio omnino impossibilis erat; nam deerat omnino elementum passivum conceptionis: ovulum femineum ex defectu utriusque ovarii. 2. Hic defectus in utroque non dubius erat, sed *manifestus.* 3. Responsum utrumque non erat *generale decretum*, sed decisio casus *particularis*, in terminis modestissimis sc. matr. non esse impediendum, uti ex verbis utriusque responsi, resp. interrogationis patet, neque instructum est ulla approbatione vel confirmatione Summi Pontificis. — Ergo secundum dictas decisiones *perfecta* copula ea quoque est *quæ juxta communiter contingentia est de se capax operandi generationem, licet in casu particulari non sit capax.**)

*) Decisionibus allegatis non videtur contrarium, si rationes pro sententia contraria afferimus. Nam S. C. Inq. hanc quæstionem ex professo minime dissolvit et quando decisio peremptoria a Sede Apostolica prodierit, libentissime et perfectissime eidem adhærebimus. Nostra ergo sententia est: Quoties manifestum est conceptionem absolute fieri non posse, tunc agi non de sterilitate, sed de *impotentia.* Nam principalis et essentialis finis matrimonii est procreatio prolis. Qui finis si omnino excluditur, essentia matrimonii destruitur. Atqui quoties manifestum est conceptionem ideoque procreationem prolis omnino

2. Antequam ad *divisionem* accedamus, rubricam hujus tituli explicemus oportet; inscribitur titulus 15. h. l.: *De frigidis, et*

esse impossibilem, finis matrimonii essentialis excluditur. Ergo essentia matrimonii cadat necesse est. Conceptionem autem vel procreationem prolis, quando deest utrumque ovarium, sive uterus deest sive non, impossibilem omnino esse, apparet. Hæc explicatio si indiget *probatione*, fundatur in doctrina omnium DD. de conditionibus contra substantiam matrimonii appositis, (cfr. supra tit. *De conditionibus* (IV. 5) n. 18. pag. 190, *Gasparri:* c. l. II. nn. 854. 859.) et doctrina *Catechismi Romani* (ed. *Augustæ Vindelicorum* 1762) p. II. cp. VIII. q. 13. qui citatis verbis S. Scripturæ. „Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus: ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris" *(Tob. VI. 22)* sic continuat: „Atque *una hæc* etiam *causa* fuit, cur Deus ab initio matrimonium instituerit: quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum qui matrimonio juncti medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt". — Neque dicas: 1°. Si vir peragit copulam ex parte sua perfectam in vase debito, utraque pars præstat quod humana actione præstari potest. effectus enim hujus actionis non pertinet ad potestatem hominis. Nam verum quidem est omnia præstari quando copula perfecta peragitur in vase debito, at vas mulieris in nostro casu debitum non est. Necessarium enim est ut vas inservire *possit* generationi humanæ; alias non est debitum. Ergo non omnia præstantur quæ vel ab actione vel ab *habilitate* personarum in actu conjugali necessario requiruntur. Etenim actio a principio *passivo* quod est mulier in procreatione prolis, non est requirenda. — Neque dicas 2°: posita copula perfecta in vase mulieris vir et mulier fiunt una caro *(Eph.* V. 31; 1. *Cor.* VI. 16), et matrimonium censetur *consummatum* absque ullo respectu *fœcundationis*. — Respondeo: Matrimonium censetur *consummatum* absque ullo respectu *fœcundationis* si ita intelligas ut fœcundatio non requiratur, *concedo:* ita, ut fœcundatio excludatur, *nego*. Si enim posterius etiam concedis, eunuchi quoque conjunctionem cum muliere matrimonium dicere debes id quod declaratione *Sixti V.* omnino negatur. Deinde explicandum est quomodo vir et mulier fiant una caro. Quæ unio „eo actu perficitur quo semina in vase naturali commiscentur", sic auctor voti in *Salernitana* Matrimonii apud *Gasparri* c. l. n. 515. quibus verbis cl. *Gasparri* adjungit in nota: „Qui semen fœminæ negant, *sanguinem* pro semine dicunt. Nota ejusdem Auctoris". — Ergo vir et mulier una caro fiunt commixtione seminum vel sanguinum utriusque. Sed quomodo *sanguinum* commixtio in tali actu fiat, nobis inexplicabile est. At dato, non concesso, etiam in copula sodomitica imperfecta vel etiam in copula eunuchi *talis* commixtio sanguinum fit. Quoad *seminum* commixtionem de viri quidem semine nihil loquimur, sed quoad semen mulieris jure merito potest quæri, an revera semen muliebre (præter ovulum) exsistat et secretum genitalium voluptate causatum, quod nonnulli semen vocant, elementum necessarium generationis sit. — Si hoc permittimus, cogimur etiam agnoscere validum matrimonium eunuchorum; nam etiam eunuchi copulam peragere possunt cum voluptate completa et cum secreto prostatæ voluptate causato. — Et quid si seminante quidem viro mulier non amplius „seminat" — id quod accidere potest, numquid hoc matrimonium inconsum-

maleficiatis, et de impotentia coëundi. — *Frigidi* vocantur viri qui licet omnibus organis conjunctioni carnali perfectæ inservientibus sint instructi, tamen ad hanc conjunctionem peragendam quasi insensibiles sunt unde et actum perficere nequeunt. Frigidæ possunt esse et mulieres, at earum frigiditas hic non essentialiter influit. — Auctores, uti *Reiffenstuel,* h. t., n. 3. loquuntur etiam de *calido* qui »ob temperamentum nimis calidum semen præpropere emittit ita ut intra vas femineum illud immittere nunquam valeat, quamvis, ut bene advertit *D. Thomas,* l. c. (in 4. Dist. 34. q. un. a. 2. ad 6^{um}.), in corpore, hæc impotentia ex caliditate rarissime et vix unquam contingat«. Plerumque caliditas evanescit usu matrimoniali. — *Impotentia coëundi* significat generale quidem objectum, at fortasse possumus sensum restringere tali modo ut significet impotentiam ex defectu alicujus organi necessarii, e. gr. utriusque testiculi. — *Maleficiati* illi sunt qui influxu diaboli, plerumque mediante aliquo signo externo, e. gr. vestimento, cibo etc., impotentes sunt redditi. Celebre exemplum funesti influxus diaboli in conjugatos præbetur nobis in libro *Tobiæ* VI. 14 sqq., VII. 11 sqq.,

---

matum censendum erit; — sed si fœcundatio locum habuit? Quare etiam adversarii nostræ sententiæ concedunt ad consummationem matrimonii seminationem *mulieris* non requiri; *Gasparri* c. l. n. 1065. — Quando ergo matrimonium secundum *nostram* sententiam consummatum censendum est? Matrimonium tunc censetur consummatum, quando *conjunctio utriusque sexus sic peracta est ut generatio sit possibilis.* — Nostræ sententiæ adhærent: ex medicis Dr. Carl *Capellmann* in sua Pastoral-Medicin. (2. editio Aachen — Aquisgrani 1877. pag. 115. ed. 10. pag. 196.; Dr. E. W. M. *von Olfers:* in sua *Pastoralmedicin.* Freiburg i. Br. 1893. pag. 57.; ex canonistis: *Felinus Sandeus:* Comm. ad c. 8. X. 2. 2. (ed Venet. II. 1601: 37. v.) apud Rudolphum Ritter *von Scherer: Handbuch des Kirchenrechtes* (Manuale Juris Ecclesiastici), vol. II. p. II. Graz und Leipzig. 1898. pag. 272 not. 37., cujus sententiam ipse *von Scherer* vocat *magis consequentem*; — *Sanchez:* in tract. *De s. matrimonii sacramento* l. 2. disp. 21, nn. 2, 5, 10. etc. ubi hoc prædicat principium positivum: „Copula *generationi sufficiens* consummat matrimonium" et *negativum:* „Copula generationi *non sufficiens* non consummat matrimonium". Ergo magister juris matrimonialis in principio totus adhæret nostræ sententiæ, licet in applicatione hujus principii a nobis discrepet eo quod vel elementum passivum in generatione omnino non putaverit necessarium vel in seminatione mulieris posuerit, cum nos elementum hoc passivum essentiale ponamus in exsistentia saltem unius ovarii obvii. Loci autem cl. Auctoris in l. 7. disp. 92. nn. 26—28. explicari debent juxta dicta in loco superiore. — Quare definitioni ab Auctore datæ omnino adhæremus: sc. impotentia est inhabilitas ad habendam copulam carnalem *perfectam,* i. e. de se capacem operandi generationem.

VIII. 1 sqq. — Influxum diaboli in matrimonium negare temeritatis est, »cum concilia innumera, ritualia, theologi et canonistæ, ipsi quoque Romani Pontifices hoc ponant« *(Feije:* l. c. n. 538. not. 3.). Cfr. c. 4. C. 33. q. 1. ubi regulæ præscribuntur servandæ; c. 6. h. t.; Const. *Innocentii VIII.: Summis* d. 5. Dec. 1484. §. 1. et alia testimonia apud *von Scherer:* c. l. pag. 269. not. 23.*) Utique maleficium non est præsumendum; nam frigiditas *præternaturali* causæ non debet adscribi, quamdiu naturali modo potest declarari.

3. *Divisio.* Impotentia alia est *naturalis,* alia *extrinseca.* Naturalis est, quæ procedit ex defectu naturæ: ex. gr. ob ætatem impuberem, et ob nimiam caliditatem vel frigiditatem in viro; in muliere autem præsertim ob arctitudinem et imperfectam conformationem partium genitalium. Extrinseca impotentia dicitur ea, quæ provenit vel ex infortunio, vel ex maleficio vel opera hominis.

4. Impotentia vel est *perpetua* vel *temporanea.* Perpetua ea dicitur, quæ est immedicabilis, sive ea proveniat ex defectu naturali, sive ex facto hominis. Et quidem immedicabilis censetur impotentia, quæ præter divinum miraculum auferri non potest per opus honestum humanum, absque vitæ periculo; c. 6. h. t. Impotentia autem, quæ vel ætate vel adhibitis honestis et possibilibus remediis auferri potest, dicitur temporanea.

5. Distinguitur etiam impotentia in *absolutam* et *relativam.* Absoluta impotentia verificatur, quando impossibilis est conjunctio conjugalis cum *omnibus* alterius sexus individuis. Relativa autem est impotentia, quando persona impotens non potest carnaliter conjungi solummodo cum *aliqua,* vel aliquibus personis alterius sexus, sive impotentia procedat ex defectu, sive ex quadam mysteriosa aversione et repugnantia.

---

*) Miror quod egregius hic auctor cujus opus cum censura Episcopali in lucem prodiit, in c. l. maleficium inter superstitiones amandat, his verbis: „Der Aberglaube hat seither an Gläubigen verloren; das maleficium aber hat sich in der Form von Nervosität bis heute als Art der Impotenz erhalten. s. unten A. 45". *Latine:* Ab illo tempore (sc. a. 1484.) minuebantur asseclæ (hujus) superstitionis; attamen maleficium usque modo inter species impotentiæ remansit in forma cujusdam neuralgiæ (anæsthesia vel paralysis [akinesia] sexualis). In not. 45. hæc neuralgia explicatur: „Notetur nervos appetitus sexualis esse sitos in massa cinerea cerebri (Stirnrinde), videatur *v. Krafft-Ebing,* Psychopathia sexualis, 1889, pag. 15." etc.

Tandem impotentia alia est *antecedens,* alia *subsequens,* prout vel præexistat matrimoniali contractui, vel inde superveniat. — Item adjungi potest impotentia ut sit alia *certa,* alia *dubia.*

6. Quæritur quænam impotentia dirimat matrimonium.

Impotentia certa sive naturalis, sive extrinseca, perpetua et antecedens, sive sit absoluta, sive relativa, dirimit matrimonium; c. 6. h. t. et ex tota doctrina tituli.

Diximus 1°. *impotentia.* Nam sterilitas non dirimit matrimonium præsertim quia sanari potest et sæpe experientia docet sterilitatem fuisse sanatam. Hinc in matrimoniis requiritur *potentia,* non autem *fœcunditas;* c. 27. C. 32. q. 7. Quare senes admittuntur ab Ecclesia ad matrimonium contrahendum, non autem eunuchi, qui ex vitio physico immedicabili verum semen virile effundere nequeunt.

2°. Impotentia debet esse *perpetua:* si enim est temporanea matrimonium non dirimit, quia in matrimonio confertur mutuum *jus* in corpora, *usus* vero retardari potest, quin jus ipsum destruatur. Hinc in impubere ætate matrimonium non admittitur ob impedimentum ætatis ab Ecclesia statutum, non autem ob impedimentum impotentiæ.

3°. Impotentia debet esse *præcedens;* subsequens enim non dirimit matrimonium; c. 25. C. 32. q. 7. et c. 7. *De divortiis* (IV. 19). Semel etenim contractum matrimonium est natura sua perpetuum, quæ perpetuitas excludit rescindibilitatem. Cæterum etiam superveniente impotentia, matrimonium utile adhuc perseverat ob societatem mutui adjutorii.

7. Certa et absque ullo dubio est impotentia virorum quibus deest uterque testiculus, feminarum secundum sententiam expositam quando deest utrumque ovarium vel organa genitalia sunt prorsus impervia.

Sed quid dicendum quando vir semen quidem formare formatumque ejaculare potest, tamen ob aliquam causam illud in vase debito deponere nequit, sed vel ad ostium externum tantum vel fortasse ne ad ostium externum quidem: estne hæc impotentia *perpetua* censenda, quando *semen aut ipsum ingreditur in vaginam mulieris aut ope alicujus instrumenti immittitur?*

Respondemus I. Quoad *ingressionem:* 1°. Probari debet semen ad orificium vaginæ externum depositum revera intrare in vaginam et deinde in uterum. — 2°. Quando constat fœcundationem revera

effectam esse ex tali ingressione seminis in vaginam, dubitari nequit quin matrimonium consummatum sit, *Gasparri:* c. l. I. n. 530. 3°. Quando autem constat virum sive ex defectu viri sive ex defectu mulieris semen virile non deponere posse nisi in orificio vaginæ externo ejusmodi matrimonium censendum est vitio impotentiæ laborare ideoque *invalidum* esse, nisi effectus consummationem probavit. Nam lex fit de communiter contingentibus. Atque ad communiter contingentia non pertinet matrimonium externa hac seminis affusione consummari. Ergo matrimonium inter tales locum non habet; cfr. S. C. C. in *Neapolitana* d. 5. Julii 1862. apud *Gasparri* c. l. n. 531. —

8. II. Quoad *immissionem* seminis. *Gasparri* c. l. n. 533. hæc habet: »Tandem matrimonium ex capite impotentiæ nullum est ac remanet, non obstante copula ac fœcundatione artificiali (n. 1065). Nam hæc non fit nisi mediis quæ immoralia prorsus dicenda sunt: unde hac copula artificiali non excluditur impotentia dirimens matrimonium. Conjugium autem validum hac copula artificiali consummari docet Sanchez II, XXI, n. 8 (cit. n. 1065).« *(Sanchez* loquitur de hac re n. 2., non n. 8). Nos distinguendum putamus: Si matrimonium nullo alio naturali ac licito modo consummari potest nisi hac immissione seminis artificiali, tale matrimonium vitio impotentiæ laborat *perpetuæ* ideoque nullum est. Nam perpetua censetur impotentia quæ auferri nequit nisi vel per miraculum divinum vel operationem cum *vitæ* periculo vel per opus humanum *inhonestum.* Atqui »fœcundatio artificialis est opus humanum *inhonestum,* S. C. Inq. d. 24. Martii 1897, cujus resolutio d. 26. Mart. 1896. adprobata et confirmata fuit a S. P. *Leone XIII.* Ergo impotentia talis perpetua censenda est. — Quando autem semen virile tali modo in vas mulieris immissum effecit fœcunditatem, non intelligimus quomodo consummatio matrimonii negari possit. Nam ex una parte »fœcundationem artificialem« bona fide ergo subjective saltem licite adhiberi posse negari nequit, ex altera parte nihil refert, utrum matrimonium licite an illicite *fuerit* consummatum; semper remanebit consummatum. cfr. ipsum *Gasparri:* c. l. II. n. 1062. pag. 226. et *Sanchez* l. 2. disp. 21. n. 2.

9. Quæritur *quo jure impotentia dirimat matrimonium.*

Sunt qui repetunt a jure *humano* impedimentum impotentiæ, sunt vero qui a jure *naturali* illud repetunt.

Prioris sententiæ Doctores ita ratiocinantur: Quamvis matrimonium sit institutum ceu medium legitimum propagationis generis humani perficiendæ, tamen finis etiam matrimonii est *mutuum adjutorium* juxta intentionem Dei protoparentibus manifestatam, cujus intentionis expressio habetur in illis verbis *Gen.* II. 18. 'Faciamus ei adjutorium simile sibi.' Jamvero hic effectus matrimonii optime potest obtineri supposita etiam impotentia coëundi. Ergo matrimonium erit semper honestus contractus, etiam supposita impotentia.

2°. Hanc veritatem agnovit ipsum jus positivum. Nam in c. 4. h. t. species est de matrimonio, quod impediebatur ex titulo impotentiæ antecedentis et perpetuæ, et pars quæ erat potens volebat ad alias nuptias transire. *Lucius* vero III. negavit facultatem ad alia vota transeundi, imposuitque partibus ut si non possent uti vir et uxor, viverent simul ceu frater et soror. Jamvero si impotentia esset impedimentum juris naturalis, Pontifex debuisset pro nullitate matrimonii pronunciare. Non potest enim Pontifex validum declaratione sua reddere matrimonium inter personas de jure naturæ inhabiles. Itaque *Lucius III.* facto suo retinuit impotentiam non esse impedimentum juris naturalis.

Quod si deinde Ecclesia nulla declaravit matrimonia ex capite impotentiæ, hæc mutatio disciplinæ ostendit post *Lucium* III. ab Ecclesia impedimentum impotentiæ institutum fuisse.

Confirmatur ex responsione data a *Sixto* V°. Legato Apostolico in Hispaniis.

Cum enim eunuchi solerent contrahere matrimonium solummodo in mutuum adjutorium, et cum promissione non experiendi inutiliter copulam carnalem, factum est ut promissionem non observarent. *Sixtus V.* interrogatus hac de re, per literas in forma Brevis, d. 27. Junii 1587. exaratas, Episcopo *Novariensi* in Regno *Hispaniarum* Apostolicæ Sedis Legato commisit, ut auctoritate Pontificis prohiberet eunuchis et aliis impotentibus, quominus contraherent matrimonium cum qualibet muliere etiam sciente. (Vide *Giraldi: Expositio juris Pontif.* com. ad c. 4. h. t.)

Ergo *ante* licebat eunuchis et spadonibus matrimonium contrahere ad mutuum adjutorium. Certe non licuisset si impotentia matrimonium dirimeret jure naturali.

10. Alterius sententiæ patroni asserunt, impotentiæ impedimentum esse ex ipso jure *naturali.* Nam I°. substantia contractus

ex jure naturæ non regitur ex fine secundario, bene vero ex fine ejus *primario et essentiali.* Hinc ut alias vidimus, conditiones turpes contra substantiam matrimonii illud nullum reddunt, quia contrahentes non videntur intendere et velle ipsam substantiam contractus. Jamvero, posito fine primario matrimonii, qui consistit in prolis generatione, matrimonium consistere non potest, quoties partes sibi jus tradere non possunt ad actus conjugales perficiendos, idest ad ponendos actus de se idoneos ad gignendam prolem. Atqui posita impotentia in sensu explicato, qui ea laborat, hoc jus tradere non potest. Ergo non conficit contractum jure naturali validum. Neque valet objicere, matrimonium fuisse institutum in mutuum adjutorium. Nam hoc mutuum adjutorium non est qualecumque, sed illud quod cum amore *conjugali* conjungitur, et proinde finis mutui adjutorii est subordinatus alteri fini principaliori. Unde *Augustinus* adnotat Deum non fecisse virum in adjutorium simile Adæ, sed fecisse mulierem.

Nec II°. valet difficultas ex c. 4. h. t. deducta. Nam distinguenda est doctrina theoretica Ecclesiæ ab ejus *practica* applicatione in casibus particularibus, in quibus concurrere possunt rationes prudentiæ, quæ impediant plenam et absolutam exsecutionem eorum, quæ theoretice uti firma et certa retinentur. Siquidem Ecclesia Romana retinuit semper impotentiam antecedentem et perpetuam impedimentum dirimens constituere.

Sane quoad præsentem difficultatem deductam ex c. 4. h. t. quod est *Lucii III.,* sufficeret afferre c. 3. ejusdem tituli, in quo capite 3. impotentes absolute declarantur inhabiles ad contrahendum matrimonium, et matrimonium ab impotente initum dissolvitur.

11. At licet hæc certa et fixa essent in theoria, nihilominus quando propositæ sunt quæstiones in concreto de solvendis conjugiis jam contractis, solita fuerat Ecclesia Romana, abhorrere a separatione conjugum ob potentes rationes. De hac consuetudine Ecclesiæ Romanæ testatur *Alexander III.* in c. 2. h. t. in prima collectione Canonum, necnon *Clemens III.* in c. 4. h. t. in eadem prima Collectione Canonum. Quod si fides præstanda sit Gratiano hæc consuetudo incepit a S. *Gregorio Magno,* prout traditur in c. 2. C. 33. q. 1.

Rationes hæ potissimum erant 1°. quia impotentiæ exsistentia est difficilis probationis, et facile contingere potest, ut qui ad aliquod tempus impotens est, deinde fiat potens. Unde in c. 6. h. t.

Innocentius III. decernit primum matrimonium solutum ex capite impotentiæ revalidari, si deinde potentia emergat, quamvis matrimonium fuerit solutum per errorem probabilem. — 2°. Posita etiam impotentia dubitari potest utrum fuerit necne antecedens. Quare ad tutandam matrimonii firmitatem invocatum est principium quo statuitur, melius esse ut aliquod matrimonium sustineretur tamquam validum de quo dubitari possit, quam ut aliquod matrimonium solveretur. Hinc in casibus propositis solita fuerat Romana Ecclesia præcipere ut conjuges viverent tamquam frater et soror.

Quæ disciplina magis rationabilis credebatur in hypothesi c. 4. h. t. Siquidem species est de viris contrahentibus matrimonium cum mulieribus, quas *noverant* esse impotentes. In qua hypothesi, si matrimonium non solvatur, sed præcipiatur cohabitatio et conversatio fraterna ad exclusionem maritalis conversationis, nulla injuria viris irrogatur. Concludendum igitur est decisionem *Lucii III.* non lædere theoriam de origine impedimenti impotentiæ ex ipso jure naturali, quia solummodo respicit casus speciales, in quibus Ecclesia Romana ut tutius procederet et tueretur magis firmitatem matrimonii, maluit conjuges vivere uti fratrem et sororem, potius quam declarare matrimonii nullitatem.

12. Qua vero in re ob mutatas temporum circumstantias mutata est etiam disciplina Ecclesiæ. Nam cum experientia docuisset conjuges impotentes non observasse legem continentiæ, factum est ut probata impotentia antecedente et perpetua alterutrius conjugis, matrimonium nullum declararetur, simulque conjugi potenti tribueretur facultas transeundi ad alia vota.

13. Ipse *Cœlestinus III.* in c. 5. h. t. in casu impotentiæ alterutrius conjugis concessit conjugi potenti optionem, vel ad alia vota transeundi, vel manendi cum conjuge impotente, sub ea tamen conditione, ut viverent ceu frater et soror. Quare sensim sine sensu disciplina mutata est in praxi, licet in theoria indubium esset, impotentiam inhabiles reddere personas ad contrahendum matrimonium.

14. Relate ad animadversionem deductam ex responsione *Sixti V.* data per literas in forma *Brevis* Episcopo Novariensi, dicimus ex hac responsione inferri, matrimonia eunuchorum non fuisse antea ab Ecclesia recepta et approbata tamquam vera et legitima matrimonia, sed potius tamquam simulacra matrimonii fuisse habita et sub hoc respectu tolerata fuisse.

15. Sane ipse *Sixtus V.* in iisdem literis agnoscit, secundum canonicas sanctiones, et quod magis est, secundum naturalem rationem, impotentes non reputari aptos ad contrahendum matrimonium. Quare cum verum matrimonium eunuchorum esse non posset, cumque constaret ex experientia eos noluisse servare conditiones fratris et sororis, et ex illicita conversatione cum mulieribus gravissima scandala in populo Christiano derivasse, Pontifex statuit prohibendam esse unionem quamcumque eunuchorum cum mulieribus.

Itaque responsio *Sixti V.* non lædit sententiam, quæ tenet impedimentum impotentiæ matrimonium dirimere ex jure ipso naturali.

16. Quæritur *quomodo expedienda sit in praxi quæstio impedimenti impotentiæ.* Norma antiqua procedendi in causis impotentiæ traditur in cc. 5., 6., 7. h. t.

Modus hic erat: Si de impotentia perpetua et antecedente ex *certis* signis *constitisset*, facta etiam per idoneas personas inspectione, statim a judice declarabatur nullum esse matrimonium. Partibus vero dabatur optio vel ut simul viverent veluti frater et soror, vel ab invicem separarentur; c. 5. h. t. Quare conjugi potenti per sententiam judicis non appellatam concedebatur facultas novum matrimonium cum alia persona conciliandi.

17. Conjux autem impotens poterat quidem novum matrimonium celebrare, si impotentia solummodo *relativa* fuisset: quodsi fuisset *absoluta* quodcumque conjugium ei interdicebatur.

18. Si autem impotentiæ signa *dubia* fuissent, sententia separationis non proferebatur, sed juxta normam juris civilis in Novella 22. §. »Per occasionem«, triennale experimentum continuæ cohabitationis, et conjugalis conversationis indicebatur. Quo triennio inutiliter elapso absque consummatione matrimonii, plenum divortium decernebatur, et pars potens novas nuptias inire poterat. Porro nonconsummatio matrimonii *probabatur* ex *inspectione corporis* peracta a probatis personis et idoneis, necnon ex *depositione jurata ipsorum conjugum*, quorum attestationi adjungi debebat testimonium '*Septimæ manus*' propinquorum bonæ famæ, vel vicinorum. Videlicet septem propinqui utriusque conjugis, vel in eorum defectu septem vicini interrogabantur a judice quid sentirent circa matrimonium cognati sui, vel vicini, utrum scirent matrimonium fuisse *consummatum* necne, et utrum *credendum* esset

conjugibus affirmantibus matrimonium non fuisse consummatum, non obstantibus conatibus positis ad carnalem copulam habendam.

19. Modus hic procedendi in causis impotentiæ perfectiorem formam obtinuit præsertim ex norma generali, quam instituit *Benedictus XIV.* pro causis matrimonialibus quoad vinculum expediendis. Norma hæc traditur in Const. '*Dei Miseratione*' d. 3. Novembris 1741. *(Bullarium* ejusdem Pontificis p. I. n. 33). — Non toleratur consuetudo huic Constitutioni contraria, quamvis *immemorialis* sit, S. C. Conc. d. 15. Dec. 1877. ad Episcopum in *Sabaudia.*

20. In hac Constitutione 1°. loco commemorat Pontifex decretum Tridentinum, quo statuitur causas matrimoniales in prima instantia reservari *Episcoporum* examini, ad exclusionem Decani, Archidiaconi et aliarum dignitatum inferiorum, quibus ex jure vel consuetudine competere poterat jurisdictio in causis etiam matrimonialibus.

21. Possunt vero *Vicarii Capitulares,* sede vacante, causas matrimoniales videre et decernere, quia in ipsos transit jurisdictio Episcopalis ordinaria et necessaria. Unde S. C. Concilii recipit processus confectos et sententias a Vicariis Capitularibus in hac re editas. Exemplum nuperrime habemus in Causa *Tolentinatensis* matrimonii proposita d. 17. April. 1869.

22. 2°. Statuit Pontifex ut persona aliqua eligatur idonea, et si fieri potest ex cœtu Ecclesiastico, juris scientia et probitate prædita, quæ *defensoris* vinculi matrimonialis munere fungatur, quæque verbo et scripto proponat rationes militantes in favorem vinculi ipsius, necnon debeat præmittere juramentum de munere suo fideliter obeundo. Porro defensor, sub pœna nullitatis actorum, debet citari, vel intimari, et adesse debet singulis actibus judicialibus.

23. 3°. Statuit Pontifex (§. 14) non uno judicio causam matrimonialem finiri, sed saltem binas sententias conformes requiri, ut matrimonium ceu nullum habeatur, et partes vel saltem pars potens possit aliud matrimonium conciliare. Hinc correctum est antiquum jus Decretalium, quo post unam sententiam non appellatam, licebat parti potenti novas nuptias inire. Quare si nullus a sententia primæ instantiæ, quæ matrimonium solverit, appellavit, ipse *Defensor* vinculi matrimonialis, *ex officio* suo *appellabit* ad tribunal superius. Et in secunda instantia novus Defensor vinculi designabitur, qui officium suum ad instar prioris Defensoris

implebit, idest adstare debet in omnibus actibus judicialibus quæ conficiuntur, necnon veritatem vinculi defendere tenetur.

24. 4°. Quamvis in c. 6. h. t. insinuetur matrimonium jam solutum redintegrari, si appareat deinde fuisse solutum per errorem probabilem, tamen expresse non traditur causas matrimoniales nunquam transire in *rem judicatam*. *Benedictus XIV.* vero in cit. Const. §. 11. expresse tradit, causas matrimoniales nunquam transire in *rem judicatam*. Quare si nova res detegatur, quæ ignorata fuit, vel non deducta in judicium, causa iterum poterit resumi, et rursus in controversiam revocari.

Insuper in cit. §. 11. decernit Pontifex *etiam* post *secundam* conformem sententiam pro nullitate matrimonii posse ipsum Defensorem vinculi, si in conscientia crediderit, sententiam fuisse vel manifeste injustam, vel invalidam, appellare, et appellare posse etiam alterutrum ex conjugibus.

Pendente autem appellatione ad tertiam instantiam statuit Pontifex vetitum esse utrique conjugi ad alia vota transire. Quæ omnia revera ostendunt favorem matrimonii.

Accessit *Instructio S. Congregationis Concilii diei 22. Augusti, 1840.* quæ adhuc in praxi plene sciatur. Quare hic per totum eam transcribere juvat.

Instructio

edita a S. Congregatione Concilii die 22. Augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus.

25. »Cum moneat Glossa [in c. 7. *De frigidis* (IV. 15)] in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit *Sanchez (De matrim.* l. 7. disp. 107.) et Cardinalis *Argenvilliers* (in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P. 5. vol. ult. n. 16.) plura hinc a sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum judicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quæ conjugum malitia, vel collatione sæpe oriebantur, s. m. *Benedictus XIV.* (in Const. *Dei Miseratione)* processum conficiendum esse præcepit, sub pœna nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis hujusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, judices in proferendo judicio tuti conquiescere possent.

At quia sæpe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio sæpius instructiones edidit, ac normam præscripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque hujusmodi causis non de jure alterutrius partis tantum, sed præcipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum judiciorum, præsertim civilium, sed juxta sacros Canones, citatam s. m. *Benedicti XIV.* Constitutionem, et præsentem instructionem erunt efformanda.

26. Ea itaque non vernaculo, sed *latino* erunt conscribenda, — exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; — præsertim vero decreta et sententia, quæ juxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur.

27. Præterea cum a S. Conc. Trid. (s. 24. c. 20. *De ref.* §. »*Ad hæc«)* ac etiam a s. m. *Benedicto XIV.* (in cit. Constit. '*Dei miseratione*' §. 4.) causarum matrimonialium cognitio quibusvis judicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac præscriptione, fuerit sublata ac *Episcoporum* tantum examini ac jurisdictioni reservata, etiam præ Abbatibus vere *nullius,* licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, juxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per Ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

28. Hisce præmissis, quoties aliquis ex conjugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus Judicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel Judex delegatus citari mandabit *Defensorem matrimonii,* quatenus in Curia Episcopali jam deputatus exsistat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus præstantem, quas superius memorata Constit. *Bened. XIV.* requirit, eumque citari mandabit.

29. Defensoris matrimonii erit præfixa die accedere ad præstandum *juramentum,* se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quæ ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Præterea hic Defensor Matrimonii *citandus* erit ad quælibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque scripta ejus erunt reci-

pienda, ac novi termini, eo flagitante, erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

30. Præfinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor Matrimonii tradet *interrogatoria* clausa, et obsignata Cancellario seu Notario, aperienda, illo postulante, ex Judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. Iis addet etiam ea in actu examinis ex officio Judex, quæ ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam, sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus cæteri omnes de re instructi erunt examinandi.

31. Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram Judice, adstante Defensore Matrimonii et Cancellario. Judex defert parti examinandæ *juramentum de veritate dicenda,* et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore Matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

32. Interim dum pars erit examinanda, ipse Cancellarius exscribat in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a Judice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Judice, vel a Defensore Matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio,* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore Matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Judex illud suspendet, ac destinabit etiam diem ac horam pro reassumptione et prosecutione eisdem modo et forma facienda. ut supra dictum est.

33. Absoluto examine, Cancellarius leget clara voce et intelligibili responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Judex deferat *juramentum* eidem conjugi, se vera dixisse, atque nunquam ante promulgationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru†cis; dein Judex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

34. Poterit pars examini subjecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore Matrimonii, erit examinandus alter conjux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore Matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Hæc norma, quæ data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

35. Expleto examine illius conjugis, qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen *alterius conjugis*, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quæ præscriptæ fuerunt in præcedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor Matrimonii in Domino censuerit.

36. Deinde procedendum erit ad examen *'septimæ manus'* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. (in c. 7. *De frigidis* [IV. 15]).*) Ut id facilius exsequi Judex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate *conjunctos*, si fieri possit, sin minus, septem *vicinos* bonæ famæ. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis conjugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem, et honestatem illius conjugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse.

37. Similiter, instante Defensore Matrimonii citandus erit *alter conjux*, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonæ famæ, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subjiciendi designatis diebus et horis, delato prius juramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

*) Hoc testimonium *septimæ manus* provenit ex jure *Germanico;* cfr. *von Scherer* c. l. pag. 278. Notetur responsum S. C. C. d. 16. Junii 1894 ad Archiepiscopum *Varsavien.* Cum quæreretur: I. Sitne in causis nullitatis matrimonii *ex quocumque titulo* coram judice spirituali agitatis necesse exigere, ut testes septimæ manus producantur, an vero id in solis causis ex capite *impotentiæ* devolutis observandum, in ceteris autem omnibus prætermitti posse?" S. Congr. respondit: „Ad I. *Negative* ad primam partem, et testimonium septimæ manus stricto sensu sumptum exigi ad corroborandam confessionem conjugum quoad *inconsummationem matrimonii.*"

38. Liberum erit conjugibus testes bonæ famæ ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim, et methodo hactenus præscripta erunt examini subjiciendi.

Si alios etiam Defensor Matrimonii ex actis jam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subjiciantur.

39. Si qui forsan *absentes* noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant, etiam ob distantiæ sumptus, vel ad partis instantiam, vel ea silente, ad instantiam Defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius Diœcesis, in qua morantur, examinandi juxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui præstet requisitis in Bulla sæpius laudata s. m. *Benedicti XIV.* præscriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

40. Omnes vero testes, congrua congruis referendo, *rogandi* erunt præsertim, quando initum fuerit matrimonium, utrum inter conjuges mutui amoris et benevolentiæ signa intercesserint, quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint, utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

41. Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos conjuges consuluerunt. Præterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si conjuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad *inspectionem corporis conjugum seorsim* sequenti methodo perficiendam. Instante præsertim Defensore matrimonii Judex præfiget terminum tam utrique conjugi, quam Defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque conjugis inspectione, congrua congruis referendo.

42. Exhibitis notulis a partibus, Judex *eliget* quinque *peritos*, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant;*) sin minus, eos *ex officio,* qui tamen partibus non sint

*) S. Sedes quidem adlaborat, ut hæc inspectio sit *ecclesiastica* formaliter et materialiter, attamen nonnunquam, præsertim ut parceretur et expensis et

rationabiliter suspecti, deputabit, atque curabit ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis, tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit cognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, necnon facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

43. Designata die et hora ad locum accedant Judex, Defensor Matrimonii, Cancellarius, et periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus *viri* inspicient, ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quæ juxta artem, non tamen illicitis, opportuna judicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione hæc præcipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiæ, deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio, quod apparere poterit. An *adsint* signa, quæ moralem certitudinem inducant impotentiæ, et quatenus exsistant, *quæ* sit hujus impotentiæ causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis ac præcedens matrimonium, an signa impotentiæ sint dubia vel æquivoca.

44. Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor Matrimonii exhibebit *interrogatoria* clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit jus addendi alia interrogatoria, ac iterum eos ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, Judex aliam diem designabit ut illud prosequatur. Uterque ex peritis, tum ante examen juramentum præstabit de veritate dicenda, tum post examen juramento dicta confirmabit, propria manu subscribens, Judex, Defensor validitatis Matrimonii et Cancellarius subscribet, qui et actum rogabit.

45. Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis *mulieris*.

---

verecundiæ in nova inspectione, concessit, ut in processu ecclesiastico adhiberi valerent medicorum testimonia edita pro judicio *civili*, cum dispensatione a nova inspectione corporali conjugum, adscitis tamen, quatenus fieri possit, coram ecclesiastico tribunali iisdem medicis, ut jurejurando confirment præcedentia testimonia"; sic S. C. C. in *Tarnovien. Matrimonii* d. 19. Sept. 1885. In causa *Castrimaris Matrimonii* d. 29. Apr. 1893. testimonium trium peritorum in causa civili jam examinatorum absque nova inspectione corporis viri non respuit.

Judex ut supra dictum est de peritis, tres saltem *obstetrices* deputabit, quæ a duobus saltem peritis, uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendæ de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione.

Statuta autem hujus inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestæ Matronæ pariter a Judice deputandæ pro infrascripta præstanda personali assistentia, atque — adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, — immergenda erit in balneo aquæ tepentis a peritis prius recognoscendo, quod erit aquæ puræ, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horæ unius permanere debebit; quo tempore transacto, adstantibus et præsentibus semper Matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis *inspectionem* a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et præsente Matrona: qua in re prospiciendum etiam, ut hæc recognitio fiat tempore tantum diurno, et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione hujusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

46. Judex, Defensor Matrimonii et Cancellarius cum peritis, ut supra ad domum Matronæ accedent. Peracta illinc recognitione *seorsim* singulæ obstetrices *referent* de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis præcise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quæ clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis Matrimonii.

47. Deinde formali examini erunt subjiciendi *periti*, quorum *judicium* erit *exquirendum*, super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad præstitam toto balnei et recognitionis tempore assistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quæ superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori Matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Judex præ sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Judice, factisque subscriptio-

nibus ab eo, a Defensore Matrimonii, et a Cancellario. Hæc habenda methodus.

48. Quæ in actis continentur, nemini nec ipsis quidem conjugibus, eorumque Defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore Matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit *defensionibus*. Liberum etiam erit Defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem judicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus, juxta constitutionem sæpius citatam *'Dei miseratione'*.

Omnibus absolutis et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor Matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

49. Si hæc Matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor Matrimonii *appellare* juxta citatam Constitutionem, nec poterunt conjuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub pœnis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *'Dei miseratione'*. Deinde transmittenda sunt acta ab Episcopo ad Judicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario«.*)

50. Hæc quæ diximus *communia* ut plurimum sunt omnibus causis matrimonialibus, *exceptis mutationibus* quas induxit decretum S. C. Inq. d. 5. Junii 1889, de quo plura in tit. *De divortiis* (IV. 19). Hoc decretum Instructionem S. C. C. modo relatam respectu impedimenti *impotentiæ* in pleno suo vigore confirmavit. In specie autem relate ad causas nullitatis matrimonii ex capite *impotentiæ* animadvertendum est experimentum triennale, quod jure Decretalium usque ad tempora nobis proxima in usu fuit, hodierna disciplina, saltem quoad impotentiam *certam*, in usu amplius non esse, et ut pragmatici loquuntur, ab aula recessisse. Cognitum enim est non amplius experimentum hoc expedire, præsertim quia ob malam fidem apparuit illud non amplius esse medium honestum et utile. Sane contigit ut conjux qui accusabat impoten-

*) Interdum hæc forma observari nequit; quare S. C. Concilii dat facultatem procedendi *extrajudicialiter*, "dummodo in *substantialibus* servetur ordo a regulis præscriptus", S. C. C. in *Ventimilien.* d. 19. Maji 1888.

tiam relativam, libidinem cum alia persona expleret, antequam ad suum conjugem accederet.

Quare ad omnia incommoda vitanda, hæc praxis in S. C. Concilii inducta est. Quando solutio matrimonii exposcitur ex capite impotentiæ duo proponuntur dubia: 1°. An constet de matrimonii nullitate ex capite impotentiæ? Et quatenus negative, 2°. an sit consulendum Sanctissimo super dispensatione matrimonii rati et non consummati?

51. Si constet de impotentia præcedenti et perpetua, Congregatio respondet ad 1^m. *affirmative;* ad 2^m. *provisum* in 1°. Si autem de impotentia non satis constet, sed constet matrimonium non fuisse consummatum, simulque adsint causæ sufficientes ad dispensationem concedendam, dubiis solet respondere S. Congregatio ad 1^m. *Providebitur in 2°,* ad 2^m. *Affirmative.* — In utroque casu aliquando adjungitur prohibitio »*vetito viro* (vel mulieri) *transitu ad alias nuptias inconsulta Sacra Congregatione*«, sic in cit. causa *Castrimaris* d. 29. Apr. 1893 ubi nullum declarabatur matrimonium; sic in cit. causa *Tarnovien.* d. 19. Sept. 1885 ubi a Summo Pontifice dispensatum fuit super matrimonio rato non consummato. Hæc prohibitio non tangit valorem matrimonii prohibiti, sed *liceitatem* tantum ita ut vir (vel mulier) relative impotens verum contraxerit novum matrimonium quando consummare poterat illud. — Operæ pretium est hic adjungere modum quo procedit S. C. C. permittendo novum post ejusmodi prohibitionem matrimonium. Alexandro B. post dissolutum matrimonium cum Mathilde G. vetitus erat transitus ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione. — Cum postea petiisset hanc veniam, subjectus est juxta mandatum Episcopi inspectioni duorum medicorum; quorum cum judicium Alexandro faveret, concessa est a S. C. C. d. 8. Aug. 1885. venia restringendo matrimonium ad *viduam tantum.* At quia A. futurum matrimonium jam promiserat *virgini,* denuo suppliciter adiit S. Sedem. Cum Ordinarius post novam duorum »sponsorum« inspectionem medicalem retulisset, nihil obstare matrimonio, imo adesse necessitatem contrahendi ut et famæ virginis et æternæ saluti oratoris consulatur, S. C. C. d. 18. Sept. 1886. in *Olinden.* rescripsit: »Pro facultate Episcopo relaxationem status liberi Oratori impertiendi.« (A. S. S. vol. 19. pag. 499.)

Per hanc disciplinam immutata est dispositio c. 6. h. t. Nam in c. 6. sententia Judicis erat solummodo declaratoria, qua nempe

matrimonium nullum declarabatur ob impotentiam antecedentem et perpetuam. Unde si tractu temporis apparuisset impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium solutum redintegrari debebat.

52. In actuali autem disciplina intercedit dispensatio auctoritativa, qua si adsit vinculum matrimonii rati, illud solvitur. Unde si deinde appareat impotentiam fuisse solummodo temporaneam, matrimonium non redintegratur. Constare autem debet matrimonium non fuisse consummatum; quoties enim appareat consummatum fuisse, dispensatio non conceditur, et conjuges tenentur conversationem conjugalem, idest individuam vitæ consuetudinem restaurare. Porro non-consummatio matrimonii probatur communibus argumentis judicialiter cognitis, idest ex confecto processu resultantibus.

53. *Causæ* autem dispensationis præsertim sunt maxima dissociatio animorum, fundatum dubium de impotentia alterutrius conjugis, periculum incontinentiæ, et aliqua coactio moralis adhibita, ut matrimonium contraheretur.

De Hermaphroditis.

54. *Hermaphroditi* (ab Herme [= Mercurio] et Aphrodite [= Venere], etiam *androgyni* (i. e. viri-mulieres, in lingua Germanica *Zwitter*) dicti sunt homines qui duplicem sexum, saltem apparenter, præ se ferunt vel ita ut organa possint pro uno *aut* pro altero sexu explicari, — *pseudo*-hermaphrodismus sive *transversalis* —, vel ita ut organa diversi sexus in æquali aut inæquali potentia — hermaphrodismus *verus* — adsint.

Hermaphrodismus verus iterum dividitur in h. verum *bilateralem*, quando in uno individuo uterque testiculus et utrumque ovarium adest, et *unilateralem*, quando in uno individuo unus testiculus et unum ovarium adest.

55. Quæritur *utrum exsistant veri hermaphroditi, sc. qui pollent æqualiter utroque sexu?*

Alii affirmant, alii negant. Nostris temporibus *communior* sententia videtur esse *veros* hermaphroditos non exsistere. Nihilominus sunt casus in quibus sexus alicujus individui vel a peritissimis nequit distingui et alii casus, ubi vera invenitur bisexualitas,

utique rarissimi; (cfr. *von Scherer:* c. l. §. 115. n. IV. pag. 275. cum nota 52).

56. *Quomodo tractandi sunt hermaphroditi in ordine ad matrimonium?*

Leges *Romanæ* considerabant hermaphroditum secundum *sexum prævalentem;* sic in genere, l. 10. ff. *De statu hominum;* sic in jure *hereditario,* l. 6. §. 2. ff. *De liberis et posthumis;* sic in *testificando,* l. 15. §. 1 ff. *De testibus,* hanc ultimam legem receperunt canones, c. 3. §. 22. C. 4. q. 2. et 3. Quare in jure canonico valebat principium: Hermaphroditus considerandus est juxta sexum *prævalentem.* At quando uterque sexus videbatur æqualiter potens, hermaphrodito dabatur optio ita ut electo uno sexu alteri deberet abjurare in perpetuum. Cardinalis *Hostiensis* (Henricus de Secusia = Susa) in sua *Summa* ad l. II. *De testibus* totam illius temporis († 1271) praxim illustrat hisce verbis: »Quid de hermaphrodito — quid si utriusque membri officio uti potest, secundum quod de facto fuit in villa mea, scilicet Secusiæ? Respondeo, eligat, cui se dicat, secundum quod Episcopus *Taurinensis* diœcesanus noster de ipso fecit et juret, quod de cetero alio non utetur;« cfr. *Freisen:* c. l. pag. 344.

Quando agitur de *contrahendo* matrimonio, parochus vel confessarius, si sciverit, nunquam permittet matrimonium inconsulto Ordinario aut S. Sede. Ordinarius faciat inquiri a duobus saltem peritis, præsertim medicis, quorum sententiis se dirigat. Si et Ordinarius dubius hæret, res est deferenda ad S. C. Concilii, cujus judicio standum erit. — Judicium peritorum triplex esse potest: 1. personam certo esse virum aut mulierem, licet aliqua signa alterius sexus externe præseferat; 2. sexum alicujus personæ cum certitudine dijudicari non posse; 3. personam certo pollere externe utroque sexu. In ultimo casu regulariter aderit impotentia.

In primo casu matrimonium potest permitti secundum *verum* sexum. In altero casu *inhibendum* est matrimonium, donec sexus magis explicatus dignoscatur. In tertio, si revera accidet, difficilis erit decisio; nam ex una parte impotentia præsumi quidem potest, ex altera parte tamen *probari* nequit nisi aliquo tentamine. Quare si periculum animæ urgeat, nihil relinquetur quam ut sequamur normam *Hostiensis* supra indicatam, sc. ut hermaphroditus eligat unum altero abjurato.

Si vero agatur de matrimonio *jam contracto*, procedendum est juxta normas casus impotentiæ quas supra commemoravimus. Id enim studendum, ut demonstretur ejusmodi personam esse impotentem, saltem in hoc sexu. Celebre exemplum habemus in causa *Ferentina*, decisa in S. C. C. d. 18. Aug. 1888. Matrimonium enim contractum est anno 1855. inter Faustinam M. et Joannem C. Primus processus institutus fuit anno 1866. qui pendebat usque ad a. 1870. Secundus processus durabat ab anno 1884. usque ad annum 1888. Quæstioni »*An constet de matrimonii nullitate in casu,*« S. C. C. d. 24. Martii 1888. censuit respondere: *Dilata et fiat nova inspectio a tribus peritis medico-chirurgis, a S. C. designandis, quem in finem Faustina Romam adveniet.*

Peracta inspectione in hasce devenerunt conclusiones: 1. Faustinam præditam esse sexu masculino; 2. aptam non esse matrimonii consummationi, qualis femina; 3. hujusmodi impotentiam esse antecedentem matrimonii celebrationi, nempe a. 1855., esse perpetuam atque insanabilem«. Cum quæstio »*An constet de matrimonii nullitate in casu*«, iterum proponeretur, S. C. Concilii d. 18. Aug. 1888. censuit respondere. *Affirmative.* (A. S. S. vol. 21. pag. 480—501).

Titulus XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1. Interdictum Ecclesiæ *lato sensu* sumptum opponitur legi Ecclesiæ irritanti matrimonium, et proinde complectitur omnem prohibitionem Ecclesiæ, qua matrimonium *illicitum* redditur, non tamen invalidum. Unde nomine interdicti Ecclesiæ veniunt omnia impedimenta impedientia matrimonium.

Interdictum Ecclesiæ stricto sensu significat impedimentum impediens in specie quod dicitur *Ecclesiæ vetitum*, de quo infra.

2. Antiquitus impedimenta impedientia hisce versiculis concludebantur:

'Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Aut si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent conjugium sociandum.'

3. Non amplius hæc omnia impedimenta vigent, sed quæ adhuc exstant, ad 4 reducuntur, scilicet: 'Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum'. Quibus accedunt *clandestinitas* et *mixta religio.*

Ecclesiæ vetitum significat prohibitionem superioris, qua alicui in particulari interdicitur celebratio matrimonii.

Superior hic potest esse Pontifex, vel Episcopus, vel etiam Parochus.

4. *Pontifex* uti vidimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1.) n. 125., potest prohibere matrimonium etiam cum clausula *irritante,* quo in casu si contrahatur matrimonium, non solum est illicitum, sed etiam invalidum, quia Pontifex, qui potest per regulam generalem statuere impedimentum dirimens, potest etiam illud statuere relate ad individuum.

Episcopus etiam prohibere quidem potest matrimonium, at nunquam ejus prohibitio constituit impedimentum dirimens, sed solummodo *impediens.* — Immo licet prohibeat Parocho, ne assistat alicui matrimonio, tamen quia Parocho remanet titulus Parochi, si matrimonio assistat, valide coram eo contrahitur matrimonium cfr. tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 89.

5. Ex c. 3. h. t. infertur etiam *Parochum* ex justa ratione ad tempus posse inhibere celebrationem matrimonii. Hæc enim est differentia inter Parochum et Episcopum, ut Parochus, quia non habet fori externi et judicialis jurisdictionem, possit inhibere solummodo matrimonium extrajudicialiter, et absque censuris, Episcopus vero possit, sive extrajudicialiter, sive etiam judicialiter, adhibita etiam censurarum comminatione; c. 2. h. t.

6. Contrahentes matrimonium, spreto interdicto Ecclesiæ, ex eodem c. 2. h. t. *graviter peccant.*

Pœnæ in specie non adsignantur. Hinc pœna infligitur ex arbitrio Episcopi, juxta qualitatem contumaciæ, et facti circumstantias: immo puniri etiam possunt testes dolose assistentes matrimonio. Ita S. C. Conc. in *Floren.* d. 10. Febr. 1679.

De aliis 5 impedimentis adhuc vigentibus jam vidimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 125. et sqq.

7. Nunc historice et ad intelligentiam veterum canonum breviter agimus de reliquis impedimentis impedientibus, quæ sive ex lege contraria, sive ex consuetudine vel ex toto vel saltem ex parte abrogata fuere.

Primum impedimentum est *Catechismus.*

Hoc duplex est, vel compaternitas ex Catechismo, vel Catechismus ignoratus.

Relate ad 1^m. Catechismus quoad præsentem materiam erat instructio fidei, quæ olim fieri debebat catechumeno ante fores Ecclesiæ antequam baptizaretur. C. 54. *De consecr.* D. 4. Ex hac instructione, quæ habet aliquam relationem ad generationem spiritualem, Canones dixerunt compaternitatem oriri inter catechizantem et catechumenum, qua matrimonium inter eos celebrari impediebatur juxta cc. 5. *De cogn. spir.* (IV. 12) et 2. ejusd. tit. (IV. 3) in 6^o.

Compaternitas catechismi a Tridentino sublata est, juxta ea quæ disseruimus in tit. *de cogn. spirituali.*

8. Defectus autem Catechismi, idest sufficientis instructionis in rudimentis fidei, constituebat impedimentum impediens matrimonii. Hic defectus hodie potest constituere rationem, qua Parochus ad tempus inhibeat matrimonii celebrationem.

9. Secundum impedimentum erat *incestus.* Scilicet incestuosis absolute prohibebatur licite contrahere matrimonium; c. 1^o. *'De eo qui cognovit'* (IV. 13) et c. 20. C. 32. q. 7., et c. 4. C. 35. q. 3.

10. Tertium impedimentum impediens constituebatur ex *Raptu,* eo casu quo sponsa alterius fuisset abducta, ita ut raptor non posset licite contrahere cum quacumque alia muliere; c. 34. C. 27. q. 2.

De impedimento *dirimenti* raptus videatur tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 152. et sqq.

11. Quartum impedimentum impediens matrimonium erat *uxoricidium,* absque ullo intuitu et spe alterius conjugii. C. 5. C. 33. q. 2.; de impedimento criminis *dirimente* cfr. tit. *De eo qui duxit* (IV. 7).

12. Quinto. *Susceptio propriæ prolis,* idest si quis absque necessitate proprium filium e sacro fonte susceperit, in fraudem debiti maritalis erga alium conjugem, soluto actuali matrimonio, ab alio matrimonio contrahendo prohibebatur; c. 5. C. 30. q. 1.

13. Sexto. *Mors presbyteralis,* idest occisio presbyteri prohibebat interfectori, quominus matrimonium inde contrahere posset c. 2. *De pœnit. et remiss.* (V. 38).

14. Septimo. *Solemnis pœnitentia,* quæ ob gravia crimina infligebatur, constituebat impedimentum impediens, quo fidelis pœnitens ante obtentam reconciliationem cum Ecclesia arcebatur a cele-

bratione matrimonii. Indecens enim erat, nuptiali lætitiæ vacare, tempore salutaris tristitiæ et afflictionis. Cc. 12. et ult. C. 33. q. 2.

15. Octavo. Tandem juxta c. 13. C. 27. q. 1. ille, qui sibi in uxorem accipere præsumpsisset *Monialem* Deo consecratam, prohibebatur quominus matrimonium cum alia qualibet muliere contraheret. Quin immo c. 6. de Pœnit. D. 1. ita statuit: 'Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodo, jungendi causa matrimonii sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.'

Qua in re adnotandum est, Gratianum non retulisse canonicam dispositionem, quia sacri Canones pœnam mortis non infligunt, sed dispositionem juris civilis Justiniani in l. 1. C. *De Episcopis et Clericis,* retulisse, ut etiam juxta leges civiles malitia cognosceretur seductionis vel raptus mulieris Deo sacræ.

16. Hæc quidem impedimenta fuerunt; at non est prætermittendum impedimentum quod parochis parit haud modicas angustias: sc. censura. *Quomodo agendum est cum hominibus censuris innodatis respectu matrimonii contrahendi?*

Præmittimus: 1°. Utrum et quomodo parochus assistere possit matrimonio *duorum hæreticorum,* invenitur in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 67. pag. 133—134; 2°. utrum et quomodo parochus assistere possit matrimoniis *mixtis,* habes in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 179. sqq. præsertim n. 197. pag. 75.; 3°. utrum et quomodo parochus possit assistere matrimonio publici peccatoris, ostenditur in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 102. pag. 161.; 4°. genera quædam hominum, uti »liberi pensatori = Freidenker« = qui circa religionem nulli legi subjectos se autumant, vel »muratores«, reducuntur aut ad *hæreticos.* S. C. Inq. dd. 30. Jan. 1867. et 25. Maji 1897. ad I^um., aut ad *publicos peccatores,* ibidem ad I^um. et II^um., aut ad censuratos, de quibus nunc loquendum. Nihil in hac re satius ducimus quam ut responsum S. Pœnitentiariæ d. 10. Dec. 1860. hic in extenso ponamus: n. 18. Quid agere debeant parochi in celebrandis matrimoniis notorie censuratorum?*)

*) „Come debbano i Parrochi regolarsi nella celebrazione dei matrimonii di coloro, che notoriamente fossero incorsi nelle censure ecclesiastiche." R. „Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia *reconcilientur:* at si reconciliari recusent, et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis quæ a probatis auctoribus,

Titulus XVII.

Qui filii sint legitimi.

1. In legibus civilibus hoc erat receptum principium: 'Filius est quem justæ Nuptiæ demonstrant'. Hoc principium a nostro jure adoptatum est; c. 2. h. t.

Justitia autem seu veritas nuptiarum non a civilibus, sed a legibus ecclesiasticis determinatur; ita scilicet ut nuptiæ justæ et veræ illæ sint, quæ a nulla lege ecclesiastica irritante prohibeantur. Quare qui hisce nuptiis constantibus nascuntur filii, habentur uti proprii et legitimi, quamvis constet mulierem non semel fuisse adulteram.

2. Hæc vero *præsumptio* legitimitatis filiorum, absolute loquendo, est solummodo *juris*. Quare non excluditur probatio directe contraria; c. 4. h. t. Hæc probatio deducitur ex separatione conjugum, et ex absentia, vel impotentia temporanea, vel alio impedimento viri.

3. Immo favor legitimitatis in jure tantus est, ut legitimi habeantur filii nati ex matrimonio nullo, quod ab utroque conjuge, vel saltem ab alterutro uti validum retinetur — matrimonium *putativum* — c. 14. h. t. dummodo tamen matrimonium non fuerit contractum *clandestine*, idest absque præviis denunciationibus, vel contra vetitum Ecclesiæ. Quo in casu ob defectum debitæ diligentiæ a jure præscriptæ, bona fides conjugum filiis non prodest, quia a jure non præsumitur bona fides parentum, qui impedimentum scivisse, vel saltem affectatæ ignorantiæ rei fuisse videntur, idest ideo debitam diligentiam omisisse, ne impedimentum si quod esset, detegeretur. c. 3. *De clandest. desp.* (IV. 3) §. »Si quis«.

4. Adhibitis autem solemnitatibus ab Ecclesia statutis, quælibet impedimenti ignorantia, sive juris, sive facti, dummodo cæteroquin non sit affectata, prolis legitimitati juvat. Ex sensu enim c. 3. citati, nocet legitimitati filiorum solummodo *scientia* vel *affectata ignorantia* impedimenti dirimentis.

---

et præsertim S. Alphonso (Lib. VI, tract. 1. cap. 2, n. 54.) traduntur. ea declaret quæ magis expedire in Domino judicaverit, *exclusa tamen semper Missæ celebratione*". Cfr. etiam responsum ejusdem S. Pœnitentiariæ d. 5. Julii 1856. ad II^{um}. ubi expresse restrictio fit ad excommunicatos *toleratos*. (*Monitore Ecclesiastico* vol. I. pag. 543 et 189).

5. Filii qui non nascuntur ex matrimonio valido, vel saltem putativo in sensu explicato dicuntur *illegitimi.* Illegitimi autem dividuntur in varias classes. Alii dicuntur illegitimi *naturales,* scilicet qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore vel conceptionis, vel gestationis vel nativitatis matrimonium consistere potuisset. Qua in re jus canonicum correxit jus civile, juxta quod *naturales* dicebantur filii nati ex concubina. Concubinatus autem qui a civilibus legibus quadam honestate decorabatur prorsus condemnatus est ab Ecclesia c. 4. C. 32. q. 4. et Conc. Trid. s. 24. *De ref. matr.* c. 8. Non enim alia conjunctio carnalis maris et feminæ inter fideles admitti potest tamquam legitima, quæ non fuerit matrimonio consecrata.

6. Alii illegitimi dicuntur ex Jure Civili *spurii,* quique vel *quæsiti,* vel *nothi* vulgo dicuntur. Hi sunt qui incertum habent patrem, et proinde nati sunt ex meretrice. l. 23. ff. *De statu hominum.* Jure autem Canonico sub genere spuriorum veniunt filii nati ex parentibus inter quos neque saltem tempore nativitatis poterat matrimonium consistere. Hinc genus hujusmodi comprehendit etiam filios natos ex damnato coitu, quorum alii *adulterini* appellantur qui nempe ex adulterio nascuntur; alii dicuntur *incestuosi,* quorum nempe parentes ligantur vinculo consanguinitatis vel affinitatis in linea obliqua, vel vinculo cognationis spiritualis vel legalis vel quasi-affinitatis; alii *nefarii* appellantur, quorum parentes consanguinei sunt vel affines in linea recta; alii *sacrilegi,* qui nempe nati sunt ex Religioso, vel Moniali, vel Clerico in sacris ordinibus constituto. cfr. tit. *De filiis Presbyterorum* (I. 17) n. 2.

7. Illegitimitas exprimit defectum juridicum personæ, quia jus considerat personam quasi maculatam culpa ipsa parentum. Scilicet filii illegitimi, coram societate, referunt signum et quandam imaginem incontinentiæ parentum, cujus vitii, experientia teste, non raro imitatores fiunt.

At quoniam defectus ex natalibus est juridicus, non autem in ipsa persona realiter exsistens, hinc ab ipso jure invectum est remedium *legitimationis.* Hæc legitimatio pluribus modis fieri potest.

8. I^us^. modus est per *subsequens matrimonium* inter parentes filii illegitimi. Ita in cc. 1. et 6. h. t. Et quidem conceptus juridicus hujus *legitimationis,* juxta Doctores, est ut per fictionem juris retrotrahatur matrimonium ad tempus, quo filius vel conceptus

vel saltem natus est. Quare per subsequens matrimonium legitimantur omnes et soli filii illegitimi naturales, non autem spurii, cujuscumque sint speciei. Cit. c. 6. h. t. Non enim per fictionem juris supponi potest matrimonium, eo tempore, quo a lege irritante matrimonium prohibebatur. At naturales quidem illegitimi legitimantur. Et hæc quidem conclusio valet licet matrimonium sit solummodo ratum, licet contrahatur a sene vel infirmo, in remedium conscientiæ, quia semper est matrimonium.

9. Controvertitur inter Doctores, utrum legitimatio prolis sequatur ex matrimonio non vero. sed putativo, quod nempe uti validum ex bona fide reputatur. Si attendatur modus loquendi canonum, canones effectum legitimandi non tribuunt bonæ fidei, sed *ipsi matrimonio.* Ergo eo deficiente, videtur non fieri legitimatio.

At contrariæ sententiæ sua non deest ratio. Nam cum defectus natalium sit solummodo defectus legalis, idest coram societate, videntur satisfecisse conditioni ad illum tollendum conjuges, qui omnia posuerunt, quæ sufficiunt ad inducendam in societate credulitatem legitimi matrimonii.

Et quidem modus hic legitimationis ob favorem matrimonii *amplissimus* est, ita ut filii nati ex utroque parente libero, legitimentur, non solum quoad paternam *hæreditatem,* sed etiam quoad *Ordines,* et *honores. Gloss.* in c. 6. Conceditur enim hæc legitimatio ab ipsa lege; et revera legitimus est filius, quem lex legitimum habet.

10. Verum hic favor matrimonii non impedit quominus quoad aliquos effectus civiles, et quoad jura nobilitatis specialis, vel status, vel fundationis, legitimati per subsequens matrimonium, legitime natis non comparentur.

11. Insuper ex Const. *Sixti V. Postquam.* d. 3. Dec. 1586. ad Cardinalatum assumi non possunt qui legitimi facti sint per subsequens matrimonium. Ab assumendis enim ad hanc dignitatem, quamcumque illegitimitatis notam arcendam esse decernit.

12. Secundus modus legitimandi procedit per *rescriptum Principis*, c. 13. h. t., ex quo patet Romanum Pontificem quoad jura *spiritualia* posse quidem legitimare *quoscumque* illegitimos in universa Ecclesia, quoad vero jura *civilia* posse id efficere solummodo in *statibus* jurisdictioni temporali ejusdem subjectis.

13. Aliquando autem *indirecte* legitimatio Pontificis potest effectum etiam civilem parere; c. 13. h. t. Scilicet si aliquod

jus civile adnexum est alicui dignitati Ecclesiasticæ, et aliquis legitimus fiat ad dignitatem illam assequendam, obtinet etiam jus civile adnexum. Quo in casu Rescriptum Pontificis directe operatur relate ad officium seu jus Ecclesiasticum, indirecte autem relate ad jus civile. Exemplum afferunt de feudo adnexo alicui Episcopatui.

14. Quoad legitimationem ex Rescripto Principis, adnotandum est legitimationem concessam a laico Principe non reddere personam habilem ad ordines et ad beneficia Ecclesiastica. Laicus enim Princeps non habet potestatem in rebus spiritualibus.

15. Quoad vero utriusque Principis ecclesiastici et sæcularis legitimationem animadvertendum est, per ipsam in genere concedi omnia jura, quæ legitimis competunt. Duplex autem fieri debet limitatio. 1°. Limitari possunt per aliquam *clausulam* jura quæ conceduntur. 2°. Princeps per rescriptum non præsumitur concedere legitimationem in *præjudicium* jurium tertii, vel statuti, aut consuetudinis particularis. Hinc nisi adsit clausula derogans, hæc jura integra manent. Ex. gr. si adsint filii legitimi, illegitimus factus legitimus per rescriptum Principis non admittitur in successionem bonorum paternorum, nisi adsit hæc clausula 'non obstante quod adsint filii legitimi'.

16. Similis exposito est alius modus legitimandi, nempe *dispensatio.* Hic modus in eo consistit, ut si aliquis ob defectum natalium non possit jus aliquod particulare obtinere, ex dispensatione superioris illud jus assequatur.

Quare legitimatus ad Ordines Minores, vel beneficia simplicia obtinenda, non censetur legitimatus ad Ordines Majores et beneficia duplicia. Qui legitimatur ad Ordines Majores, non censetur legitimatus ad Prælaturas, quia dispensatus illud solum jus consequitur, pro quo dispensationem obtinuit, nisi aliud jus in primo contineatur.

17. Specialis est dispositio *Gregorii XI.* in Const. 'Etsi' d. 11. Nov. 1374; in qua statuit illegitimos ex dispensatione legitimatos cum clausula ut possint obtinere Canonicatus, vel Dignitates in quibusvis cathedralibus, metropolitanis, et patriarchalibus Ecclesiis, non posse promoveri ad canonicatus dignitates in tribus Ecclesiis Patriarchalibus Urbis Romæ, nisi in literis dispensationis mentio fieret de eisdem Patriarchalibus Ecclesiis, et de eadem Gregoriana Constitutione.

18. Si quæratur quinam Superior in Ecclesia dispensare possit in *defectu natalium,* reponimus: potest Pontifex habilitare illegitimos ad omnes Ordines, et ad omnia beneficia Ecclesiastica c. 13. h. t. Romanus enim Pontifex est supra jus commune. Episcopus autem in sua Diœcesi potest dispensare in defectu natalium ad suscipiendos Ordines Minores, et ad obtinenda beneficia simplicia. Ita in c. 1⁰. *'De filiis presbyterorum'* (I. 11) in 6⁰.

19. Tandem modus legitimandi est *Professio religiosa* quæ tamen legitimatio concedit quidem habilitatem ad ordines usque ad Presbyteratum *inclusive,* non autem habilem reddit personam ad Prælaturam.

Modus autem hic imitatur quodammodo veterem legitimandi modum, qui fiebat per *Oblationem Curiæ.* Siquidem liberi illegitimi offerebantur Curiæ pro substituendis officiis ejusdem, et si Princeps recepisset illegitimum, hic fiebat legitimus.*)

Titulus XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari.

1. Matrimonium accusat *'qui accedit ad Judicem competentem, sive judicialiter, sive extrajudicialiter cum intentione vel impediendi matrimonium contrahendum, vel dissociandi jam contractum'.* Quomodo quis agere possit contra matrimonium *contrahendum,* jam vidimus in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) nn. 15. sqq. pag. 110. — Quando agitur de matrimonio nullo ob impedimentum dirimens, non solum ipsi conjuges et propinqui in gradibus proximis, aut alii quorum interest, matrimonium vel impediri si contrahendum, vel dissolvi si celebratum fuerit, sed *quicumque* ex populo, qui impedimentum cognoscit, *potest,* et generatim etiam *tenetur,* illud Judici revelare. Ita ex sensu c. 3. h. t. Ratio est ne sub specie conjugii damnata commercia viri et mulieris foveantur. Quare accusatio hujusmodi recensetur inter causas populares, in quibus juxta Romanum jus quisque de populo agere poterat.

---

*) Ceterum quoad illegitimos eorumque legitimationem cfr. tit. *De filiis presbyt.* (I. 17) totus. Verumtamen lectoribus quibus non præsto est lib. I. h. Com., materiam hic quoque expositam relinquendam duximus.

2. Hæc sunt generaliter dicta; in specie præ oculis versari debet Instructio S. C. Inq. d. 20. Jun. 1883. quam ponemus inferius in *extenso*. Ex hac Instructione pauca desumimus: »Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et juridica accusatio præcesserit; quæ nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quæ communi jure *habiles* ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis *ipsi conjuges* tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam *quilibet* de populo; ac tandem *ex officio* etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando præsertim contra alicujus matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis præseferens de alicujus impedimenti exsistentia divulgata sit«. I. *Ipsi conjuges tantum* uti accusatores admittuntur: in impedimento *impotentiæ,* §. 45. ejusdem Instructionis: »Ad impugnandum ex capite impotentiæ matrimonium solummodo conjuges admittuntur, quia ipsis sollummodo hoc factum cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent«. Excipiendus autem est casus ubi impotentia est *notoria,* ne publicum scandalum creetur. Cl. *Gasparri:* c. l. II. n. 1181. adjungit casui impotentiæ duos alios, sc. accusationem contra *matrimonium ratum non consummatum* et contra *valorem sponsalium;* attamen in neutro casu agitur de accusando matrimonio: non in *priore* ubi validitas matrimonii expresse agnoscitur cum dispensatio petatur, non *in altero,* uti per se patet; ceterum non desunt casus ubi innocens tantum pars valorem sponsalium impugnare potest; cfr. tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 52 sqq. pag. 17.

II. Unus tantum conjugum potest accusare matrimonium quando agitur de impedimentis juris privati: sc. *erroris substantialis* sive circa *personam,* tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 134. sqq., sive circa *rem,* ibidem n. 138., et erroris circa *conditionem servilem,* tit. 9. h. l., Instructio Austriaca; §. 116.; — item *vis et metus,* Instr. Austriaca: §. 116. et Instructio S. C. Inq. d. 20. Junii 1883. §. 35.; — item *conditionis non verificatæ,* Inst. Austr. §. 117.; — item *impubertatis.* c. l. §. 119.; — item *raptus* §. 120.; — item *ligaminis* in quibusdam circumstantiis, sc. »quando — impedimento ligaminis mutatione facti sublato — una pars, dum invalidas celebraret nuptias, impedimenti exsistentiam absque sua culpa ignoraverit, altera quæ

impedimenti conscia fuerat, matrimonium accusandi jure haud potitur«. Verumtamen jus accusationis cessat quando impedimentum de quo agitur, legitimo modo purgatum fuit revalidato matrimonio.

III. In ceteris impedimentis, e. gr. consanguinitatis, clandestinitatis etc., qui ita conjunctis sunt sanguine propinqui accusare matrimonium possunt, vel etiam quilibet de populo. At etiam hic statuendæ sunt *exceptiones.*

3. Hinc ab accusando 1°. repelluntur, qui accusare dignoscuntur ad *turpem quæstum* faciendum, c. 5. h. t.

4. Necnon 2°. repelluntur *qui tempore denunciationum cognitum impedimentum non manifestaverunt,* quia præsumuntur agere non juxta rei veritatem, sed ad vexam creandam pacificis conjugibus, et proinde merito uti suspecti prohibentur. Excipitur casus, quo aliquis posset allegare ignorantiam denunciationum. Ita in c. ult. h. t.

Etsi in aliquibus impedimentis unus vel uterque conjux tantum accusare matrimonium possit et in ceteris suspecti ab accusatione repellantur, nihilominus quando impedimentum quoddam a quavis persona denuntiatur, judex ecclesiasticus hac denuntiatione uti poterit, ut instituat *inquisitionem.*

5. Juxta c. 2. h. t. accusatio fieri debet *personaliter,* nec admittitur accusatio per epistolam. Ratio est quia accusatio est actus odiosus nec facile admittendus, qui insuper inservire debet ceu basis judicii instituendi.

6. Circa *tempus* utile ad proponendam accusationem notamus non valere dispositionem civilem præscriptionis 30 vel 40 annorum juxta ll. 3. et 4. C. *De præscriptionibus 30 vel 40 annorum,* sed etiam post lapsum hujus temporis a celebrato matrimonio accusationem proponi posse. Ratio est quia matrimonium invalidum non redditur validum per lapsum temporis, idest per præscriptionem.

7. Quæritur *quinam testes esse possint contra matrimonium?*

Etiam quoad testes matrimonium censetur causa popularis ob peccatum vitandum. Hinc omnes admittuntur ad testimonium faciendum contra conjugium, dummodo *notitiam* impedimenti habuerint, nec sint *suspectæ fidei* [arg. c. 17. *De testib.* (II. 20)]. Quare etiam propinqui, immo pater contra matrimonium filii, et viceversa, potest testis esse c. 3. h. t. Qua in re derogatum est generali regulæ c. 2. §. 2. C. 35. q. 6. juxta quam regulam nec

pater filii, nec filius patris testis est idoneus. Ratio derogationis est, quia propinqui censentur præ aliis *arcere velle periculum peccati,* et quia præsumitur impedimentum *cognosci facilius* a propinquis, quam ab extraneis, præsertim si sermo sit de consanguinitatis, et affinitatis, necnon de impotentiæ impedimento. Propinqui enim cognoscunt facile stipitem communem, et facile inter propinquos ob fiduciam revelatur impotentia alterius conjugis. Quæ ordinaria agendi ratio causa fuit, cur in probatione impedimenti impotentiæ inducta fuit praxis audiendi testimonium *septimæ manus* propinquorum.

8. Ceterum ipsorum conjugum testimonium, etiam juramento firmatum non facile admittitur ob periculum collusionis; c. 5. *'De eo qui cognovit'* (IV. 13).

9. Ad complementum materiæ tituli Doctores quærunt, *quinam sit Judex competens causarum matrimonialium.*

1°. Sub nomine causarum matrimonialium principaliter veniunt causæ, quæ respiciunt *vinculum matrimonii.* Jam vero exsistentia vel nonexsistentia vinculi conjugalis inter fideles pendet ex valore vel nullitate Sacramenti. Quare causæ matrimoniales exhibent naturam causarum spiritualium, et proinde apud Judices *Ecclesiasticos* sunt pertractandæ et definiendæ, quemadmodum definit Concilium Tridentinum in can. 12. sess. 24. *De ref. matr.,* non autem tractari ac definiri possunt a judice *laico;* cfr. Syllabum *Pii IX.* n. 74. necnon sæpe cit. Instructionem d. 20. Junii 1883 in proœmio, ubi legitur: »Legitima Ecclesiæ potestas ad quam causæ matrimoniales *unice* spectant«.

10. Verum jure ordinario in prima instantia non a quolibet Judice Ecclesiastico, sed a tribunali *Episcopi* tractandæ et definiendæ sunt. Hinc a Judice ordinario inferiore Episcopo ex jure proprio non possunt videri et decerni causæ hujusmodi. Trid. sess. 24. *De ref. matr.* c. 20. Diximus a tribunali Episcopi. Unde etiam a *Vicario generali* possunt hujusmodi causæ tractari; et quoniam *Vicarius capitularis* obtinet jurisdictionem ordinariam Episcopi juxta c. 11. *De major. et obed.* (I. 33), sequitur etiam Vicarium capitularem easdem causas cognoscere et judicare posse.

Constat dissolutionem matrimonii non consummati spectare solum ad *Summum Pontificem;* unde sequitur Episcopum ceterosque Papâ inferiores hierarchos sine speciali permissione S. C. Concilii pro unaquaque vice impetranda ne instituere quidem processum

in ordine ad efflagitandam dispensationem super matrimonio rato tantum posse, S. C. Concilii in *Varsavien.* d. 16. Junii 1894. ad II^{um}.

Regulariter est Episcopus *mariti,* apud quem accusatio facienda est. Attamen in causa *separationis* a thoro et cohabitatione accusatio fieri debet apud Episcopum alterius partis, in casu autem malitiosæ desertionis pars deserta accusationem faciat apud proprium Episcopum; §. 96. Instructionis Austriacæ.

11. 2^0. Si sermo sit de quæstionibus *connexis cum quæstione vinculi,* patet etiam illas videndas et definiendas esse a Judice Ecclesiastico.

Nam diversa resolutio quæstionis connexæ inducit diversam opinionem super valorē vinculi. Hinc quæstio de *legitimitate prolis* non ad judicem civilem, sed ad Ecclesiasticum pertinet, quia legitimitas prolis est proprius et immediatus effectus validi matrimonii, nec supposita validitate matrimonii potest denegari legitimitas prolis, et viceversa.

Pariter quæstiones de *sponsalibus, impedimentis, denunciationibus*, necnon quæstiones *de separatione quoad torum et cohabitationem* pertinent ad judicem Ecclesiasticum; quia quæstiones hæ sunt quæstiones vel juris vel facti connexi cum ipso matrimonii vinculo.

12. 3^0. Quæstio esse potest circa *jura civilia* ex. gr. dotis, successionis, et honorum familiæ. Quæstiones hujusmodi quamvis exoriantur occasione matrimonii, per se civiles sunt, objectum enim habent civile, et si matrimonium respiciunt, illud respiciunt solummodo relate ad effectus civiles. Quare si principaliter tractantur quæstiones hujusmodi, apud Judicem civilem sunt proponendæ; cfr. dicta in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 106. pag. 36.

13. Sed si *incidentaliter* proponantur in causa ecclesiastica coram Judice Ecclesiastico, poterunt ab eodem tractari et definiri tamquam partes et accessiones ejusdem judicis principalis, quia judex potest videre causas ordinis inferioris incidentes in causa principali suæ jurisdictioni subjecta.

14. Dixi *inferioris ordinis,* quia si causa incidens est superioris ordinis, quemadmodum est causa spiritualis præ temporali, ob majorem nobilitatem spiritus præ materia non potest judex causæ principalis videre quæstionem incidentem. Hinc in causa legitimæ successionis hæreditariæ, si quæstio moveretur circa valorem matrimonii, judex laicus procedere non posset in causa, sed

exspectare deberet donec Judex Ecclesiasticus viderit causam matrimonialem.

15. Qua in re advertendum est Doctores concedere judici laico facultatem videndi causas spirituales, quando respiciunt *nudum factum,* ex. gr. utrum contigerit necne matrimonialis contractus, vel solummodo concubinatus intercesserit. Item utrum locum habuerit necne factum collationis beneficii. Ratio hujus sententiæ Doctorum est quia nudum factum etiam in materia spirituali, cum per se jus non secumferat spirituale, potest considerari ceu res civilis, quæ non minus ecclesiastico judici, quam laico magistratui patere potest et de eo constare.

16. 4°. Si sermo fit de *punitione criminum,* quæ relationem habent cum *matrimonio,* ut sunt adulterium, incestus, causa est mixti fori, hinc datur locus præventionis. Causæ enim hujusmodi æque habent ad Ecclesiam et ad civilem societatem relationem. Sed re bene perspecta, juri magis consonum videtur si causæ quæ instituantur *directe* ad punitionem et vindictam criminis proponantur in *laico* tribunali; causæ autem, quæ occasione criminis instituuntur in ordine ad jura et obligationes conjugales, vel suspendendas, vel tollendas per divortium perpetuum proponantur coram Judice *Ecclesiastico:* c. 5. *De Procurat.* (I. 38); in quo causa adulterii ad pœnam legalem tractari dicitur in tribunali laico, causa autem adulterii ad separationem thori tractari dicitur in ecclesiastico tribunali; de hoc vide etiam tit. *De foro comp.* (II. 2) nn. 4. sqq. pag. 14.

17. Non absque utilitate erit hic inserere Instructionem ad Patriarchas etc., Rituum orientalium in causis Matrimonialibus adhibendam, probatam a S. C. Inq. d. 20. Junii 1883.

Instructio.

»Quemadmodum matrimonii fœdus tamquam officium naturæ proli educandæ, aliisque maximi momenti bonis consequendis perpetuam et individuam vitæ consuetudinem inter conjuges exigit, et eo sanctius tamquam Ecclesiæ Sacramentum indissolubile sit oportet, ajente Domino: *quod Deus conjunxit, homo non separet;* ita non minus quando cum aliquo ex impedimentis, quæ dirimentia nuncupantur, initum atque idcirco verum matrimonium non fuerit, a legitima Ecclesiæ potestate, ad quam causæ matrimoniales unice

spectant, irritum ac nullum ut judicetur seu declaretur, ipsa Sacramenti dignitas, ratio justitiæ, et animarum salus postulat.

Verum quanto studio quantaque solertia opus sit, ut in singulis casibus alicujus impedimenti dirimentis exsistentia solide comprobetur, experientia quotidiana testatur. Nam et nonnulla impedimenta sunt ipsa per sese probatu difficillima, et sæpe contingit, ut facta ex quibus probationes erui debent, ita sint implexa, iisque circumstantiis involuta, ut difficillime eadem explicari, et de iisdem judicium proferri queat. Hinc est quod Sancta Sedes pro ea sollicitudine, qua tanti Sacramenti dignitati, administrationi justitiæ, et animarum saluti cautum semper voluit, numquam omisit, editis opportune sive Constitutionibus Apostolicis sive Instructionibus, regulas præscribere, quarum ope in casibus etiam difficilioribus veritas tuto detegi et judicium recte ferri posset.

Experientia tamen compertum est, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos diversorum rituum *orientalium* ob speciales conditiones, in quibus eorum diœceses versantur, non semper posse iisdem Apostolicis Constitutionibus atque Instructionibus quoad omnia sese conformare, nec proinde semper consequi plenam illam processuum et judiciorum legalitatem, quæ tantopere desideranda esset in hujusmodi causis definiendis.

Quare ut, quantum fieri potest, ss. canonum præscriptiones in re tanti momenti religiose serventur et simul consulatur specialibus conditionibus, in quibus versantur tribunalia ecclesiastica penes orientales, Summus Pontifex specialem Instructionem pro prædictis tribunalibus jussit exarari, quæ ab iis omnibus, ad quos spectat, accuratæ exsecutioni mandetur.

Tit. I. De accusatione matrimonii.

1. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et juridica accusatio præcesserit; quæ nunquam erit admittenda nisi proficiscatur a persona vel personis, quæ communi jure *habiles* ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis *ipsi conjuges* tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam *quilibet* de populo; ac tandem *ex officio* etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando præsertim contra alicujus matrimonii validitatem simplex

denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamentum veritatis præseferens de alicujus impedimenti exsistentia divulgata sit.

2. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in *scripto* si oretenus facta fuerit, *judicialis* reddenda erit juxta regulas communi jure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

3. In ea, præter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia *adjuncta* necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi *testes* de re instructi ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendæ.

Tit. II. De tribunali constituendo.

4. Accusatione sic recepta, munus *moderatoris* actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui *cancellarii* officio fungens quidquid ad causam pertinet, in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.*)

5. Præterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum, quatenus haberi possit, juris scientia et vitæ probitate præditum, qui *matrimonii defensor* exsistat. Eum vero suspendere vel removere, si justa causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

6. Prædictæ deputationes et delegationes in *scriptis* ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

7. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare, ut in judicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui jus habent, petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quæ omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.**)

---

*) Accuratius describitur constitutio tribunalis in *Instructione Austriaca* (in Actis et decretis ss. Conciliorum recentiorum — *Collectio Lacensis.* — a Presbyteris Societatis Jesu congestis. Friburgi Brisgoviæ apud Herder. 1879.) §§. 97—100. ubi consiliarios quoque esse adhibendos exhibetur.

**) Singuli hi judicii ordinarii actus exponuntur in lib. II. hujus Commentarii in tt. *De libelli oblatione* (II. 3) n. 4. pag. 26., *De dilationibus* (II. 8) pag. 59.

8. Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore *juramentum* præstabit tactis Sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum, quæ ad validitatem matrimonii sustinendam conferre judicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quælibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque ejus scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

9. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu, eadem ipsi traduntur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendæ matrimonii validitati necessarias judicaverit; si alia acta suggesserit, hæc conficienda omnino erunt; si ex jam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subjiciendas proponet.*)

Tit. III. De methodo sequenda in actis conficiendis.

10. Constituto tribunali, hæc actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia juramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulet, etiam de secreto servando, præmissa congrua monitione de juramenti sanctitate, præsertim si examinandi rudes sint et ignari. Juramentum præstandum erit, tactis Sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.**)

11. Qui examini subjiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cujuslibet examinis nec non singulorum nomen, cognomen, ætatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod juramentum revera præstiterint.

*) Quid defensor matrimonii præstare possit ac debeat, fusius explicatur in Instructione S. C. Concilii d. 22. Aug. 1840., de qua supra in tit. *De frigidis* (IV. 15).

**) Cfr. etiam Instr. Austriacam in §§. 162 et 163. Non requiritur juramentum *calumniæ* (super credulitate accusatoris), sed solum juramentum *de veritate dicenda* et interdum, ne collusio fiat, etiam juramentum *de secreto servando*. Secretum autem hoc servari debet circa interrogationes et depositiones in judicio factas idque usque ad publicationem processus; cfr. tit. *De jur. calumniæ* (II. 7) n. 6. pag. 58.

12. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subjicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum Cru†cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.*)

13. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quorum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quæ concinnatis opportunis interrogationibus de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum, e clero eligendum, eos examini subjiciat juxta datas interrogationes, requisito prius juramento de veritate dicenda, et ceteris servatis, quæ supra præscripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subjiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

14. Quoad singulos in judicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, literæ testimoniales exhibeantur, quæ etiam in actis erunt referendæ.

15. Inter examinandos primo loco venit ille, qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat, quæ vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes, quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

16. Secundo loco veniunt conjuges ipsi qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua jura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut rejicere, aut explicare queat. Quælibet pars examini subjecta poterit vel illico post examen, vel

*) Expressio „de actu rogare" transsumpta esse videtur ex Italica lingua in Latinam et significat „publicum instrumentum conficere super aliquo actu", e. gr. super contractu, depositione testis etc. Actus ipse vocatur rógitus (rógito).

etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter conjux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Juxta casuum diversitatem a conjugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad conjugalem vitæ consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quæ documenta cujuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt requirenda: et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

17. Si ambo conjuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant, utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem objiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

18. Post conjuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendæ, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiæ moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur, quæ ad rectum proferendum judicium aut necessaria aut opportuna censeantur.*)

19. Quæ in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem conjugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

20. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re

*) In regionibus quæ ad Orientales non pertinent, superius dicta circa interrogationes sunt observanda, sc. in Instructione anni 1840. in tit. *De frigidis* (IV. 15) n. 31.

decreto, ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

21. Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua jura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo præmonendæ erunt de hoc jure, ut lata sententia, injustæ contra eam incusationi aut reclamationi aditus præcludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatæ fuerint, communicandæ erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnet, refutare valeat.

Tit. IV. De sententiæ prolatione et publicatione.

22. Omnibus ut supra peractis, ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu ejus delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subjiciatur, et non nisi audito eorum voto, sententia proferatur.

Hæc in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione judicis et secretarii, nec non sigillo curiæ episcopalis munita partibus erit notificanda per curiæ apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda.

23. Judex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex conjugibus contra eam appellaverit; neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis conjuges judicio Prælati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit,*)

*) Hæc dispositio passa est immutationem ex decreto S. C. Inquisitionis d. 5. Junii 1889, hujus tenoris: „Quando agitur de impedimento *disparitatis cultus*, et evidenter constat, unam partem non esse baptizatam: *ligaminis*, et certo constat primum conjugem esse legitimum et adhuc vivere: *consanguinitatis aut affinitatis* ex copula licita, et *cognationis spiritualis*; denique *clandestinitatis* in locis, ubi decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatur, dummodo ex certo et authentico documento, vel in hujus defectu ex certis argumentis evidenter constet de exsistentia hujusmodi impedimentorum, Ecclesiæ auctoritate non dispensatorum, hisce in casibus, prætermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matri-

et novam sententiam ab alio tribunali postulare; quam appellationem primus judex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendæ nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen, ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de jure appellatio esset facienda.

24. Inspecta speciali conditione diœcesum orientalium, ordo appellationis erit, prout sequitur. Si prima sententia a curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam patriarchalem; si vero a curia patriarchali ea prodierit, appellabitur ad S. Sedem. Item ad eamdem S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primæ duæ sententiæ inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit causam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.*)

Tit. V. De secunda instantia.

25. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro pro-

---

monium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia." Sane circa hoc decretum maximi momenti quærebatur merito, utrum sit particulare an *generale*. Quod dubium resolvit S. C. Inq. in *Varsavien.* d. 16. Junii 1894. Etenim quæstioni „An decretum S. O. d. 5. Junii 1889. *generale pro universa Ecclesia* eatenus sit, ut in praxi judiciali liceat prætermittere quædam præscripta Const. Benedictinæ causamque una sententia decidere?" S. C. Inq. approbante S. Patre respondit: *Affirmative. (Monitore Ecclesiastico* vol. VIII. p. 2. pag. 122—123.) Et eadem S. C. Inq. hoc decretum applicavit celeberrimæ causæ *Parisien.* d. 6. Apr. 1895. quoad impedimentum *clandestinitatis.* Cfr. tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 81. pag. 141. c) et *Monitore Ecclesiastico* vol. IX. part. I. pag, 174—175.

*) Instructio Austriaca §. 101, hæc habet: „Appellatio ab Episcopo diœcesis (non exempto) ad Metropolitam provinciæ ecclesiasticæ, a Metropolita (vel Episcopo exempto) vero ad sanctam dirigitur Sedem." At nonnunquam tribunal episcopale, præsertim vero metropoliticum delegatione S. Sedis constituitur pro tertia (secunda) instantia, sic teste cl. *Aichner* in *Compendio* §. 215. 2°. (pag. 739, editionis) not. 11) in Austriaco imperio „pro archidiœcesi tum *Vindobonen.*, tum *Salisburgen.* tribunal archiepiscopale *Pragense* constitutum est pro secunda instantia; a judicio eccl. *Pragensi* appellatur ad *Olomucense*: ab *Olomucensi* ad *Vindobonense*" — et not. 16) „in regno *Bavariæ* metropoliticum tum *Monacense*, tum *Bambergense* pro certo districtu (sc. prius pro altero et viceversa) tamquam tertia instantia designatum est."

cessu, ceterisque omnibus ad causam iterum judicandam pertinentibus ad tribunal, ad quod appellatum est.

26. Hæc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget, quæ necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, præsente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, conjuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes a quibus novas informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam præscribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validæ desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, præsertim si personarum et locorum circumstantiæ id suaserint, ut processu jam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias judicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adjungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova hæc eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit, proprias animadversiones illis opponere valeat.

27. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, judex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius modo, quo supra declaratum est; aliquibus viris in scientia juris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando, quæ pro tribunali primæ instantiæ præscripta fuerunt.

28. Quando utraque sententia conformis pro validitate conjugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda æque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem judicatam; sed si nova

res, quæ non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste injusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique conjugi prohibitio ad alias transeundi nuptias«.

Pars altera de causis matrimonialibus in specie tractat et quidem in articulo 1°.: *De impedimentis cognationis carnalis vel spiritualis, et affinitatis;* in articulo 2°.: *De impedimento publicæ honestatis;* in articulo 3°.: *De impedimento vis et metus;* in articulo 4°.: *De impedimento ligaminis;* in articulo 5°.: *De impedimento impotentiæ;* in adnotatione speciali: *De impedimento Voti Solemnis et Ordinis Sacri.* Cfr. *Monitore Ecclesiastico* vol. IV. p. 2. pag. 37—46.

Titulus XIX.

De divortiis.

1. Divortium a divertere nil aliud est quam *resolutio consuetudinis vitæ individuæ quæ a matrimoniali contractu inducitur.* Hæc dissociatio si fiat relate ad *vinculum,* idest ita ut partes contrahentes plenam libertatem recuperent et ad alia vota transire possint, dicitur *divortium plenum. Minus* autem *plenum* dicitur *divortium,* quando manente vinculo conjugali, dissociatio fiat solummodo quoad torum et cohabitationem.

De divortio pleno.

2. Matrimonium ratum et consummatum inter fideles dissolvi nequit et dissociari quoad vinculum. Hinc lex est (Rom. VII. 2) nonnisi per modum naturalem solvi hoc matrimonium fidelium. 'Mulier vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri.' Cfr. *Matth.* XIX. 6; *Gen.* II. 24. *Tridentinum* in cn. 5. sess. 24. Objectioni ex c. 7. h. t. respondebitur inferius.

3. Quid vero dicendum de matrimonio *infidelium?* Juxta cc. 4. *De consang. et affin.* (IV. 14), et 8. h. t. matrimonium infidelium est verum matrimonium, quia repræsentat officium naturæ. Quare in jure dicitur matrimonium *legitimum*, ad illud distinguendum a

matrimonio *rato*, quod inter fideles est sacramentum. Jamvero matrimonium legitimum infidelium *suam* etiam habet *indissolubilitatem*. Matrimonium enim est semper contractus qui dirigitur ad mutuam et perennem societatem inter virum et uxorem. Hinc inspecto ipso jure naturæ, apparet indolem propriam matrimonii esse ut sit contractus stabilis et non transiens. Nam finis procreationis et educationis prolis, necnon mutuum adjutorium excludunt mutabilitatem personarum, et insinuant ideam individuæ vitæ consuetudinis, qua uterque finis expositus melius obtineri possit.

4. At rigor juris naturalis non videtur requirere in matrimonio infidelium proprie dictam indissolubilitatem, quæ in matrimonio christiano oritur ex ratione sacramenti. Nam 1°. solubilitas matrimonii *veri* (sc. inter non-baptizatos, c. 7. h. t.) non videtur *absolute* et *essentialiter* opponi finibus *principalibus* matrimonii. 2°. Solubilitatem aliquam probat etiam *libellus repudii* Judaeis a Moyse ob duritiam cordis eorundem permissus, quamvis theologi in explicandis effectibus ejus, sc. utrum liberaverit tantum a pœna an et a pœna et a culpa, non sint ejusdem opinionis; cfr. *Benedictum XIV.* in Const. »*Apostolici ministerii*« d. 16. Sept. 1747. (*Bullarium* ejusd. Pont. II. n. 38.). Item 3°. *privilegium fidei*, de quo infra. — Attamen ex hisce rationibus nequit induci indissolubilitatem matrimonii *veri* repetendam esse ex solo jure *divino-positivo* intimato per verba Adami in *Genes.* II. 24.: »Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suæ«, sed haec verba et legem Dei positivam et *naturalem* legem promulgant, quam Christus Dominus in valore primævo restituit apud *Matth.* XIX. 4 sqq. — Rationes autem supra allatæ non cogunt; etenim non agitur de jure naturali *primario*, sed *secundario* cui ob legem juris naturalis majorem concurrentem derogari potest, e. gr. in casu privilegii fidei. — Cfr. tit. *De sponsa duorum* (IV. 4) n. 5. pag. 167.

Libellus repudii per Salvatorem abrogatus nullum omnino habet valorem. Hinc proscriptus est mos, seu potius abusus, quo maritus hebræus conversus ad fidem mittebat uxori adhuc infideli libellum repudii juxta ritum judaicum, ut libera esset mulier a vinculo conjugii et ad alia vota transire posset.

5. Vidimus matrimonium verum sive legitimum dissolvi posse quoad vinculum ex *privilegio fidei*. Privilegium hoc promulgatum est ab Apostolo *Paulo* in 1. *Cor.* VII. 15. hisce verbis: »Quodsi

infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus«. *Innocentius* autem *III.* hunc locum in c. 7. h. t. ita est interpretatus: »Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait apostolus: *si infidelis discedit, discedat. Frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi:* et canonem etiam, in quo dicitur *(quod) contumelia creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur*«.

6. *Uberior explicatio.* I. Privilegium hoc non valet nisi pro casu *conversionis.* Ergo non valet pro casu *perversionis.* Sane casus perversionis *Innocentio III.* proponebatur in specie c. 7. h. t. »Nos igitur«, ait Pontifex, »consultationi tuæ respondentes distinguimus, *licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur,* an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim vel decidat in gentilitatis errorem.« In priore casu matrimonium potest dissolvi, in altero vero minime, licet in hoc casu major appareat contumelia creatoris; quia sacramentum fidei . . . ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus, eo durante, perduret«. Quid sibi volunt verba »licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur«? Quis erat ille prædecessor? Glossa adnotat l. c. v. »Prædecessor«: »Scilicet Cælestinus, dictum cujus habuisti *olim* in decretali *De conversione infidelium* cap. *Laudabilem* (= c. 1. X. [III. 33]), et male dixit Cælestinus«. De qua glossa loquens cl. *Gasparri* c. l. II. n. 1083.: »Sed glossator, ait, dormiens hæc scripsit; nam in eo capite nec vola nec vestigium hac de re«. — Verum glossator minus pie quidem in Cælestinum scripsit, sed dormiens non erat; nam non dicit »Cælestini dictum *habes* in decretali« (c. 1. *De conv. inf.* [III. 33]), sed dicit »habuisti *olim*«; etenim in eo capite, uti est in Decretalibus quidem *Gregorii IX.,* nec vola nec vestigium hac de re invenitur, at in c. 2. h. t. in *2. Compilatione* hæc invenies: »Idem siquidem juris erit in sequenti casu, quem proponere studuisti, cum scilicet, Christiano viro, propter odium uxoris Christum negante, et sibi copulante paganam, et ex ea filios procreante, Christiana in opprobrium Jesu Christi relicta est, tamen assensu archidiaconi sui ad secundas nuptias

convolavit, et filios suscepit ex ipsis. Non enim *videtur nobis,* quod, si prior maritus redeat ad unitatem ecclesiasticam, eadem a secundo debeat recedere, et resignari priori: maxime cum ab eo visa fuerit ecclesiæ judicio discessisse, et, teste Gregorio, contumelia creatoris solvat jus matrimonii circa eum, qui relinquitur odio fidei Christianæ«. Ex hisce verbis nihil deduci potest contra Papæ infallibilitatem, cum neque *Cœlestinus* neque *Innocentius* quæstionem *definitive* decidere voluerit, uti ex verbis utriusque capitis luculenter apparet; cfr. *Bellarminum:* in libro *De controversiis;* controversia III. De Romano Pontifice, l. IV. cp. 14. (Lugduni 1596).

Privilegium fidei non valet: 2°. in casu dispensationis super impedimento *cultus disparitatis;* hoc S. C. Inq. sæpius declaravit sic annuente *Clemente XIII.* d. 5. Aug. 1759. ad IV^um.^; sic ad Vic. Ap. *Natal* d. 11. Julii 1886. ad VI^um.^; nam dispensatio super hoc impedimento danda non est nisi amoto periculo contumeliæ Creatoris. Quodsi promissis hac de re non obstantibus pars infidelis fidelem pertrahere conatur ad hanc contumeliam, separatio quidem fieri potest remanente tamen vinculo.

7. Hæc conversio II. non solum *inchoata,* sed *perfecta* sit oportet; nam fidelis quis est tunc quando recepit sacramentum fidei i. e. baptismum. Quare S. C. de Prop. Fid. d. 16. Jan. 1863. reposuit: »Verba illa S. Pauli *non* esse intelligenda *de catechumenis,* sed de baptizatis tantum«. — Proprie dici non potest conversio nisi quæ fit ad Ecclesiam catholicam; attamen baptizati omnes æquiparantur catholicis quoad matrimonium in odiosis (cfr. dicta in impedimento *cultus disparitatis,* tit. *De sponsalibus* [IV. 1] nn. 173 sqq. pag. 72. et *Benedictum XIV.* in Const. *Singulari nobis* d. 9. Febr. 1749. §. 11.), quare non etiam in *favorabilibus;* deinde valide baptizati merito vocari possunt fideles et fratres vel sorores ratione baptismi recepti.

8. Ad dissolutionem matrimonii veri (i. e. inter non baptizatos) non sufficit perfecta conversio, sed requiruntur ulteriora: III. *Discessus partis infidelis.* Inprimis præmittendum esse censemus: Tempore *Gratiani* et postea quoque nonnulli opinabantur conversione alterutrius partis matrimonii *veri* obligationem exstingui non quidem ratione vinculi, sed ratione cohabitationis.

Interpretabantur enim verbum Apostoli »non dimittat«, 1. *Cor.* VII. 12. et 13. de mero consilio, cfr. cc. 2., 8., 9. C. 28. q. 1. et

Freisen c. l. pag. 806., 812. sqq. — At hoc præceptum esse facile intelligitur; etenim si nullum periculum ex hac conjunctione parti fideli immineat, obligatur remanere cum parte infideli cum ex justitia, quia vinculum matrimonii non est dissolutum, tum ex caritate, ne partem infidelem periculo peccandi exponat, imo ejus animam pro Christo lucretur. Verum si cohabitatio partem fidelem periculo perversionis exponat, merito se separare potest, licet hoc periculum non proveniat a parte infideli, sed positum est in fragilitate partis fidelis.

Hoc præmisso ad propriam quæstionem accedamus. In quo consistit *discessus? Innocentius III.* in c. 7. h. t. respondet: 1. in eo quod pars infidelis *nullo modo* cohabitare vult; 2. in eo quod eadem pars cohabitare quidem vult, sed non absque contumelia Creatoris quæ verificatur in »blasphemia divini nominis« vel in »pertractione ad mortale peccatum«. Hæc *Innocentii* verba magis explicantur in prænotatione II[a]. S. C. Inq. ad responsum d. 11. Julii 1886 ad Vic. Ap. Natal hujus tenoris: »Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod, stante Matrimonio legitime in infidelitate contracto, et consummato, si conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine exsecratione Sanctissimi nominis Christi, et christianæ religionis despicientia, tunc integrum sit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi ostenderit cum illo quidem cohabitare, sed non sine Creatoris contumelia«. *Discessus* ergo non consistit in actu mere physico, sed in *morali,* sc. in voluntate non habitandi vel habitandi non absque contumelia Creatoris. Contumelia Creatoris autem verificatur non solum in peccatis contra fidem et religionem, sed etiam in omni peccato contra caritatem i. e. contra secundam Decalogi tabulam. Sic declaratur contumelia Creatoris omne peccatum grave contra *castitatem conjugalem,* S. C. Inq. d. 4. Martii 1816. ad 6[um]. *(Gasparri:* c. l. II. n. 1090.), item *concubinatus* (S. C. Inq. in cit. resp. *Natal* d. 11. Julii 1886. ad 2[um].).

Duo vero notanda sunt: 1. Discessus *non adest,* quando pars in infidelitate remanens quidem pacifice cohabitare vult cum parte fideli, *propinqui* tamen infideles, e. gr. pater ejus, pertrahere conan-

tur partem fidelem ad peccatum grave, juxta cit. responsum S. C. Inq. d. 5. Martii 1816 ad 6^{um}.; 2. causa dissolutionis matrimonii non verificatur quando pars fidelis »justum et rationabile motivum dedit alteri discedendi«, *Clemens XIII.* per organum S. Off. d. 5. Aug. 1759. ad 2^{um}. (A. S. S. vol. 26. pag. 262.), item S. C. Inq. d. 11. Julii 1886. ad 1^{um}. — Quæritur, quando justum et rationabile motivum discedendi sit datum? *Certe non,* quando culpa æqua est in utroque; nam culpa unius compensatur culpa alterius; e. gr. in adulterio utriusque. Certe tunc, quando e. gr. adulterium a parte fideli committitur *post* baptismum. At quid dicendum quando adulterium committebatur *ante* baptismum? Cl. *Gasparri* c. l. II. n. 1093. de hoc casu ita loquitur: »Si conjux fidelis adulterium commiserat *ante* baptismum, cum baptismo ablutum sit, non est amplius *cur* infidelis discedat, ideoque, si discedit, privilegium fidei sartum tectumque illi esse debet. Hinc cum quæsitum fuisset a S. C. de Prop. Fide: 'Si Titia ante ejus conversionem et baptismum adulterium commisit et repudiata est, baptizata utine potest privilegio fidei?' S. C. reposuit 17. Jan. 1797: 'Affirmative, præmissa tantum interpellatione nullaque præterea habita ratione utrum necne præcesserit sive adulterium sive repudium'.« Verum cum pace tanti Auctoris hæc opinio nobis non probatur; nam 1°. adulterium in baptismo deletur quidem quoad culpam, non deletur tamen quoad jus innocentis conjugis, uti ipse Auctor exponit in n. 1114. et antiqui canones testantur, e. gr. c. 5. C. 32. q. 1., item *Sicardus Cremonensis* apud *Freisen* c. l. pag. 832. Etenim pars innocens debet partem adulteram post pœnitentiam recipere non debito necessitatis, sed *honestatis* tantum. 2°. Responsum autem S. C. de Prop. Fid. citatum aliter quoque explicari potest; datum enim fuit in aliquo casu *particulari* non expositis accuratius circumstantiis. Et responsum facile sic interpretari possumus, ut privilegium remaneat, etsi adulterium ante baptismum perpetratum fuit, dummodo idem adulterium non sit motivum discedendi. —

Tandem quando conjux infidelis post baptismum alterius committit adulterium, hoc crimen tribuit innocenti idem jus ac in matrimonio christiano i. e. separationem a thoro et mensa de qua inferius, sed adulterium per se uti discessus considerari nequit; etenim pars adultera adulterio non ostendit voluntatem aut omnino discedendi aut pacifice non cohabitandi. Arg. etiam ex responso S. C. Inq. d. 5. Martii 1816 ad 5^{um}.

9. Ut pateat voluntas discedendi, pars fidelis alteram partem de hac voluntate *interpellare* debet; unde IV. de *interpellatione.* Interpellatio complectitur duplicem quæstionem: 1°. *An pars infidelis velit et ipsa christianam religionem amplecti.* 2°. *Posita negativa responsione an velit pacifice habitare absque contumelia Creatoris.*

10. Quæritur *per quem facienda sit interpellatio?*

Interpellatio regulariter facienda est ab *Ordinario.* Nam »animadvertendum est«, ait S. C. Inq. in Instructione ad Archiep. *Quebecen.* d. 16. Sept. 1824., haud satis esse extrajudicialem notitiam renuentiæ viri infidelis ante mulieris conversionem, præsertim si nullo comprobetur authentico aut publico documento. Non enim tuto in tam gravi negotio adhiberetur fides unius dimissae uxoris assertionibus. Oportet igitur judicialiter virum interpellare, antequam facultas fiat mulieri novum ineundi matrimonium, nisi concurrant circumstantiæ ab eodem Benedicto XIV. indictæ, ob quas utendum sit Apostolica dispensatione, ut fusius dicetur ad dubium secundum. Judex autem in diœcesi non est nisi Ordinarius, c. 20. sess. 24. *De ref.* — Ex hac ipsa Instructione apparet nonnunquam sufficere etiam *extrajudicialem* interpellationem a parte conversa factam, dummodo hæc interpellatio in foro Ordinarii possit legitime probari vel authentico aut publico instrumento vel testibus idoneis.

11. Modus *interpellationis.* Ordinarius citat partem infidelem citatumque præsentem interpellat illa duplici quæstione. Aut si comparere non vult, facit eam interpellare per ecclesiasticam vel idoneam personam. Responsio ejus seu positiva seu negativa in actis refertur et in archivio asservatur. — Sufficit una interpellatio; at ex caritate plures fieri possunt. Si pars infidelis citationem quidem recipit, at responsionem dare non vult, judex præfigat terminum, quo inutiliter præterlapso præsumitur pro responsione negativa id quod interpellando est intimandum in præfixione termini.

Si infidelis ad 2^am^. quæstionem respondit quidem: »Affirmative«, at postea ex ejusdem agendi ratione evidens fit contrarium: Episcopus hac agendi ratione summarie cognita permittet fideli novas nuptias, si volet; S. C. Inq. d. 5. Aug. 1759. ad 1^um^.

Interpellatio ordinarie facienda est *baptismo collato;* nam catechumenum non gaudere privilegio Paulino jam superius vidimus neque Ordinarium posse immiscere se negotio non subditorum. Quare S. C. Inq. d. 13. Apr. 1859. respondit: »Interpellationem

faciendam esse post baptismum et in casibus difficilioribus recurrat (Ordinarius) ad S. Sedem cum omnibus facti circumstantiis«. —

Interpellatio etiam tunc facienda est quando prorsus inutilis aut utraque aut altera esse certe prævidêtur nisi S. Sedes aliter disponit sive generaliter sive in casu particulari.

12. *Dispensatio ab interpellatione.*

Dispensatio ab alterutra vel utraque quæstione interpellationis semper necessaria est, etsi nonnunquam verificantur circumstantiæ unde concludi potest interpellationem esse prorsus vel *impossibilem* vel *inutilem*, imo interdum in *damnum* vergere aut partis fidelis aut totius communitatis christianæ e. gr. in illo loco. Ex generali theoria de legibus apparet cessare posse vel potius non obligare legem etiam divinam in quibusdam rerum adjunctis; nihilominus S. Sedes semper requirebat et requirit, ut aut interpelletur aut dispensetur. Et merito; nam Summi Pontificis est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum *divinum* quo prædicta interpellatio videtur injuncta.' S. C. Inq. d. 16. Sept. 1824. ad 2^{um}.

Sane S. C. de Prop. Fid. d. 5. Martii 1816. requirit 1^{0}. aut interpellationem aut dispensationem Apostolicam etiam pro casu ubi »aliunde constat indiciis moraliter certis alterum conjugem nec fidem amplecti nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare« (resp. ad 1^{um}.) e. gr. si constat expulsione mulieris a marito legitime (sc. per libellum repudii) facta (resp. ad 3^{um}); requirit 2^{0}. duplicem quæstionem interpellationis his verbis: »Interpellandum esse conjugem infidelem non solum an *converti velit*, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum conjuge fideli *cohabitare sine contumelia Creatoris* juxta dispositionem *Innocentii III.* cap. *Quanto De divortiis*« (ibidem ad 2^{um}.) Idem desumere possumus ex facto *Gregorii XVI.* in causa Vicariatus Apost. *Sutchuen.* d. 17. Jan. 1836.

Christiani enim istius Vicariatus ad partem infidelem dirigebant solam quæstionem, an vellet recipere consortem fidelem. Si respondebat: *affirmative*, tunc faciebant consuetas interpellationis quæstiones, sc. *an conjux infidelis vellet converti, et an vellet saltem cohabitare sine contumelia Creatoris;* — si respondebat: *negative*, »tunc nihil ulterius interrogabant; quia timebant ne pagani magis indignarentur et blasphemarent contra religionem Christianam«. Multa exinde matrimonia contracta sunt absque

necessariis interpellationibus. Quare Vicarius Apostolicus pro casu nullitatis dictorum matrimoniorum petiit a Sede Apostolica sanationem in radice. — *Gregorius XVI.* autem »perpensis expositis benigne matrimonia, ut supra, contracta in Vicariatu *Sutchuen.* cum omissione interrogationum, prout in supplici libello exponitur, *in radice sanat* et convalidat perinde ac si in matrimoniis contractis interpellationes factæ fuissent«. — Utique hoc factum Sum. Pontificis nimis urgeri nequit; nam hæc sanatio in radice poterat dari etiam ad cautelam præsertim cum non constaret interpellationem duplicem moraliter impossibilem fuisse in *singulis* matrimoniis.

13. Dispensatio ab interpellatione alia est *generalis* quæ complectitur certum genus casuum, alia *specialis* quæ singulos casus concernit. Operæ pretium est proferre aliquot dispensationes generales.

I. Ex Conciliis *Toletanis* habemus primam solummodo faciendam esse interrogationem parti infideli; ita ut pars conversa vel ex Judaismo vel ex Mahomedanismo possit post primam interpellationem rejectam ab infideli ad alia vota transire. Hæc disciplina a Conciliis Toletanis inducta est *ob specialem conditionem Hispaniarum,* qua cognitum est fuisse inutilem secundam interpellationem vel etiam noxiam. Siquidem experientia docebat conjuges infideles qui interrogati respondebant se pacifice habitaturos absque contumelia creatoris, ficto animo hanc promissionem fecisse: sed revera intentionem habuisse pervertendi et corrumpendi conjugem fidelem.

Hæc dispositio Conciliorum *provincialium,* si revera divortium *plenum* statuebant, cfr. c. 10. C. 28. q. 1., videtur contraria expositæ nostræ sententiæ de necessitate aut interpellationis *duplicis* aut dispensationis *Apostolicæ.* — Verum de facto non est contraria; nam supponi potest approbatio dictorum Conciliorum per Sedem Apostolicam facta. Quomodo Concilia Toletana judicio Summorum Pontificum fuerint subjecta, videri potest in aureo libello cui titulus *Enchiridion* auctore prof. *Denzinger,* ed. 3ª. in nn. 113., 222., 240—242.

Ceterum hæc praxis circa *Judæos* non solum in *Hispaniis* ordinaria fuisse videtur, sed etiam alibi; cfr. Glossatorem *Robertum* apud *Freisen* c. l. pag. 820. Merito; nam nullibi tantum periculum revertendi ad vomitum (2. *Petr.* II. 22) quam in Judæis; nullibi

tot tamque dolosæ machinationes retrotrahendi partem fidelem ad pristina quam in ipsis.

14. *Exemplum II. generalis dispensationis:* dispositio *S. Pii V.* — *S. Pius V.* in Ap. Lit. quarum initium est *Romani Pontificis,* exponit, quod Indis, qui plures in Infidelitate uxores habuerant, si quando ad Fidem convertebantur, in more positum erat, ut eam quisque uxorem retineret, quæ secum una Christum Deum agnoscere, ejusque Fidem amplecti consentiebat. Id vero magnas secum ferebat difficultates; cum et sæpissime contingeret, ut illæ, quæ cum maritis Christianam Religionem amplectebantur, uxores primæ non essent: et aliunde arduum nimis esset eosdem Indos ab iis mulieribus divellere, quæ una cum ipsis ad Baptismum sese offerebant. Itaque, ut his difficultatibus, malisque occurreret, Sanctus Pontifex sequentem edidit declarationem: *Ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos, et Ministros hujusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ut Indi, sicut præfertur, baptizati, et in futurum baptizandi cum uxore, quæ cum ipsis fuerit baptizata, et baptizabitur, remanere valeant, tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, declaramus matrimonium hujusmodi inter eos consistere.**)

15. *Exemplum III. generalis dispensationis: Gregorii XIII.* dispositio. »*Gregorius XIII.* in suis literis incipientibus *Quoniam sæpe contingit* d. 25. Jan. 1585. cum exposuisset persæpe contingere, ut ab Angola, et Æthiopia, ac Brasilia in captivitatem abducerentur, et in remotas longe regiones deferrentur homines uxorem habentes, feminæque conjugali nexu conjunctæ; qui autem, vel quæ in propriis regionibus remanebant, sese dispositos, vel dispositas exhiberent, ut Christianæ Religioni nomen darent, et Christifidelem conjugem accipere se velle ostenderent; magnas illico excitari solere difficultates, utrum matrimonium sine quo Baptismum fortasse non sumerent, inire possent; propterea quod ignoraretur, num primum conjux, cum quo in infidelitatis statu matrimonium contraxerant, adhuc in vivis esset: his omnibus expositis, opportunum

*) Impressæ sunt hæ literæ in 5. part. Constit. Apost. pro missionibus *Sinarum* et *Tunkini* etc. Parisiis 1676. — Easdem invenies in A. S. S. vol. 26. pag. 64.; apud *Gasparri:* c. l. II. n. 1100.

comparare volens remedium Episcopis, Parochis, et Societatis Jesu Presbyteris ad excipiendas Sacramentales Confessiones approbatis, qui in iis regionibus degerent, facultatem et auctoritatem concessit *dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum, et servis ad Fidem conversis, qui ante Baptismum matrimonia contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite conjuge infideli, 'et ejus consensu minime requisito, et responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli, alias tamen rite, contrahere, et in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant.* Cumque idem Pontifex animadvertisset, fieri posse, ut post secundum initum matrimonium primus conjux repente prodiret, affirmans se præpeditum fuisse, quominus voluntatem suam de amplectenda Religione Christiana manifestaret, vel etiam se jampridem Christianos ritus amplexum fuisse, antequam secundum illud matrimonium celebraretur; idcirco in iisdem literis hoc additum, expressumque voluit, ut, his non obstantibus, secundum matrimonium validum et firmum haberetur: *Quæ quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit, conjuges priores suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad Fidem etiam, tempore contracti secundi matrimonii, conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma esse*«.*)

Huc accedit Breve »*In Suprema*« ipsius *Benedicti XIV.* d. 16. Jan. 1745. (Const. 117. Bull. tom. I.) quo Apostolico Nuntio *Venetiis* constituto eadem facultas conceditur. — Notandum omnes dictas facultates restringi ad regiones et loca, quibus datæ fuerunt.

16. Nostris temporibus conceduntur opportunæ facultates, de quibus pauca:

Inter facultates quæ a S. C. de Prop. Fid. Episcopis *Americanis* et *Vicariis Apostolicis* concedi solent,**) legitur sub n. 11.

*) Cfr. *Benedictum XIV.* in *Syn.* l. 13. c. 21. n. 3.; *Pontium: De matrimonio* l. 7. c. 48. n. 23.: *Gasparri:* c. l. II. n. 1101. qui integrum textum affert, ex quo duos magni 'momenti locos extollimus: 1°. „Nos", ait *Gregorius XIII.*, „attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta *vera* quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente dissolvi non possint" etc.: 2°. ejusmodi conjuges in secundo matrimonio licite remanere valent. „dummodo constet et summarie et extrajudicialiter — conjugem, ut præfertur, *absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione præfixum suam voluntatem non significasse*".

**) Inter facultates ordinarias — *formula I —;* cfr. A. S. S. vol. 7. pag. 301.; *Schneider: Fontes Jur. Novissimi* pag. 99—100.

»Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti«.

Uberior explicatio: 1°. Interpellatio prima *an velit converti* uxori primæ semper est facienda; super secunda tantum dispensatur. Quare quando prima vult converti, etiamsi a marito separata haud facile ipsi reddi valeat, e. gr. quia vendita, facultas adhiberi nequit; imo maritus obligatur ad redimendam uxorem (primam). S. C. Inq. d. 29. Jan. 1805. (A. S. S. vol. 26. pag. 66.) 2°. Hæc facultas intelligenda est non solum de polygamia *simultanea* vel propria, sed etiam de *successiva*, sc. quando vir prima dimissa alteram et etiam hac dimissa tertiam ducit, S. C. de Prop. Fid. d. 14. Jan. 1806. apud *Gasparri:* c. l. II. n. 1096. 3°. Hæc facultas adhiberi in polyandria non secus ac in polygamia, S. C. Inq. d. 12. Junii 1850. et S. C. de Prop. Fid. d. 14. Jan. 1793. apud *Gasparri* c. l. II. n. 1097. 4°. Si secunda (vel alia) mulier »renuat converti, declarans tantum pacifice habitare, minime licitum viro fideli«, istam secundam ducere. S. C. Inq. in Instructione d. 4. Julii 1855. Idem dic de viro secundo juxta exposita in n. 3°.

Apud *Gasparri* c. l. II. n. 1099. inveniuntur duæ aliæ formulæ; 1ª. sic se habet: »Dispensandi ad quinquennium intra fines sui Vicariatus super interpellatione conjugum in infidelitate relictorum, dummodo adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi conjux infidelis habitat, eisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extrajudicialiter dictum conjugem absentem *moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus* in monitione præfixum suam voluntatem *non significavisse«; 2ª.* formula hæc continet: »Dispensandi super interpellatione conjugum in infidelitate relictorum pro omnibus casibus ordinariis, dummodo scilicet adhibitis antea . . . (ut supra), et insuper pro viginti casibus extraordinariis, nempe quando adiri quidem potest conjux infidelis, sed de comparte jam facta Christiana interpellari nequit *sine evidenti periculo gravis damni ei vel Christianis* inferendi«.

Prior formula invenitur inter facultates extraordinarias, quæ Vic. Ap. *Indiæ* ad quinquennium conceduntur sub n. 6. Eadem facultas delegata legitur in A. S. S. vol. 29. pag. 564—566. Archiepiscopo *Serajeven.-Vrhbosnen.* a S. P. *Leone XIII.* per

organum S. C. Inq. d. 16. Aug. 1895. eaque uti potest Ordinarius »in casibus *ordinariis*« qui ipsi in hac priore formula describuntur. — Extraordinariis casibus consulitur altera formula quam *Gasparri* c. l. *formulam III. n. 9.* vocat.

Si tres dictas facultates componentes consideremus, dicendum est: In *prima* agi de casu *polygamiæ,* dispensationem autem extendi super altera interrogatione tantum *an velit cohabitare pacifice* prima uxor; vi *secundæ* dispensatur quando interpellatio est impossibilis vel in irritum cadit; in *tertia* consulitur casibus ubi interpellatio impossibilis quidem non est, sed in grave damnum cedit evidens. —

17. Quando casus accidit et facultates aut omnino non sunt concessæ aut non ejusmodi quæ casus necessitati providere possint, una via patet: petendi dispensationem ab Apostolica Sede.

Ad hanc ergo Sedem deferantur omnes hujusmodi causæ etiam ordinariæ quæ difficultatibus dubiisque sunt obnoxiæ. Quare jure merito Archiepiscopus *Vrhbosnen.* sequentem casum S. Sedi proposuit: Mulier Maria baptizata maritum Julium interpellavit duplici quæstione. Respondit maritus: Nolo converti; at pacifice cohabitare volo. Verum mulier perspectum habuit dolum viri cum ex communiter contingentibus (»mahumetani enim maximo odio prosequuntur mulieres ad christianam fidem conversas ita ut a parentibus et cognatis aliquando occidantur«), tum ex facti circumstantiis. »Quapropter Archiepiscopus orator humiliter rogat, ut Sanctitas Tua, vi aut privilegii Paulini aut supremæ suæ potestatis, vinculum matrimonii inter Mariam et Julium, quantocius solvere dignetur«. — Fer. IV. d. 28. Nov. 1894. responderunt Cardinales Inquisitores: »Supplicandum Sanctissimo pro dispensatione ab ulteriore interpellatione et mulier utatur privilegio Paulino«. Fer. V. d. 29. dicti S. P. *Leo XIII.* annuit pro gratia juxta Em. Patrum suffragia. (A. S. S. vol. 29. pag. 564.) Si Archiepiscopus præditus fuisset *tertia* facultate, ipse dispensare potuisset; saltem quando ex processu summario certa argumenta gravis periculi prodiissent.

18. In dispensationibus concedendis delegatus strictissime observet terminos facultatis datæ; etenim his prætermissis non solum illicite, sed et invalide ageret. Verum etiam in supplici libello ad Sedem Apostolicam instruendo afferat causas ob quas dispensatio est necessaria. Nam neque S. Sedes quia agitur de jure

divino, absque causis dispensare potest. »Justæ autem hujusmodi causæ tunc aderunt cum ex processu saltem summario et extrajudiciali constet conjugem infidelem interpellari *non posse,* aut interpellationem vel *inutilem* vel *graviter periculosam* futuram esse«, sic S. C. Inq. in Instructione ad Vic. Ap. *Japoniæ Meridionalis* d. 4. Febr. 1891. (A. S. S. vol. 26. pag. 64.)*)

Notandum est inprimis: non sufficere *præsumptionem,* inutilitatis vel periculi gravis, sed requiritur *evidentia,* sic S. C. Inq. d. 23. Nov. 1769. in responso ad Vic. Ap. *Chen-si* et *Chan-si* ad 1^{um}., 2^{um}., 3^{um}., item in Instructione ad Archiepiscopum *Quebecen.* d. 16. Sept. 1824 resp. ad 1^{um}.

Sufficit autem non solum *physica* impossibilitas, sed etiam *moralis* quæ perpensis omnium locorum et rerum adjunctis resultat, S. C. Inq. d. 29. Nov. 1882 ad 1^{um}.

19. Non prætermittendum censemus casum in quo dubitatur de valore matrimoniorum a paganis initorum. Sedes enim Apostolica aliquoties jam hac super quæstione declarationes publicavit. Habemus responsum S. C. Inq., approbatum a s. m. *Gregorio XVI.* d. 8. Jun. 1836. ad Archiepiscopum *Quebecensem (Gasparri* c. l. II. n. 1106), item responsa S. C. Inq. d. 18. Maji 1892. ad Vic. Ap. *Zanguebaren.* ad 1^{um}. (A. S. S. vol. 29. pag. 640.), et ad Episcopum *Siouxormen.* (Sioux-Falls) ad 1^{um}. et 2^{um}. (A. S. S. ibidem pag. 641). Hoc ultimum responsum in *Siouxormen.* ulterius explicatum est ab eadem S. C. fer. 4. d. 25. Maji 1898, cujus resolutionem S. P. *Leo XIII.* adprobavit d. 27. Maji 1898. *(Monitore Ecclesiastico* vol. X. part. 2. pag. 78.) Ad illud iterum provocatum est d. 17. Aug. 1898. in responso ejusdem S. C. Inq. (approbato d. 19. Aug. 1898) ad Præfectum Apostolicum *Niger Superioris (Monitore Ecclesiastico* vol. X. part. 2. pag. 147).**) Quoniam responsum ad Episcopum *Siouxormen.* tanti momenti videtur, illud Commentario

*) Monita ad missionarios Provinciæ *Schantung Meridionalis* (Puoli 1886) continent pag. 70. has causas: a. si interpellatio fieri nequeat, vel quia pars infidelis degit in hostilibus ac barbaris provinciis; b. vel quia ignoratur prorsus, in quas regiones migraverit; c. vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem; d. si periculum sit ne ex facta interpellatione molestia aut persecutio contra christianos oriatur; e. si serio dubitetur an neophytus cum priore aut altera ex pluribus ductis, verum matrimonium iniit vel potius omnes retinuerit tamquam contubernales.

**) Cfr. celebrem publicationem cui titulus *Nouvelle Revue Théologique;* tom. 30. Dec. 1898. pag. 627—634; pag. 640—644.

nostro inserere non dubitamus. Exposuit igitur dictus Episcopus: »Mos est indianis hujus regionis contrahendi matrimonia, uxorum suarum indolem ac qualitates *tentandi gratia,* nempe utrum bonæ sint ac prudentes nec ne, et animo dimittendi si fatuæ ac improbæ. Hinc duo sequentia dubia:

1) Potestne ipsis fides adhiberi si jurejurando affirmant se numquam indissolubili vinculo cum præcedentibus uxoribus matrimonium contraxisse: eisque permitti ut sibi jungant secundum leges sanctæ matris Ecclesiæ eam, quam nunc habent?

2) Possuntne isti pagani, præcedentibus uxoribus adhuc viventibus dimissis, ducere eam cum qua nunc vivunt, si cum ipsa baptizari velint, et christianorum more matrimonium contrahere?

R. Ad 1. *Affirmative,* si agatur de *infidelibus,* post institutum diligens examen omnium adjunctorum circa ipsorum credibilitatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate. Negative, si agatur de *fidelibus,* sed requiritur legitima probatio.

Ad 2. Si instituto diligenti examine, matrimonium cum prima quæ *jam baptizata* fuerit, validum inveniatur, ad illam redire omnino tenentur. Si autem non fuerit baptizata, satis erit interpellare utrum velit converti. Ubi vero converti nolit, vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dummodo sit baptizata, renovato consensu. — Ssmus adprobavit d. 19. Maji 1892.

Ex quibus decisionibus sequitur: 1. Præstitui nequit *generalis regula* juxta quam conjunctiones infidelium censendæ sunt *mera contubernia,* sed instituendum est in singulis casibus particularibus examen circumstantiarum et modi quo conjugium primitus initum fuerit, tum ejus diuturnitatis aliorumque adjunctorum quæ accesserint. 2. Si ex dicto examine apparet conjunctionem cum certa muliere fuisse verum matrimonium, tunc applicanda sunt dicta superius in resp. d. 18. Maji 1892 sub n. 2. 3. Si vero apparet conjunctionem illam matrimonium nullo modo fuisse, nulla adest difficultas. 4. Si denique restat probabile dubium de validitate matrimonii cum prima, standum est pro nullitate illius matrimonii *in favorem fidei.* Qui favor fidei requirit, ut sibi jungat matrimonialiter vel unam ex mulieribus quacum vivebat jam ante baptismum, dummodo et ipsa sit *conversa,* vel aliam quamlibet mulierem *catholicam,* S. C. Inq. d. 8. Jun. 1836. Non sunt igitur necessariæ interpellationes ad primam dirigendæ neque utraque

neque sola prior. Imo »si pars una convertatur post conversionem alterius, et examinato casu particulari, supersit dubium, stet (Ordinarius) pro nullitate matrimonii in favorem fidei«. S. C. Inq. in *Zanguebaren.* d. 18. Maji 1892.

Dubium autem probabile tunc quoque adest quando vir *conversus* sub juramenti fide asserit se nunquam indissolubili vinculo cum præcedentibus uxoribus matrimonium (ante baptismum) contraxisse, dummodo post institutum diligens examen omnium adjunctorum circa ipsorum credibilitatem, aut nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate. Diximus »*conversus*«, nam vir qui *post* baptismum matrimonium contraxit, præsumitur vere contraxisse; quare ad contrarium tenendum requiritur *legitima probatio.* Hoc valet etiamsi vir (vel mulier) ex defectu debitæ instructionis etiam baptismo, velut ab hæreticis, collato priorem suam opinionem de matrimonio paganam non mutaverit; S. C. Inq. d. 25. Maji 1898. — Unde statui potest axioma: Quando valor matrimonii inter infideles contracti est rationabiliter dubius, præsumitur pro nullitate matrimonii sic contracti in favorem fidei.

20. In omnibus S. Sedis facultatibus dispensandi ab interpellatione, inculcatur ut fiat processus summarius saltem et extrajudicialis in perpetuam rei memoriam unde »necessitas dispensandi appareat, vel quia interpellatus non respondet; vel quia ubi degat, ignoratur; vel quia facto suo apertum dissensum manifestavit; atque insuper expediet in hoc casu ut, ne cautelæ desint, fiant etiam citationes ad valvas et per edictum cum assignatione congrui temporis ad comparendum et declarandum etc.« S. C. Inq. d. 11. Junii 1760 ad Superiorum Missionem PP. Barnabitarum. »*Clemens XIII.*«, adjunxit S. C. Inq., »expresse inculcat et exigit hanc probationem summariam faciendam ab omnibus quibus facultates delegabit«; cfr. *Gasparri:* c. l. II. n. 1102.

21. Verum matrimonium in infidelitate contractum *non* dissolvitur per susceptum baptisma, neque per factas interpellationes, aut post obtentam dispensationem ab eisdem perficiendis, sed quemadmodum resolvit S. C. Inquisitionis in responsione d. 1. Augusti 1759, necnon in Instr. d. 11. Julii 1886. ad 3^{um}.: *'tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias'.*

Singula verba hujus responsi bene pensanda sunt: 1^{0}. Dicitur »conjux *conversus*«; nam quando pars infidelis quæ discessit, transit

ad novas nuptias, matrimonium minime dissolvitur; nam dissolutio non militat nisi in favorem fidei, 1. *Cor.* VII. 15. Probatur hoc etiam ex causa *Florentina* dd. 1. Julii 1679. (l. 30. *Decr.* pag. 352 a tergo) et 13. Apr. 1680. (l. 31. c. l. pag. 88. a tergo) apud *Richter et Schulte: Canones* etc. pag. 285. n. 151., item ex alia celeberrima causa *Florentina,* cujus species hæc est:

»Ricca Esther, dum erat Judæa, matrimonium contraxit cum Abraham Hebræo et illud consummavit; quumque post aliquod temporis spatium judaicam perfidiam abjurasset et ad catholicam religionem conversa esset, post canonicam consuetam monitionem reliquit Abraham in sua judaica perfidia, et licet ad alia vota transire posset, cælibem nihilominus statum elegit, et etiam hodie remanet innupta.

Post Riccæ conversionem Abraham existimavit se in libertate positum, quo circa anno 1721. aliam Hebræam nomine Blancam duxit in uxorem, et matrimonium cum ea consummavit, quumque tam Abraham quam Blanca anno præterito suam patefecerint voluntatem de Judaismo abjurando et catechismo fuerint subjecti, suum quoque desiderium explicaverunt de perseverando post receptum baptismum in matrimonio uti supra contracto.

Ricca interrogata, quid super hac re sentiret, respondit, se suum libentissime assensum præstare, et se nolle ullo modo ad Abraham redire etiam post abjuratam ab ipso judaicam perfidiam et ejus conversionem ad nostram sanctam religionem.

Dubiis propositis his: I. An adhuc subsistat matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam et Abraham? et quatenus affirmative: II. An Abraham post suam et Blancæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca et Blancam relinquendam? et quatenus affirmative: III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso? et quatenus affirmative: IV. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blanca? et quatenus affirmative: V. An consilium præstandum sit Sanctiss. Dom. Nostro pro concessione dictæ dispensationis?

Sac. Congr. d. 27. Julii 1727. respondit: 'Ad I. et II. *affirmative,* in reliquis dilata et scribant theologi et canonistæ et perquirantur exempla, et ad mentem.' . . . . Mens fuit, ut scriberetur archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra præjudicium conversionis ad fidem catholicam Abraham separaretur a Blanca,

et ad Riccam rediret, item an Ricca esset in statu virum ducendi aut emittendi professionem religiosam in aliqua religione. Per hanc enim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum et non resolutorum. . .« *)

22. Dicitur 2°. »quando conjux conversus *transit cum effectu ad alias nuptias*«. Unde non sufficiunt *sponsalia de futuro* et requiritur ut matrimonium quod contrahitur sit *validum*, non tamen, ut sit consummatum. Ideo contractus matrimonialis neoconversi cui assistit privilegium fidei, duo efficit: novum validum matrimonium eodemque momento dissolutionem prioris. — Quid significat »*ad alias nuptias*«: quales nuptias: cum persona christiana an etiam cum pagana? Ordinarie requiritur ut novæ nuptiæ fiant cum persona christiana; at non desunt exempla quibus probatur prius matrimonium dissolvi etiam matrimonio secundo inter personam baptizatam et infidelem cum dispensatione Apostolica inito, e. gr. in responso S. C. Inq. d. 11. Julii 1886. ad Vic. Ap. *Natal* ad VII^um^. ubi tamen agebatur de matrimonio convalidando, non noviter contrahendo (*Monitore Ecclesiastico* vol. 6. part. II. pag. 197—198).

23. Dicitur 3°. *tunc solum* dissolvitur matrimonium etc.; nonne dissolvitur matrimonium etiam *professione religiosa?* Professio religiosa jure emittitur a parte conversa non solum quando potest novas inire nuptias, sed etiam quando licite concessa est separatio a thoro et mensa perpetua. Hoc præmisso dicendum est: matrimonium infidelium *consummatum* professione religiosa non dissolvi. Etenim in jure constitutum est matrimonium ratum christianum quidem professione solemni dissolvi, de vi professionis religiosæ in vinculum matrimonii in infidelitate contracti nihil statutum est. Utrum autem in potestate sit Summi Pontificis hoc statuere, videbimus inferius. Certum tamen videtur matrimonium inter infideles contractum *non consummatum* tunc dissolvi quando pars conversa solemniter profitetur vota religiosa sive ante conversionem sive post conversionem alterius partis. Argumenta patebunt infra.

24. Dicitur 4°. *conjugii* (prioris) vinculum dissolvitur. Quæritur: *qualis* conjugii vinculum? Dissolvitur vinculum conjugii

*) Cfr. *Richter et Schulte* c. l. n. 153.; *Benedictum XIV.* in Syn. l. 6. c. 4. nn. 3 sqq. — Dubia (III—V.) d. 29. Martii 1729. reproponebantur. sed S. C. Conc. a responsione *abstinendum* duxit.

veri (sc. inter infideles contracti) sive non consummati sive consummati ante conversionem. Nec cessat privilegium præterlapso multo tempore, nec etiam nova post unius conversionem consummatione, S. C. Inq. d. 11. Julii 1886 ad Vic. Ap. *Natal* ad I^um^. *(Mon. Eccl.* vol. 6. part. II. pag. 197). Imo non desunt casus, ubi matrimonium in infidelitate contractum quod fiebat utriusque baptismo ratum, alterutrius novis nuptiis dissolvitur, uti supra vidimus in facultatibus *S. Pii V.* et *Gregorii XIII.* Hoc ultimum autem non valet nisi quando super interpellatione tunc impossibili dispensatum fuerit ab Apostolica Sede. Etenim »non esse locum dissolutioni quoad vinculum matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo Conjuges baptismum susceperunt vel suscipere intendunt« (S. C. Inq. d. 11. Julii 1886 ad VIII^um^.) neutro invincibiliter ignorante baptismum alterius.

Dicitur deinde conjugii *vinculum* dissolvitur. Ex hoc verbo quo utitur S. Officium, jam patet matrimonium pro utraque parte, non solum pro christiana dissolvi, ita ut transire possit valide et licite utraque pars ad novas nuptias. Nam etsi forte pars infidelis peccavit discedendo vel non cohabitando pacifice, ineundo novum matrimonium non peccat; uti nec ille peccat (saltem juxta *vigens* jus) qui uxore peccaminose interfecta aliam feminam quacum nullam vivente priore uxore habebat relationem, in matrimonium duxit. Et quamquam *Benedictus XIV.* hanc quæstionem nolebat decidere in bulla *Apostolici Ministerii* d. 16. Sept. 1747., Instructio S. C. Inq. d. 16. Sept. 1824. ad Archiep. *Quebecen.* utique respectu viri qui prius discessit, postea tamen fuit et ipse baptizatus, sequens statuit principium: »Soluta a vinculo conjugali muliere, solutum remanere et virum. Quippe vinculum est inter duo, seu duorum in unum, idcirco libertas unius libertatem infert alterius« (A. S. S. vol. 26. pag. 69—70), quod principium et nos invocare possumus. Nam ligamen pœnale si revera exsistit, certe non est ligamen in sensu proprio, sed impedimentum quoddam dirimens, non *ecclesiastici* juris quia Ecclesiæ est nullum jus in eos qui foris sunt (1. *Cor.* V. 12) ergo *divini* juris, et quia *naturalis* juris non esse potest, *divini positivi.* Sed quando hæc lex divina est lata, quando promulgata? Ergo ne statuamus impedimenta ubi non sunt.

Si ergo totam materiam complectimur, notandum est: Tunc solum conjugii in infidelitate contracti vinculum dissolvitur, quando

conjux conversus post discessum alterius legitime interpellati vel post dispensationem a Summo Pontifice super una aut utraque interpellatione datam transit cum effectu ad alias nuptias. Nunc quæritur, quo jure hoc fiat: *divino* an *humano?*

25. Aliqui dicunt privilegium Paulinum esse juris *humani* sequenti freti ratione: hæc sententia videtur conformior contextui Apostoli et præsertim Patrum expositionibus, cfr. *Gasparri* c. l. II. n. 1084. qui argumenta sua transsumit ex »Disputatione Ap. Sedi exhibita a Patribus Societatis Jesu qua Romano Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium«. Alii tenent hoc privilegium esse juris *divini.* Inprimis momentum quæstionis ante oculos ponendum est. Qui enim privilegium Paulinum humano juri tribuunt, non opinantur matrimonia inter infideles contracta jure *divino* quidem esse indissolubilia et privilegio Apostoli *humano* dissolvi.

Nam hoc supposito *S. Paulus* primus peccasset contra verbum Domini: »Quod Deus conjunxit, homo non separet« *Matth.* XIX. 6. Quæstio nostra in eo versatur utrum *S. Paulus* in 1. *Cor.* VII. 12. quoad matrimonium inter infideles contractum quod jure jam *divino* est dissolubile, hujus dissolubilitatis unum exemplum statuerit, præter quod alia possint statui ab ecclesiastica potestate, an practice promulgaverit matrimonium inter infideles omnino quidem indissolubile non posse dissolvi nisi jure divino ob privilegium fidei supra expositum.*) Attamen *Disputatio* citata cum cl. *Gasparri* c. l. II. n. 1084. soli humanæ auctoritati tribuere videtur privilegium Paulinum id quod sustineri nequit. Nos objective totam quæstionem exponimus:

1°. Certum est hoc privilegium ex divina tantum posse prodire auctoritate. Nam matrimonium etiam inter infideles est indissolubile jure *divino;* cfr. effata S. P. *Leonis XIII.* in Encyclica »*Quod Apostolici*« d. 28. Dec. 1878. §. »Salutarem porro« et in Enc. *Arcanum* d. 10. Febr. 1880. §. »Constat inter omnes«, necnon *Benedictum XIV.* in Const. *Apostolici Ministerii* d. 16. Sept. 1747. loquentem sic: »In præsentiarum non amplius licere . . . libellum repudii . . . eo quod Jesus Christus matrimonii vinculum ad suum primævum statum redegit, nempe *ad indissolubilitatem,* non lege

*) Cfr. *Commentarium* in S. Pauli Apostoli epistolas auctore Rud. *Cornely,* S. J. Parisiis. Lethielleux. 1890. in ep. I^am. ad *Corinthios:* VII. 12. pag. 181.

nova condita, sed dumtaxat sublata veteri indulgentia seu dispensatione super indissolubilitate concessa«. Ergo interpretari hanc indissolubilitatis legem sive dispensare super eadem non spectat nisi ad auctoritatem *divinam.*

26. 2°. Interpretatio hujus indissolubilitatis legis igitur pertinet ad divinam auctoritatem. Jam quæritur utrum Salvator noster hanc interpretationem ita sibi reservaverit ut [exceptione ob privilegium fidei a Domino statuta et per S. Paulum promulgata] potestas Christi vicaria in terra *nihil possit* — uti in matrimonio rato et consummato — an Dominus interpretationem hanc etiam huic vicariæ in terra potestati *reliquerit* — uti in matrimonio rato tantum? — Antequam ad solutionem hujus quæstionis accedamus, pauca præmittimus:

1. *Practice* dispensatio a vicaria Dei potestate in terra, i. e. a Vicario Christi, præter privilegium fidei danda raro accidet. Exemplum nobis præbet causa *Florentina* d. 27. Julii 1727. superius allata. Ricca conversa privilegio fidei ad matrimonium novum ineundum, licet potuisset, non est usa. Maritus ejus Abraham in infidelitate manens alteram ducit uxorem, nomine Blancam. Postea Abraham ac Blanca et ipsi baptizantur. Matrimonium inter Riccam et Abraham contractum et consummatum adhuc subsistit; ergo hi uniendi sunt Blancâ ab Abraham separatâ. At Ricca non vult ad Abraham redire, qui Blancam retinere desiderat. Si matrimonium inter R. et A. non esset consummatum, Papa posset dispensare super matrimonio rato tantum; verum matrimonium erat consummatum. Privilegium quoque fidei conversione Abrahami exstinctum est. Unum ergo remedium videtur adesse: dispensatio Summi Pontificis. At potestne Summus Pontifex dispensare in hoc casu? Certe non potest si hoc matrimonium utriusque conjugis baptismo ratum effectum etiam consummatum fuerit; sed si ratum tantum mansit, dubii hæremus quoad praxim uti ipsa S. C. C. dd. 27. Jul. 1727. et 29. Martii 1729.

II. Sedes Apostolica uti in causa *Florentina,* sic nec in alia causa definitivam hujus quæstionis sententiam fortasse ferebat, licet Ss. Congregationes Romanæ nonnunquam in casu de jure divino loquerentur.

27. Hisce præmissis ad theoriam nos convertimus. Interpretatio sive dispensatio indissolubilitatis non pertinet — uti vidimus — nisi ad auctoritatem *divinam.* Hæc autem divina auctoritas intelligi potest aut de auctoritate Dei *immediata exclusa* potestate

suprema in Ecclesia vices Dei gerente — prima sententia — aut de auctoritate Dei etiam *mediata* i. e. de suprema in Ecclesia potestate Dei vicaria — altera sententia —.

1) Textus Paulinus in 1. *Cor.* VII. 12. pro altera cum vi *cogenti* adduci non potest. Ex contextu non requiritur ut verba »Ceteris ego dico, non Dominus« ad subsequentia referantur; etenim facile ad antecedentia referri possunt, uti ex versibus 8., 10., 25., 40. concludi licet; facilius ac melius fortasse quam ad subsequentia auctore cl. Guilielmo *Estio, Comm.* in omnes D. Pauli epistolas in h. l. sc. 1. *Cor.* VII. 12. (Editio Parisiensis 1891. tom. I. pag. 467.) cujus sententiam S. Officium d. 11. Julii 1886 in 1ª. prænotione fecit suam.

2) Maximi momenti ratio pro *altera* sententia affertur ex Constitutionibus Ss. Pp. *S. Pii V.* et *Gregorii XIII.*, de quibus supra. *Pius V.* enim concessit Indis conversis, ut cum qualibet ex suis »uxoribus«, dummodo sit et ipsa conversa, remanere valeret tamquam uxore legitima, etsi non esset prima uxor idque *absque ulla interpellatione.* — *Gregorius XIII.* aperte dicit, connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint.

Ideoque quibusdam Ordinariis etc. concedit facultatem dispensandi cum personis certæ regionis in infidelitate conjugatis ac postea conversis, quarum conjuges in longinquas regiones sunt transvecti, ut dictæ personæ cum aliis personis fidelibus novum matrimonium inire valeant superstite conjuge infideli minime interpellato vel responso ejusdem non exspectato, »dummodo constet saltem summarie et extrajudicialiter conjugem, ut præfertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione præfixum suam voluntatem non significasse. Matrimonia cum tali dispensatione inita non esse rescindenda, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse«. Easdem facultates concessit *Benedictus XIV.* in Const. *In suprema* d. 16. Jan. 1747. Nuntio Venetiarum. —

Non negamus hasce Romanorum Pontificum dispositiones non absque difficultatibus esse pro prima sententia; nihilominus ipse *Benedictus XIV.* easdem diluit, saltem plerasque, in *Syn.* l. 13. cp. 21. n. 5. contra *Verricellum.* Quid fecerunt Pontifices? Non

-dissolverunt matrimonia, sed dispensarunt super interpellationibus *moraliter impossibilibus.* Ceterum in declaratione *S. Pii V.* non omnino constare videtur de valore priorum matrimoniorum. — Generalia denique verba *Gregorii XIII.* sc. connubia infidelium vera, sed non adeo rata esse etc., nimis urgeri nequeunt. Etenim facillime explicari possunt de dissolutione in casu Apostoli, uti concludi potest ex similibus verbis *Innocentii III.* in c. 7. h. t. — Verum hoc notatu dignissimum est quod privilegium fidei ex decreto *Gregorii XIII.* operatur dissolutionem etiam matrimonii veri, quod tamen utriusque conjugis baptismo jam efficiebatur *ratum.*

Privilegium fidei ergo hæc continet: Matrimonium verum dissolvitur non conversione unius conjugis, sed novis nuptiis ex discessu alterius. Hic discessus verificatur aut quando conjux alter interpellatus non vult cohabitare saltem pacifice aut quando dispensatur super interpellationibus a Summo Pontifice, sive voluntas discedendi adest sive non adest, imo etiamsi alter jam conversus est.

3) Hæc nostra theoria confirmatur responsionibus Sedis Apostolicæ per organum præcipue S. C. Inquisitionis. En responsio novissima eademque maximi momenti! Vicarius Apostolicus *Natal* (Africa Meridionalis) ad S. Sedem varia dubia direxerat, in quibus sæpius loquebatur »*de dispensatione* a vinculo matrimonii quæ dari solet *ab Ecclesia*«. S. C. Inq. d. 11. Julii 1886. ad singula quæsita respondit, præmissa tamen instructione quæ Vicarium Apostolicum doceret de natura hujus dissolutionis: »1. Suprascripta postulata«, ait S. Congregatio, »intelligi de privilegio a *Christo Domino* in favorem fidei concesso et per Apostolum *Paulum* 1. ad *Cor.* VII. 12. seq. promulgato«. Dictumque privilegium semper nominat *divinum* atque in responso VIII. suum sensum nitide exponit hisce verbis: »Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile, et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei, a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando conjugum alter Christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum conjuge converso cohabitare, absque injuria Creatoris, ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum Matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo Conjuges baptismum susceperunt vel suscipere intendunt«. Cfr. *Monitore Eccl.* vol. VI. part. II. pag. 198. —

Certe nostro tractatui de privilegio fidei finem facere aptius non potuimus quam hisce verbis.*)

28. *Quid dicendum si matrimonium in infidelitate contractum fuerit inter personas impedimento dirimente ligatas, et alteruter vel uterque conjux ad fidem convertatur?*

Quæstio resolvitur ex c. 8. h. t. Scilicet distinguendum est inter impedimentum juris *ecclesiastici*, et impedimentum juris *naturalis*, vel *positivo divini*. In secunda hypothesi matrimonium nullum est, et separandi sunt conjuges, quia etiam infideles ligantur impedimentis juris naturalis et juris divino positivi. Hinc fratres et sorores in primo gradu non possunt in matrimonio perseverare post conversionem utriusque vel alterutrius ad fidem. Quodsi autem impedimentum fuerit solummodo juris ecclesiastici, matrimonium in infidelitate contractum fuit validum, quia infideles non tenentur legibus Ecclesiæ. Quare dissociandi non sunt conjuges, sive uterque fidem amplectatur sive unus tantum fiat fidelis, sed alter consentiat habitare cum fideli absque contumelia Creatoris. Nulla ergo sunt matrimonia infidelium contracta cum uno ex hisce impedimentis: impotentiæ; defectus usus rationis, erroris substantialis (non vero circa statum servilem), defectus consensus, vis, conditionis appositæ; ligaminis, consanguinitatis in I. gradu utriusque lineæ et in linea recta probabilius usque in infinitum. — Dubia sunt matrimonia infidelium contracta cum impedimento *metus* (cfr. dicta in tit. *De iis quæ vi* [I. 40] n. 7. pag. 418.) et cum impedimentis *civilibus* legitimis; cfr. dicta in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 107. pag. 38—39.

De divortio in matrimonio rato et non consummato inter fideles.

29. Quamvis matrimonium ratum ante consummationem ordinetur ad statum permanentem et exhibeat rationem signi unionis Christi cum Ecclesia et Sacramentum constituat, tamen non

*) Si cl. *von Scherer* in suo *Handbuch des Kirchenrechtes* (latine: Manuali Juris Ecclesiastici) l. IV. §. 136. pag. 560. contendit potestatem Summi Pontificis dissolvendi etiam matrimonia infidelium consummata extra conversiam esse *in praxi*, hæc sententia et claritate caret et veritate. Nam *nunquam* Romani Pontifices *in praxi* dissolverunt matrimonia *valida* infidelium consummata extra casum Apostoli. Ceterum ipse auctor agnoscit controversiam, saltem theoreticam, non esse finitam, l. c. pag. 562. not. 64. in fine.

parit vinculum adeo indissolubile ut nequeat prorsus viventibus conjugibus aliquando resolvi. Etenim matrimonium ratum licet habeat elementa contractus, et Sacramenti, unde exsurgit ordinatio obligationis mutuæ conjugum ad statum perpetuum, tamen non continet nec exprimit illam omnimodam indissolubilem conjunctionem, quæ in jure primigenio exprimitur, quæque ex divina voluntate procedere dicenda est juxta illud 'Quod Deus conjunxit homo non separet.' Nam matrimonium solummodo ratum non exhibet illam completam conjunctionem quam amor sanctificatus ex legitimo fine et ex gratia Sacramenti revera operatur consummatio matrimonii, vi cujus revera verificatur sanctificatio viri et uxoris juxta illud 'itaque non sunt duo, sed una caro'. Unde per consummationem matrimonii Christiani optime exprimitur concreta unio Christi cum Ecclesia in reali et perpetuo vinculo amoris.

30. Hinc in c. 5. '*De bigamis non ordinandis*' (I. 21.) *Innocentius III.* tradit per matrimonium tantummodo ratum proprie non significari indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed potius 'caritatem quæ consistit in spiritu inter Deum et justam animam', ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus 'Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo' 1. *Cor.* VI. 17. Jamvero hæc conjunctio spiritualis, quicumque sit gradus sanctitatis, dici non potest, quoadusque anima justa est in via, absolute indissolubilis. Itaque matrimonium ratum et non consummatum potest dissolvi.

31. Duo sunt casus solutionis: I°. *per professionem votorum solemnium in Religione approbata. Tridentinum* in cn. 6. sess. 24. *De matr.* sic loquitur: »S. q. d. Matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, A. S.«. — Conferantur cc. 2. et 7. *(Alexandri III.)* necnon 14. *(Innocentii III.) De convers. conjug.* (III. 32). Hoc privilegium *religiosæ conversionis* imitatur alterum privilegium conversionis ad fidem vel potius profiteri solemniter considerabatur velut mori sæculo. Quare libertas quæ ex *naturali* morte conjugi obveniebat, transferebatur etiam ad mortem *moralem.* Pauca notamus ad explicandum canonem Tridentini. 1. Dicitur »matrimonium ratum *non consummatum*«. Consummatur autem matrimonium perfecta copula carnali *post* initum matrimonium posita. Leges civiles Romanæ statuerunt dissolvi professione solemni matr. etiam *consummatum;* l. 53. §. 3. C. *De Episcopis et clericis,* c. 12. Nov. 117. *Ut liceat matr.* etc., c. 40. Nov. 123. *De ss. Episcopis.*

Istæ enim leges conversionem ad monasticam vitam æquiparabant omnino morti naturali. Verum *S. Gregorius I.* indissolubilitatem matrimonii christiani *consummati* strenue defendebat, cc. 19., 21., 25. C. 27. q. 2. In citatis his cc. de matrimonio *rato tantum* non agi, ex ipso textu cc. 21. et 25. et ex interpretatione Glossatorum apparet. —

Dicitur 2°. »per solemnem religionis professionem«, quibus verbis excluditur susceptio ordinis sacri, vel simplex professio sive in aliqua Congregatione sive in aliqua Religione; cfr. tit. *De regularibus* (III. 31) n. 4. pag. 291.; excluduntur etiam vota simplicia in Societate Jesu. Attamen susceptio sacri ordinis potest esse causa ob quam Summus Pontifex dispenset super matrimonio rato non consummato. — Hæc dicta sufficiunt in theoria, i. e. quando adest matrimonium ratum tantum et quando una pars ex sic conjunctis emisit professionem religionis solemnem, matrimonium dissolutum est. Quod si quis negaverit, anathemati subjacebit; credendum igitur hoc solum est professioni solemni inesse vim dissolvendi matrimonium ratum tantum. Pro praxi ulteriora notantur: 3°. Quoniam ab ingressu in religionem usque ad professionem solemnem præterlabi potest non modicum tempus, impetrari potest a S. Sede *abbreviatio* temporis pro solemni professione requisiti. 4°. Pars quæ desiderat ingredi religionem, absque culpa potest desiderium suum implere intra primum bimestre matrimonii et etiam postea. Sed altera pars post bimestre valet adire Ordinarium ut hic etiam censuris cogat partem cunctantem aut ad ingrediendum aut ad consummandum matrimonium, S. C. Con. in *Placentina* d. 3. Febr. 1725. 5°. Non-consummatio matrimonii similiter dijudicari debet uti in dispensatione super matrimonio non consummato (de qua in sequentibus). Quare parti relictæ in sæculo ad novum matrimonium ineundum *testimonium Ordinarii de status libertate,* quæ fundatur in testimonio et de non-consummatione dicti matrimonii et de emissa professione alterius partis solemni.

32. II°. *Per dispensationem Summi Pontificis* dissolvitur matrimonium ratum tantum. In Romano autem Pontifice hanc potestatem residere probatur:

1°. ex dissolutione matrimonii rati tantum per solemnem religionis professionem effecta. Etenim cum vota simplicia a solemnibus essentialiter non differant, voto autem simplici non insit vis

dissolvendi matrimonium ratum tantum, hæc vis debet inesse solemnitati votorum. Atqui solemnitas votorum procedit ex jure *ecclesiastico*. Juri ecclesiastico ergo inesse debet vis dissolvendi matrimonium ratum tantum. Unde necessario supremæ potestati, i. e. Romano Pontifici, attribuimus. —

Probatur 2°. ex facto publico et authentico Romanorum Pontificum, nunc — pæne dixi — *quotidiano*. De facto autem ad potestatem valet illatio: i. e. quando Papæ ex tempore *Martini V., Eugenii IV.,* postea *Pauli III.* et *Pii IV.* usque ad nostra tempora dissolvebant et dissolvunt ejusmodi matrimonia non raro, saltem nostro sæculo, sed sæpissime; non hæsitantes, sed certi de sua potestate, necessario potestate hac pollebant et pollent.*)

33. Hæc potestas dissolvendi matrimonium ratum tantum spectat ad *Summum Pontificem*. Agitur enim in hoc casu de interpretatione juris divini quandoquidem etiam matrimonium ratum tantum est indissolubile jure divino. Interpretari autem jus divinum spectat ad Vicarium Christi in terra. — Ratio autem cur matrimonium ratum et consummatum omnino non possit dissolvi, cum matr. non consummatum dissolvatur, est: 1°. quia solum matrimonium christianum consummatum repræsentat unionem inter Christum et Ecclesiam plene, alterum vero imperfecte tantum; 2°. quia agitur in primo de dissolvendo vinculo etiam physice confirmato »duo in carne una«, cum in secundo vinculum solum *morale* dissolvatur. — Nostris temporibus contraria sententia, propugnata a Scotistis, e. gr. *Reiffenstuel* in h. t. nn. 3—8., probabilitate carere censenda est.**)

34. Quomodo procedendum est ad impetrandam hanc dispensationem super matrimonio non consummato?

I. Supplex libellus pro impetranda dispensatione procedere debet aut ab *uno aut ab utroque conjuge;* petitio personæ tertiæ

*) Dissolutionem matrimonii rati tantum diversis ex causis non raram fuisse tempore Gratiani testatur *Freisen:* c. l. c. gr.. pag. 175. Utrum autem Glossatores sub nomine „desponsationis" semper matrimonium ratum tantum intellexerint præsertim tunc temporis, ubi neque Tridentina neque Lateranensis forma urgebat, merito dubitatur. At certo potestatem dissolvendi matrimonium ratum tantum Ecclesiasticæ potestati adscriptum fuisse. loci ab auctore citati testantur.

**) Multa dispensationis ejusmodi exempla, inter quæ duo *Alexandri VI.* famosa. citat *von Scherer* l. c. pag. 556. §. 136. not. 47.

merito recusatur, cfr. dicta superius in tit. *Qui matr. accusare* (IV. 18) n. 2. pag. 287. et decisionem S. C. C. d. 15. Martii 1727. ad II^um^. (apud *Richter* etc. pag. 270. n. 113. in fine).

II. Supplex libellus dirigi debet ad *Summum Pontificem* sive immediate sive mediate id fiat. Commendatur, ut per Ordinarium fiat, quia hic melius meritum causæ exponere valebit, unde concludi possit, utrum causa laboribus processus satis ardui sit digna. — Ordinarius processum super non-consummatione ex professo suscipere nequit argumento responsi S. C. Conc. in *Varsavien.* d. 16. Junii 1894. ad II^um^. Quæstioni enim »Liceatne sine speciali pro unaquaque vice permissione S. Congregationis recipere instantiam et instituere processum in ordine ad efflagitandam dispensationem Sanctissimi?« respondit S. C. Ad II. *Negative.* Attamen si ex competentia Ordinarii processus canonicus inceptus est et per accidens resultat non-consummatio matrimonii, hujus processus actus ad exitum perducti Romam mitti possunt dispensationis impetrandæ causa, ibidem nn. III. et IV. Ad actus prædictos pertinent conjecturæ (vel potius *observationes)* defensoris matrimonii, minime vero vota theologi et canonistæ, ibidem n. V.

III. Ad processum instituendum delegatur Ordinarius supplicantis vel supplicantium vel Ordinarii quando supplicantes non ad eandem diœcesim pertinent cum necessaria potestate subdelegandi. Processus ad finem perductus transmittitur Romam vel ad S. C. C. vel ad S. C. Inq. Si difficultates exoriuntur, S. Sedes consulenda erit. —

IV. Scopus hujus processus est duplex: 1. ut monstretur matrimonii inconsummatio; 2. ut causa vel causæ dispensandi afferantur.

Ad 1. Tres casus quoad hoc sunt distinguendi: a) casus in quo conjuges nunquam soli cohabitabant tempore post matrimonium — »inconsummatio coarctata tempore«, S. C. C. in rescripto d. 15. Dec. 1891. (A. S. S. vol. 28. pag. 334) —; b) casus ubi cohabitabant quidem, sed copulam non tentabant; c) casus ubi etiam copulam tentabant. — Media ad probandam non-consummationem matrimonii sunt: testimonium utriusque conjugis; testimonium VII. manus quod in responso *Varsavien.* S. C. C. d. 16. Jun. 1894. ad I^um^. in ejusmodi processibus super non-consummatione expresse requiritur idque in stricto sensu; physica corporis inspectio. In primo casu sufficit probare per utriusque testimonium vel per testes idoneos conjuges solos nunquam cohabitasse, id quod moraliter est intelligendum juxta verba *Cosci: De sep. thori* l. I. cp. 16.

n. 12. sqq.: »Hanc probationem facere possunt testes, qui deponant quod conjuges, contracto matrimonio, nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem, quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint, nec unquam sub eodem tecto cohabitaverint, seu etiam in cubiculum ingressi fuerint apertis januis, ibique nonnisi per momentum moram traxerint, eoque magis si eorumdem testium depositioni accedat assertio utriusque conjugis juramento firmata, quæ pariter matrimonii consummationem excludant, quibus probationibus concurrentibus, dubitari nequit quin ratum tantummodo sit matrimonium«. Exempla habes in *Nicosien.* d. 19. Jan. 1889. ubi mater filium neo-maritum revertentem a curia parochiali ubi matrimonium inierat, abripuit ab uxore ejusque comitibus, unde nunquam conveniebant; in *Viterbien.* d. 28. Febr. 1891., ubi maritus celebratis nuptiis in ecclesia festinavit ad castra militaria et postea in aliam civitatem. Verum si hoc »nunquam« nequit per testes probari et conjuges sunt incertæ fidei, etiam in hoc casu ad inspectionem physicam recurrendum erit quæ inter omnes certissimam præbet probationem.

Quare in secundo et tertio casu regulariter deveniendum est ad hanc inspectionem. Hæc inspectio jam supra descripta fuit in tit. *De frigidis* (IV. 15) nn. 41. sqq. pag. 271. sqq. Nonnunquam autem dispensatur etiam in hisce casibus super hac inspectione: 1°. quando mulier jam ab alio corrupta fuit, quia inspectio inutilis esset; 2°. quando mulier hanc inspectionem perhorrescit, dummodo aliunde pateant probationes.*)

Desperatus autem censendus est casus quando inspectio corporalis aut inutilis est aut a muliere repellitur; itemque et oratores sunt suspectæ fidei secundum testimonium VII. manus. Quare jure merito S. C. C. in *Parisien.* d. 6. Sept. 1890. repulit instantiam quæ petiit dispensationem super matrimonium ratum tantum. Semper id studendum est, ut inconsummatio probetur certitudine *morali;*

*) Professores artis medicæ et physiologiæ (cfr. votum Canonistæ in *Parisien.* d. 6. Sept. 1890. qui citat *Lazzaretti: Medicina legale* l. III. pg. 386 sqq., pag. 47 etc.; *von Scherer* c. l. pag. 273. §. 115. etc.) docent etiam post conceptionem posse inveniri hymenem incorruptum ex eo quod semen virile incorrupto hymene ingrediebatur per ostium vaginæ naturale (plerumque semilunare). At si conceptio locum non habuit, inconsummatio merito præsumi potest.

hæc requiritur et sufficit, S. C. C. in *Corduben.* d. 20. Sept. 1760.; in *Romana* d. 17. Sept. 1808.

Ad 2. *Quæ sunt causæ dispensandi?*

Antequam quæstioni huic respondeamus, præmittimus Summum Pontificem absque causa nec licite nec valide posse dispensare. Etenim exploratum est matrimonium etiam ratum tantum jure *divino* esse indissolubile, ergo indissolubilitas constituit legem divinam. Quotiescunque autem Superior secundarius in lege primarii Superioris dispensat, necessariæ et ad liceitatem et ad valorem sunt causæ dispensandi. Ita theologi et canonistæ communiter. — Si Romano Pontifici solam *interpretandi* potestatem vis attribuere, eadem prorsus repetere debes. Nam causæ speciales sunt circumstantiæ ob quas divina lex non obligat; cfr. dicta in tit. *De voto* (III. 34) n. 19, cum nota, pag. 330.*)

Hisce præmissis indicamus causas, ob quas dispensatio hæc dari potest et solet: aliæ causæ concernunt *contractum matrimonialem*, aliæ *vinculum quoddam superveniens*, aliæ *mutationem in relatione utriusque conjugis ad invicem.*

I^um^. genus causarum locum habet: 1^0^. quando *dubium* versatur *circa valorem* ipsius contractus matrimonialis, e. gr. ob metum, deficientem consensum, impotentiam; 2^0^. quando matrimonium initum fuit cum *errore accidentali* quidem, sed *magni momenti*, e. gr. relate ad morbum, vitium morale, fictam substantiam vel nobilitatem etc. —

II^um^. genus causarum spectat ad *vinculum quod alteruter ex conjugibus nectebat*, e. gr. vinculum matrimonii civilis, voti simplicis in religione, ordinis sacri, etiam affinitatis vel cognationis spiritualis supervenientis. —

III^um^. genus causarum concernit *aliquam mutationem relationis ad invicem:* 1^0^. per morbum supervenientem, uti *syphiliticum*, S. C. C. dd. 5. Febr., 1. Apr., 13. Maji 1873.; *epilepsiam*, S. C. C.

---

*) Cl. *von Scherer* l. c. pag. 557. not. 49.) sic loquitur: „Dispensationem juris naturalis divini sine justa causa concessam esse invalidam docent *Sanchez*, l. c., disp. 15, n. 6., *Gasparri*, l. c., II., 242; verum respectu juris deesse auctoritatem quæ hac de re dare possit definitivam decisionem, quare tota quæstio in praxi videtur inutilis". Dato principio juridico „nemo judex in propria causa", negamus auctoritatem ejusmodi deesse; nam in nostro casu quia agitur de juris *principio*, mutuemus oportet decisionem a theologia dogmatica, in qua summum magisterium pro infallibilitate sua dat judicium definitivum.

dd. 10. Jun., 5. Aug., 16. Dec. 1876. et 21. Apr. 1877., amentiam, furorem etc. 2°. per crimina supervenientia, e. gr. adulterium, insidiæ etc. 3°. per aversionem, odium, inimicitias unius vel utriusque partis. 4°. per calamitates, e. gr. captivitatem diuturnam. Huc accedit causa nunquam despicienda, sc. periculum *incontinentiæ* in alterutra vel utraque parte. — Nonnulli auctores inter causas numerant etiam mutuum consensum in disjunctionem. Sed quando sola hæc causa affertur —, si casus accidet! —, nobis non videtur sufficiens.

De dissolutione matrimonii invalide initi.

35. Quid dicendum *de divortio quoad vinculum, quod ex capite nullitatis matrimonii requiratur?*

Primo quidem conjuges licet *certi* sint de exsistentia impedimenti dirimentis, tamen auctoritate *privata* non possunt a matrimonio recedere. Quod enim coram Ecclesia celebratum est, judicio Ecclesiæ ipsius resolvi debet, c. 3. h. t. In hoc capite Pontifex sub pœna excommunicationis obligat aliquem ad recipiendam suam uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem deseruerat.

36. Attamen posita conscientia impedimenti, non possunt conjuges matrimonio *uti,* sed vivere debent ceu frater et soror, quoadusque Ecclesia declaraverit nullitatem matrimonii. Imo neque uti debent matrimonio licet ex præcepto superioris cum comminatione censurarum fortasse ad id faciendum adigerentur, c. 13. *De Restit. Spoliat.* (II. 13).

37. Porro in judicio de nullitate matrimonii non sufficit quælibet probatio, sed *plena* probatio necessaria est. Argum. ex c. 1. *De Consang. et Aff.* (IV. 14) et ex c. 22. *De Testibus* (II. 20). Pro valore enim matrimonii præsumendum est, quoadusque contrarium probatum non fuerit. Hinc non sufficit assertio etiam utriusque conjugis, qui impedimenti exsistentiam enuncient, licet rumor viciniæ accesserit, c. 5. *'De eo qui cognovit'* (IV. 13.).

Cæterum quomodo procedendum sit in causa nullitatis matrimonii, videri potest in tit. *De frigidis* (IV. 15) nn. 10. sqq. necnon in tit. *Qui matrim. accusare* (IV. 18) n. 17. pag. 291. — Verum non semper dissolutio matrimonii petenda est, sed parochus ordinarie id studeat ut revalidetur matrimonium. Diximus »ordinarie« etenim interdum revalidatio nequit: a) ob dissensum partis alter-

utrius vel utriusque; b) ob naturam impedimenti quod est indispensabile; c) ob mala graviora quæ ex revalidatione sequerentur.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

38. In matrimonio etiam rato et consummato fidelium, quod respectu vinculi est absolute indissolubile, potest admitti dissociatio illius consuetudinis vitæ individuæ, ad quam ordinatur matrimonium, scilicet potest locum habere divortium *semiplenum.*

39. Divortium hujusmodi potest verificari vel ex mutuo consensu, vel alterutro conjuge dissentiente. *Mutuo consensu* peragitur divortium, cum uterque ingreditur Religionem, vel mulier concedit viro copiam clericalem militiam amplectendi, juxta dicta in tit. *De convers. Conjugat.* (III. 32.) n. 9. Hoc insuper divortium saltem quoad torum ex mutuo consensu præsertim quoad tempus juxta dicta Apostoli *Pauli* 1. *Cor.* VII. 5. fieri potest, quia a nullo jure prohibetur.

40. Etiam *altero conjuge dissentiente* fieri potest divortium semiplenum ex legitima causa.

Causæ autem hujusmodi aliæ ex se gignunt solummodo *temporaneum* divortium. Una vero, scilicet *adulterium,* natura sua tribuit conjugi innocenti jus in *perpetuum* divertendi a conjuge adultero.

Hanc causam habes expressam in S. Scriptura apud *Matth.* XIX. 9., ubi dicitur: »Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam — *nisi ob fornicationem* — et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur«. Hanc exceptionem de divortio *semipleno* debere explicari, eruitur ex *Marc.* X. 11—12 necnon ex doctrina omnium patrum antiquorum ac scriptorum ecclesiasticorum, licet in praxi ob contraria Romanorum et Judæorum jura forte tolerata sit nova conjunctio conjugis innocentis in casu adulterii; cfr. *Freisen* c. l. pag. 760—775. Loquimur ergo I°.

I. De divortio ob adulterium.

41. *Adulterium* unius conjugis sive sit vir, sive sit uxor adultera, est conjugi innocenti causa juridica et sufficiens petendi et assequendi divortium perpetuum quoad torum et cohabitationem, cc. 4., 5. et 8. h. t. Siquidem adoptatum est principium 'Frangenti fidem, fides frangatur et ipsi' idest is qui fidem frangit, jus

amisit exigendi ab innocenti conjuge observantiam obligationum individuæ vitæ consuetudinis, quæ ex matrimonio gignuntur.

Debet vero esse adulterium I°. *formale, consummatum, moraliter certum.*

Ergo non sufficit 1°. solummodo *materiale,* quemadmodum ex. gr. si uxor vi oppressa commercium carnale haberet, vel saltem absque culpa ex ignorantia facti inculpabili. Ratio est quia adulterium in hac hypothesi non esset crimen.

Non sufficit 2°. adulterium quod perpetratum est actibus *imperfectis,* velut amplexibus, tactibus turpibus etc. etsi cum pollutione proprii vel alieni corporis conjunctis. Quæritur utrum sodomia vel bestialitas perfecta censenda sit quoad hoc adulterium *consummatum?* Controvertitur, at sequimur *S. Alphonsum* de matrimonio n. 962. qui suadet in *praxi* sententiam affirmantem, in *theoria* autem *negantem,* merito, nam aut requiritur copula ad generationem apta aut sola pollutio inducit hoc adulterium; cfr. declaratio S. Pœnitentiariæ circa *incestum ex sodomia* supra tit. *De eo qui* (IV. 13) n. 3. cum nota, pag. 236.

Moralis certitudo 3°. inducitur etiam quoad hoc præsumptionibus vehementibus, c. 12. *De præsumptionibus* (II. 23) et Comm. nostrum in hunc tit. n. 5. pag. 185.

42. II°. Ut adulterium jus tribuat divortio, debet esse *totum ex parte unius conjugis,* nam si alter conjux vel promoveat, vel consulat, vel saltem tacite consentiat in adulterium conjugis sui, non potest obtinere divortium. c. 6. *'De adulteriis'* (V. 16).

43. III°. Non datur divortium quoties pars innocens *remiserit* parti adulteræ injuriam. Innocens etiam conjux potest renunciare juri suo exposcendi divortium. Actio enim divortii, quæ dicitur actio civilis nata ex adulterio, exclusive competit conjugi innocenti, qui proinde potest eidem renunciare. Renunciatio autem fieri potest *tacite* et *expresse.*

44. Tacite quidem si conjux innocens, optime sciens adulterium alterius conjugis, cum isto habet *liberam* copulam carnalem. Per eam enim censetur renovata et reintegrata vitæ individuæ consuetudo. Pariter præsumitur tacita renunciatio injuriæ adulterii quando pars innocens, licet sciat adulterium alterius publice cognitum, tamen cohabitat pacifice cum parte adultera, et eo magis si eamdem pertractat cum magna familiaritate, et signa indubia amoris ei exhibeat. Ita Doctores communiter. Ratio est quia

hæc quæ diximus sunt signa restauratæ amicitiæ, et condonationis injuriæ acceptæ.

45. Hæc vero condonatio injuriæ et renunciatio divortii intelligi debet in casu criminis adulterii *semel* commissi. Nam si ageretur de adulterio *habituali*, subingrederetur dispositio c. 3. *De adulteriis* (V. 16) quæ ita se habet: 'Si vir sciens uxorem in fornicatione permanere, vixerit cum ea, etiam ipse criminis particeps reputatur.' Idest vir est patronus turpitudinis et reus criminis *lenocinii*. Quare uxorem dimittere debet.

46. Quodsi uxor pœniteat, videndum est utrum pœnitentia sit sincera, necne. Si fuerit sincera, poterit vir uxorem suam retinere; si vero ficta et dolosa fuerit pœnitentia, non poterit vir cum uxore sua cohabitare. Ficta autem censetur pœnitentia quando sæpe a crimine ad pœnitentiam transit et viceversa. Ita in cit. c. 3. *De adulteriis*.

47. IV°. Non conceditur divortium quoties pars, quæ fuerat innocens, et *ipsa adulterii labe maculetur*, antequam juridica feratur divortii sententia. cc. 4. et 5. h. t. nec non cc. 6. et 7. *'De adulteriis'*. Videtur enim intercessisse muta injuriarum compensatio.

48. Nec difficultas exsurgit ex eo quod unus alium in crimine præcesserit, nam cum causa agenda et definienda est ad instituendum juridicum divortium, uterque conjux in eadem versatur conditione fractæ fidei conjugalis.

49. Dixi *'ante sententiam judicis'*. Nam inter Doctores quæstio est utrum divortium sustineatur, vel potius reintegranda sit vitæ individuæ consuetudo, quando pars quæ fuerit innocens, etiam ipsa post judicis sententiam in adulterium labatur.

In hac quæstione nonnulli docent divortium adhuc sustineri, nam per sententiam judicis, quæ transit in rem judicatam, causa finita est, et inducta est separatio perpetua, qua pars innocens soluta prorsus fuit ab obligationibus conjugalibus erga alium conjugem, et propriam quodammodo libertatem recuperasse dicenda est. Quare in c. 6. C. 6. q. 4. ceu principium juris statuitur: 'Quod bene semel definitum est . . . nulla debet iteratione retractari.'

50. At inspecto rigore justitiæ opinio contraria suo non caret fundamento. Nam sententia nihil aliud producit quam jus conjugi innocenti divertendi ab alio conjuge. At hoc jus non est inamis-

sibile, et revera amitti dicendum est per crimen adulterii. Hinc res in eum casum incidisse videtur a quo incipere non poterat. Scilicet solutio matrimonialis conversationis non potuisset abrumpi si non unus solummodo, sed uterque conjux in adulterium lapsus fuisset. Quare quemadmodum qui prius adulterium patravit, amisit jus conjugale acquisitum per matrimonium, ita etiam conjux qui fuerat innocens, per adulterium postea patratum amittit jus libertatis acquisitum per sententiam. Cf. c. 5. h. t.

51. Verum quoniam cessatio divortii et reintegratio conjugalis vitæ est res fori externi, quæ nempe importat externam exsecutionem, ea non incipit ante judicis sententiam, quæ ad petitionem alterius conjugis, qui prius deliquerat, destruat priorem divortii sententiam.

52. Quæritur utrum posito adulterio possit pars innocens *auctoritate propria* divertere.

Quamvis in societate non sint individua, quæ sibi jus reddant, sed legislator et magistratus nomine illius, tamen dantur casus in quibus, posita certa lege, individuum quin turbet publicum ordinem, potest jus suum exercere etiam contra alium invitum. Ex. gr. dominus eripit de manibus furis fugientis res ablatas.

In nostra hypothesi plures Doctores, quidquid alii sentiant, distinguentes inter notorium et occultum adulterium, tenent non quidem in occulto, sed in notorio adulterio posse conjugem innocentem divertere ab alio, quia posito notorio adulterio, jam subintrat lex Evangelica *Matth.* XIX. 9. permittens divortium. Nec requiritur sententia judicis utpote superflua. Siquidem sententia judicis solummodo potest declarare factum, sed non est ipsa, quæ operatur divortium. Divortium enim procedit ex lege Evangelica. Necesse autem non est declarare factum quod jam evidens est. Nam notorium sive juris, sive facti pro veritate habetur. Hinc conjux innocens in hac hypothesi divertens, per se non tenetur obedire superiori ecclesiastico præcipienti reintegrationem conjugii, bene vero potest ad reintegrandum matrimonium ob scandalum quod exoriri posset ex resistentia auctoritati ecclesiasticæ opposita.

53. Quoad rationem tractationis causæ divortii advertimus regulam determinari in Clem. 2. *De judic.* (II. 1) et Clem. 2. *D. V. S.* (V. 11) in quibus capitibus statuitur causas matrimoniales quoad vinculum esse de plano tractandas, idest per judicium summarium, et per consequens non requiri litis contestationem et alias

solemnitates judicii ordinarii. Quare sufficit ut petitio sive scriptis sive verbis facta, actis Curiæ Episcopalis inseratur, et producantur probationes et defensiones, quæ bonum jus ostendunt, ut sententia secundum justitiam dari possit. Pariter servari non debet dispositio tit. »*Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*' (II. 6). Hinc etiam reo contumace judex ultro in causa procedere potest, et sententiam pronuntiare.

54. At Clementinis citatis derogavit *Benedictus XIV.* per Constit. '*Dei miseratione*' quapropter hodierno jure in tractandis et decernendis causis matrimonialibus *quoad vinculum* præ oculis haberi debent cit. c. Clementinæ, nec non cit. Constit. '*Dei miseratione*' et Instructio S. C. C. anni 1840, de qua supra.

55. In ordine vero ad causas divortii quoad *torum et cohabitationem* servatur ratio et forma judiciorum ordinariorum. Præ oculis autem haberi potest resolutio S. C. C. in causa *Bavariæ* de qua egimus in tit. *Ut lite* (II. 6) n. 8. pag. 53.

56. Relate ad onus alendi et educandi filios, ante divortium natos, tenenda norma juris civilis locorum. Cfr. e. gr. Codicem civilem Germanicum qui valebit a Calendis Januarii 1900. §. 1585. Ceterum de matrimonio »civili« ex professo in appendice sermo redibit.

II. De divortio ob alias causas.

57. Licet Salvator unam *fornicationis* causam exceperit, nonnullæ tamen aliæ sunt causæ ob quas licitum est divortium semiplenum, inter quas eminet *fornicatio spiritualis* sc. *hæresis vel apostasia.* Ne dicas: Hæc praxis contraria est dispositioni divini Salvatoris; nam causæ ejusmodi proveniunt ex jure *naturali* quod jus individui non vult perire in obligatione conjugali, quare eas enumerandi non erat opus.

I^a. causa est *lapsus in hæresim vel infidelitatem,* »fornicatio spiritualis«. Quæritur utrum lapsus hujusmodi constituat causam *perpetui* divortii an *temporanei* tantum? Certum videtur hoc crimen esse causam *temporanei* tantum divortii quando pars innocens *proprio marte* ab alia se recepit; secus, quando per *judicium Ecclesiæ;* etenim in ulteriore casu æquiparari videtur omnino fornicationi corporali. Arg. 1°. ex cc. 6. h. t. et 21. *De conv. conj.* (III. 32); 2°. ex ss. Patribus qui hoc crimen interdum fornicationi

æquiparant, e. gr. *Hermas* in suo *Pastore* (sæc. primo vel secundo) c. 6. C. 28. q. 1.; *Augustinus* in cn. 5. ibidem; 3°. ex theoria supra in n. 6. h. t. pag. 302 explanata circa dissolutionem matrimonii quod ex mere catholico ob defectum a fide unius evadebat mixtum; 4°. ex ratione interna; etenim divortium perpetuum conceditur quia *fides frangitur* illic in conjugem, hic in Deum. Neque obstant verba *Innocentii III.* in fine c. 7. h. t.; nam facillime de discessu partis innocentis *privato* interpretari possumus. Quidquid sit de controversia, semper excipitur casus si conjux innocens, jure suæ libertatis usus, statum incompatibilem cum conjugali interim susceperit.

58. II^a^. causa divortii temporanei est *periculum animæ*, ex. gr. si alter conjux a conjuge impellatur ad crimen, vel ad deserendam fidem. Hæc causa adeo valida est ut conjux innocens possit etiam privata auctoritate divertere ad tempus ab alio conjuge; Doctores communiter, arg. c. 2. h. t. Privata autem auctoritas ad divertendum valet solummodo in foro interno, in foro autem externo si alter conjux resistat, debet probari periculum animæ.

59. III^a^. causa pro uxore sunt *minæ* et *sævitiæ* viri, ex quibus timor probabilis oriatur periculi *vitæ* vel gravis *damni*, cc. 8 et 13. *'De Restit. Spol.'* (II. 13). Et quidem quando probabilis *timor periculi gravis urgeat*, potest uxor auctoritate etiam privata virum deserere donec causa discutiatur coram judice. Doctores communiter.

60. Quamvis citata capita loquantur de *uxore divertente*, tamen Doctores communiter cum Glossa in c. 2. h. t. verbis *'vel alio'* tenent etiam *virum* posse uxorem relinquere et provocare divortium quando cognoscantur ex parte mulieris insidiæ et machinationes mortis viri.

Notandum vero est non verificari causam divortii quando minæ vel insidiæ constituunt factum prorsus præteritum et finitum, sed requiritur factum permanens et periculum damni futuri.

61. Quarta causa divortii temporanei esse potest *morbus* alterius conjugis de quo supra in tit. *de Conjug. Leprosorum* (IV. 8) nn. 4—6, pag. 211.

Titulus XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.

I°. De donationibus.

1. Donatio definitur *'Liberalitas nullo jure cogente in alium collata, et ab eodem acceptata'*. Quamvis donari possit propter causam ex. gr. ad gratum animum ostendendum ob officium vel utilem actionem, quo in casu donatio dicitur *remuneratoria*, tamen ut verificetur proprie dicta donatio, persona erga quam exercetur liberalitas, jus verum habere non debet.

2. In titulo agitur de donationibus inter virum et uxorem, constante, i. e. contracto jam matrimonio. Ex c. ult. h. t. habemus confirmatam fuisse legislatione Ecclesiastica dispositionem civilis juris, qua interdicuntur donationes inter virum et uxorem.

Diximus interdictas fuisse donationes *constante matrimonio*. nam inter *sponsos* possunt fieri donationes etiam intuitu nuptiarum, quæque appellantur donationes *propter nuptias*.

Ut cognoscatur extensio prohibitionis donationum inter conjuges, rationes habendæ sunt præ oculis, ob quas istæ donationes prohibitæ sunt.

3. Rationes autem cur donationes inter virum et uxorem. constante matrimonio, invalidæ sunt coram lege binæ adsignantur, 1ª. ne ob nimium amorem unus in alium conjugem rerum suarum *prodigus* fiat et ad paupertatem redigatur; 2ª. ne amor conjugum purus et honestus fiat *venalis*, et concordia inter conjuges abrumpatur ob rem ab uno valde concupitam et ab alio denegatam.

4. Ex hisce rationibus sequitur 1°. a lege interdici solummodo *magnas donationes*, ob quas unus conjux ditior, alius vero fiat pauper; 2°. donationes proprie interdici *de rebus jam possessis*, non autem de *rebus vel juribus futuris et possibilibus;* 3°. sequitur valere donationes eorum, quæ fiant in *ornatum uxoris*, quia usus has donationes recipit, et vir non uxoris, sed sui causa videtur eas fecisse; 4°. sustineri etiam donationes uxoris ut *vir honoribus vel muniis augeatur*, quia hæc etiam in uxoris bonum cedunt. Ita Doctores juxta leges civiles communiter receptas.

5. 5°. Ex allatis superius rationibus sequitur interdici magnas donationes *inter vivos,* quæ nempe sint natura irrevocabiles, non autem quæ fiunt *contemplatione mortis,* quia postremæ donationes possunt revocari quando placeat, ad modum testamenti quod non valet ante mortem testatoris. Hinc non verificatur ratio paupertatis. Quæ animadversio etiam ostendit cur in jure expresso in c. fin. h. t. dicatur morte donantis firmari donationes invalide factas si ante mortem non fuerint revocatæ ab eodem.

6. Et quidem donationes non revocatæ confirmantur non solum per mortem *naturalem,* sed etiam per mortem *civilem,* et per *professionem in Religione* quæ incapax est possessionis. Ratio est quia lex interdicens donationes magni momenti, vult consulere bono donantis ne in paupertatem incidat. Hinc statuit donantem non teneri ad observandam donationem, sed posse eam revocare quando velit. Si igitur donans vivens non revocaverit, præsumitur morte confirmasse actum donationis, et quasi per testamentum alteri conjugi reliquisse portionem bonorum suorum.

7. Tandem juxta principia juris in tit. *'De Jurejur.'* (II. 24) dicimus non posse revocari donationes inter virum et uxorem juramento firmatas, quia donans videtur renunciasse juri revocandi et rescindendi actum donationis.

II°. De dote.

8. Nomine dotis venit *'certa pecuniæ quantitas aut res sive mobilis sive immobilis, ab ipsa uxore vel ab alia persona data vel promissa viro in occasione matrimonii ad sustinenda onera ejusdem matrimonii'.*

Hinc alia est dos *promissa,* alia *constituta.* Dos pariter dividitur in *qualificativam et quantitativam.* Qualificativa consistit in fundo vel in re inæstimata, vel si æstimatio addatur, solummodo adjiciatur demonstrationis causa. Quantitativa est quæ consistit in numerata pecunia, vel in determinato valore alicujus rei.

9. Si dos marito tradatur, maritus fructus ex ea provenientes solummodo percipit, quia non proprietas, sed fructus necessarii sunt ad onera matrimonii ferenda. Hinc vir tenetur conservare uxori suæ acceptam dotem, sive quoad qualitatem, seu rem determinatam, si dos fuerit qualificativa, sive quoad æstimationem et valorem si dos fuerit quantitativa.

Quod si dos solummodo promissa fuerit, qui promisit tenetur respondentes fructus solvere viro, quia dos est natura sua frugifera, eo quod traditur vel promittitur ad sustinenda onera matrimonii.

10. Præter dotem uxor potest afferre secum alia bona, quæ remaneant penes ipsam tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum, quæque dicuntur *extradotalia*. Vir nullum jus habet circa bona hujusmodi, quia non sunt ordinata ad sustinenda onera matrimonii. Quod si hæc bona tradantur viro administranda, appellantur *paraphernalia*. In his autem bonis vir habet nudam custodiam et administrationem ad uxoris beneplacitum, cui etiam uxori cedunt fructus eorumdem bonorum.

11. Doti quam affert mulier respondet *donatio propter nuptias seu contrados*, cujus nomine venit quidquid vir ante vel post nuptias uxori adsignat in securitatem dotis, retinens apud se administrationem et usumfructum rerum adsignatarum.

12. Donatio propter nuptias distinguitur a *sponsalitia largitate*. Etenim sponsalitia largitas est quidquid sponsi sibi invicem donant sub tacita conditione ineundi matrimonium futurum. Hinc sponsalitia largitas est restituenda quoties matrimonium absque alterius sponsi culpa non sequatur. l. 15. C. *De Donat. ante Nupt.* Transit vero in plenum et perpetuum dominium donatarii, quoties matrimonium fuerit contractum.

III°. De restitutione dotis.

13. Si matrimonium dissolvatur per *divortium plenum*, dos est restituenda uxori, vir autem contradotem liberam recuperat, nisi ex consuetudine aliud obtineat, vel nisi pactum intercesserit de lucranda dote vel donatione inter nuptias. Ita in c. ult. h. t. in fine.

14. Quod si matrimonium fuerit resolutum *per mortem alterutrius* conjugis restitutio facienda est solummodo, liberis non exstantibus. Liberi enim exstantes succedunt in bona et jura parentum defunctorum.

15. Si *divortium* sit *semiplenum*, distinguendum est utrum ex mutuo consensu, vel ex crimine separatio conjugum fiat. Si ex mutuo consensu separentur conjuges, mulier recuperat dotem, vir res donatas propter nuptias, si autem ex adulterio, vel in genere

ex crimine viri, mulier recuperat dotem, c. 1. h. t. et etiam suum faciet dotalitium seu donationem propter nuptias. Arg. c. 4. h. t.

16. Si vero divortium fiat ex adulterio, vel *ex* alio *crimine* uxoris, ipsa amittet jus repetendæ dotis, quæ viro cedit. c. 4. h. t.

Causam restitutionis dotis videt et decernit idem Judex, qui causam divortii cognoscit. C. 3. h. t. Tandem in re nostra animadvertimus juxta canonicum jus expressum in c. 2. h. t. ea bona quæ, constante matrimonio, obveniunt et sunt effectus industriæ communis conjugum, æquitate suadente, utrique conjugi æquis partibus spectare, adeoque, soluto matrimonio, æque esse dividenda.

Titulus XXI.

De secundis nuptiis.

1. Secundæ et eo magis posteriores nuptiæ minus honorabiles in Ecclesia habitæ sunt, tum quia videntur insinuare intemperantiam, tum quia non repræsentant perfecto modo typum conjugii Christiani, nempe unionem Christi cum Ecclesia, quemadmodum hanc unionem repræsentat matrimonium unius cum una c. 5. *'De bigam. non ord.'* (I. 21).*) Quare ex defectu significationis ob secundas nuptias inductum est impedimentum irregularitatis ad ordines suscipiendos, et in vetere Ecclesia imponebatur aliqua pœnitentia fidelibus secundas nuptias contrahentibus. Ita c. 8. C. 31. q. 1. At hæc pœnitentia contraria consuetudine sublata est.

Secundæ autem et posteriores nuptiæ non solum validæ sunt, quia in ipsis ratio contractus naturalis, et ratio sacramenti reperitur, sed etiam licitæ revera sunt inter fideles. Sufficiat citare S. *Paulum* in *Rom.* VII. 3. et 1. *Cor.* VII. 39. ubi absolute ait mulierem posse alteri viro nubere in Domino, si vir ejus dormierit. Imo in 1. *Tim.* V. 14. vult S. Paulus, 'viduas juniores nubere'.

2. Sive quia secundæ nuptiæ minus honorabiles sunt præ primis, sive quia semel data nuptialis benedictio iteranda non esse videtur, benedictio interdicta fuit in secundis nuptiis, immo pres-

*) Audi *Minutium Felicem* in libro cui titulus *Octavius* c. 31.: „At nos pudorem non facie, sed mente præstamus. *Unius* matrimonii vinculo libenter inhæremus; cupiditatem procreandi aut *unam* scimus aut *nullam*"; cfr. *Athenagoram* in „*Legatione pro christianis*". c. 34.: *Theophilum* Antiochenum in libro III. ad Autolycum c. 15. etc.

byter secundis nuptiis benedicens, pœna suspensionis plectebatur. C. 1. h. t.

3. Verum per consuetudinem communem introductum est, ut secundæ nuptiæ non quidem benedicerentur quando mulier esset *binuba*, benedicerentur autem quando vir esset *viduus* et duceret uxorem mulierem, quæ alias non fuit benedicta. Ratio est liturgica. Quia benedictio proprie dirigitur ad uxorem, hinc mulier, quæ aliud matrimonium non contraxit, benedictionem quam alias non recepit potest recipere.

4. Quæritur *quandonam possint novæ nuptiæ contrahi.*

Juxta leges civiles Cod. Just. h. t. nuptiæ interdictæ erant intra annum luctus, ita ut mulier quæ ante completum annum a morte primi viri nupsisset alteri viro incurreret pœnam infamiæ, nec non alias pœnas, ex. gr. inhabilitatis ad quamcumque hæreditatem vel legatum obtinendum.*)

Hæc porro dispositio facta erat 1^0. ut rigide et indubie definiretur paternitas filiorum, nec facile ad primum conjugium referrentur filii geniti in secundo conjugio; 2^0. ut bonorum morum ratio servaretur, et evitaretur periculum in mulieribus cogitandi et conciliando novas nuptias, prioribus adhuc exsistentibus.

5. Verum jus canonicum adhærens intentioni juris divini expressæ a *S. Paulo* in 1. *Cor.* VII. 8. et cupiens evitare periculum incontinentiæ in conjuge superstite correxit jus civile, et abstulit pœnas statutas contra conjugem superstitem, qui contraheret matrimonium ante completum annum luctus a morte prioris conjugis. Ita in cc. 4. et 5. h. t.

6. Sed juxta legem *S. Pauli* in l. c. requiritur ut *cognoscatur mors alterius conjugis.*

Lucius III. statuit ut nullus ad secundas nuptias migrare præsumeret, nisi constaret de morte alterius conjugis. Consonat c. 19. *'De spons. et matr.* (IV. 1). Quod si nondum habita certa notitia mortis alterius conjugis, alter conjux matrimonium contraxerit, et proinde aliquatenus dubitet de valore hujus secundi matrimonii, poterit utique debitum reddere si ab alia parte petatur,

*) In Codice Civili Germanico §. 1313. statuitur: „Mulier non potest novum matrimonium inire nisi elapsis 10 mensibus post dissolutionem vel declarationem nullitatis prioris matrimonii. Excipitur casus quod interea peperit. Dispensatio conceditur."

quæ versatur in bona fide, quia fraudandum non est jus quod habet pars in bona fide; non poterit vero debitum petere, quia aliquis uti non potest jure quod certo non possidet. Si autem inde constiterit de vita prioris conjugis, matrimonium secundum est solvendum prorsus, quia nihil est amplius quam connubium formaliter adulterinum. Ita in cit. c. 2. h. t.

7. Quæritur quomodo legitime constare debeat resolutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis. Inquisitio est accurate facienda a Parocho et a Curia Episcopali, immo juxta intentionem Trid. Conc. in c. 7. sess. 24. '*De ref. matr.*' Parochus non videtur posse assistere matrimoniis, quando ex alienis testimoniis deprehendat factum resolutionis matrimonii per mortem alterius conjugis, nisi adsit Curiæ Episcopalis licentia.

Constare autem potest Curiæ Episcopali mors prioris conjugis ex fide authentica Parochi illius in cujus Parœcia conjux mortuus sit.

8. Nec aliqua documenta admittenda sunt, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii et recognita saltem per testes qui habeant notam manum aut sigillum, et attente consideretur ut fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur. Ita in speciali Inst. S. C. Inq. Pariter de morte prioris conjugis constare potest per authenticam fidem rectoris hospitalis, vel capellani loci, aut exercitus, in quo conjux diem supremum occubuit.

Hisce deficientibus possunt admitti duo testes, qui sub juramento deponant revera solutum fuisse primum conjugium morte alterius conjugis.

Testes autem sunt interrogandi juxta normam statutam in cit. Inst. S. Cong. Inquis. a. 1670.

Referuntur quædam Instructiones S. Sedis, quæ practicam regulam exhibent in re matrimoniali servandam.

9. Cum Instructiones S. C. Inq. annorum 1658. et 1665. non accurate observatæ essent, *Clemens X.* jussit novam per eandem S. C. Inq. publicari Instructionem, cujus ad unguem observatio sub pœnis etiam gravibus corporalibus inculcatur. Promulgabatur Romæ more solito cum conditione tamen ut »post duos menses a die publicationis in Urbe faciendæ numerandos« ubique valeat, etiam extra Urbem. Decretum S. Officii emanavit d. 21. Aug. 1670.

Instructio S. C. Inq. jussu Clementis X. „Cum alias" pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Urbis Vicarii quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum.

10. 'I°. In primis testis moneatur de gravitate *juramenti* in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas læditur ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, et quod imminet *pœna* triremium et fustigationis deponenti falsum.

11. 'II°. *Interrogetur* de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, et habitatione.

'III°. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

'IV°. An ad examen accesserit sponte vel requisitus; si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

'V°. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

'VI. Interrogetur an cognoscat contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis et conditionis exsistant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

12. 'VII. Interrogetur an contrahere volentes sint cives vel *exteri*. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel Diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium et reddant sufficientem rationem causæ sententiæ eorum, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

13. 'Si vero responderit contrahere volentes esse *cives*,

'VIII. Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarint, vel habitent de præsenti.

'Item an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum ex quo non possit contrahi matrimonium.

'Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra,

'IX. Interrogetur de *causa* scientiæ, et an sit *possibile* quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat.

'Si responderit *affirmative*, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

'Si vero responderit *negative*,

'X. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex colligere poterit an testi sit danda fides.

14. 'Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse *mortuos*,

'XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto *testimonio authentico* a *Rectore hospitalis*, in quo prædicti decesserunt, vel a *Rectore Ecclesiæ* in qua humata fuerunt eorem cadavera, vel si fieri potest a *duce* illius *cohortis* in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere *alias probationes*, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ et sufficientes.

'XII. An post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad *secunda vota*.

'Si responderit negative,

'XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

'Si responderit affirmative supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

'Si vero negative,

'XIV. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia nec ne.

15. 'Si contrahentes sunt *vagi* non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis, servata forma Concilii Tridentini in c. 7. sess. 24. *De ref. matr.*

16. 'Fides aliaque *documenta*, quæ producuntur a partibus non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur, quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

17. 'Pro testibus in hac materia recipiantur magis *consanguinei* quam extranei, quia præsumuntur melius informati, et *cives* magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio, et Notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit utatur clausula 'mihi bene cognitus', sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quæ attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum.

18. 'Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, *Officialis* specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario; si extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio S. Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

'Ordinarii præcipiant omnibus et singulis Parochis in eorum Diœcesibus exsistentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel ejus generali Vicario, prius teneantur, authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium.

'Contravenientes autem severe punientur.'

Non est opus animadvertere corporales pœnas de quibus in N°. I. Instructionis, non amplius in usu esse.

Instructio

Sup^ae Sacræ Cong^nis Inquisitionis ad probandum obitum alicujus conjugis. Die 13. Maji 1868.

19. ‚Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse, alterutro vero conjuge vita functo, secundas, immo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiæ Catholicæ doctrina est.

'Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quæ difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc sancta Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, sæpius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut prædicti matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

'Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. 'Dominus', *De secundis nuptiis* (= 2. h. t.) vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti in cap. »In præsentia«, *De sponsalibus* (= c. 19. X. IV. 1). Inde etiam ea, quæ explanatius traduntur in Instructione *'Cum alias'* 21. Augusti 1670 a *Clemente X.* sancita et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Eminentissimi Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quæ propius ad rem facientia ibi habentur n. 12. et 13. (Hanc Instruct. superius retulimus).

'Et hæc quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitæ vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis:

20. 'Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo legitimæ sint et sufficientes,') sequitur quod stantibus licet principiis generalibus præstitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Præsidum judicia hærere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; immo cum pro summa illa facilitate, quæ ætate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit,

ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas, pro re nata, ut ajunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

'Quapropter S. eadem Congregatio hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis præsertim missionum locis, Ecclesiasticos Præsides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, necesse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quæ jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulæ indigitentur, quas in ejusmodi casibus hæc ipsa sacra Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem possint judicia fieri, vel certe si recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententiæ non debeat. Itaque

21. 'I. Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a *sola* ejus *absentia* quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris Canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. mem. *Pius VI.* ad Archiepiscopum *Pragensem* die 11. Julii 1789 rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullumque suimet indicium dederit. *'Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit quam ejus contumacia'*.

22. 'II. Hinc ad præscriptum eorumdem Sacrorum Canonum, *documentum authenticum* obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam si haberi nequeat ab auctoritate Ecclesiastica, a Gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

23. 'III. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. *Testes* autem *duo* saltem esse debent jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriæ

vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

24. 'IV. Interdum *unus* tantum *testis* examinandus reperitur, et licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux alias nuptias inire peroptans vitam cœlibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit suprema Congregatio in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac præterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri, quod non sit congruum et omnino verisimile.

25. 'V. Contingit etiam ut *testes* omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel etiam ob quamcumque rationabilem causam *examinari nequeunt;* tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutæ mortis prudenti judicio.

26. 'VI. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex *conjecturis, præsumptionibus, indiciis* et *adjunctis* quibuscumque sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio id prudenti relinquendum est judicis arbitrio.

Hinc tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illæ sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

27. 'VII. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ *personam ipsius* asserti *defuncti* respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur ex. gr.

'An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxorumque diligeret, nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

'An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quæ tunc ejus ætas, et valetudo esset.

'An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quam primum redeundi aperuerit, aliaque hujus generis indicia colligantur.

'Alia *ex rerum adjunctis* pro varia absentiæ causa colligi indicia sic poterunt:

'Si ob *militiam abierit,* a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnæ interfuerit, utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

'Si *negotiationis causa iter susceperit,* inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit vel pluribus comitatus; utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiæ etc. etc.

'Si *maritimum iter fuerit aggressus,* sedulo investigatio fiat a quo portu discesserit, quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit, quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quæ navis cautionem forsan dederit, pretium ejus solverit: aliæque circumstantiæ, si quæ sint diligenter perpendantur.

28. 'VIII. *Fama* quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus; nimirum quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

29. 'IX. Tandem si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas *ephemerides,* datis Directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

30. 'X. Hæc omnia pro opportunitate casuum Sacra hæc Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima aga-

tur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium *Theologorum,* et *juris prudentum* suffragiis, denique suum judicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

31. 'XI. Ex his omnibus Ecclesiastici Præsides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad *S. Sedem recurrere* debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis'.

32. Ad rem faciunt præterea: 1. *Responsiones S. C. Inq. ad dubia circa exterorum matrimonia* (ex append. Synodi *Veliternæ* Card. *Matthæi,* Romæ 1819, pag. 145) quas invenies in *Mon. Eccl.* vol. II. part. 3. pag. 166. necnon apud *Gasparri II.* pag. 440. n. III.; 2. item responsiones ejusdem S. C. Inq. fer. IV. d. 24. Febr. 1847. (cc. ll. pag. 165. et pag. 438.); 3. Instructio in *Adrien.* ejusdem S. C. Inq. d. 1. Febr. 1865., quæ denuo communicata est d. 30. Nov. 1898.; vide *Mon. Eccl.* vol. VIII. part. 1. pag. 219. et vol. X. pt. 2. pag. 222.; 4. Responsiones S. ejusdem C. ad Vic. Ap. *Constantinopolitanum* d. 2. Apr. 1873. *(Gasparri:* c. l. II. pag. 443); 5. Instructio ejusdem S. C. ad Delegatum Ap. *Ægypti* an. 1879. (apud *Gasparri:* c. l. II. pag. 441.); 6. Instructio ejusdem S. C. ad Ordinarios *Orientales* d. 29. Aug. 1890. (*Mon. Eccl.* vol. VII. pt. 1. pg. 243., *A. S. S.* vol. 23. pag. 189.) — Huc accedunt responsio S. C. Concilii in *Wratislavien.* d. 14. Dec. (Mon. Eccl. vol. VI. pt. 1. pag. 266.) 1889. necnon responsio S. C. Inq. d. 20. Julii 1898. *(Mon. Eccl.* X. 2 pag. 145. — Ex hisce Instructionibus et Responsionibus notamus quæ cl. *Gasparri* in c. l. I. n. 127. quasi essentialia extraxit nonnullis necessario mutandis mutatis.

33. Quando sponsi, vel eorum alter, vel eorum parentes de ineundo matrimonio parochum monent, hic eis dicet duos testes esse exhibendos qui de statu libero deponant. Hoc testium examen fieri debet, Romæ coram notario et officiali a Card. Vicario specialiter deputatis, extra Romam coram Episcopo, vel Vicario Generali, aut alia persona insigni et idonea (ecclesiastica) ab Episcopo specialiter deputata. Utrum idonea sit et insignis, judex est ipse Episcopus. Pro iis locis quæ a civitate episcopali distant, Episcopi deputare solent vicarios foraneos, quod S. C. S. Officii expresse approbat, et etiam ipsi parochi possunt deputari. Hæc deputatio fit vel in singulis casibus vel potius semel pro semper

in statutis diœcesanis. At vero deputatus, recepta testium depositione, debet acta (una cum testimonio baptismatis et confirmationis) transmittere ad Ordinarium, cujus est expedire fidem status liberi.

34. Testes sint *duo* pro unaquaque parte idest duo pro viro, et duo pro muliere, sed iidem duo testes possunt singillatim pro utraque deponere. Debent esse: 1°. *noti* notario aut alii qui depositionem recipit, quo casu hic utitur clausula *mihi bene cognitus.* Sin minus, testis, contrario usu non obstante, non admittitur, nisi alia persona nota attestetur viva voce vel in scriptis (dummodo ejus scriptura nota sit aut sigillo authentico munita) de nomine et cognomine ipsius testis nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum; 2°. *Idonei.* Admittuntur etiam mulieres, etiam consanguinei, pater, mater, frater, soror ... imo consanguineorum testimonio firmior præstanda est fides quam extraneorum, quia præsumptio est illos majori in re pollere scientia quam istos;*) item cives præferuntur exteris et etiam acatholici fide digni, deficientibus catholicis, tamquam idonei recipiuntur. Milites vero et vagi non admittuntur nisi data causa et maturo consilio. Speciales qualitates in teste necessariæ non sunt. In celebri causa *Papien.* tractata a S. C. C. dd. 12. Dec. 1733. et 27. Febr. 1834. testimonium unius militis jurati et recta conscientia bonisque moribus præditi mutavit sententiam S. C. C. negativam in responsum: »Arbitrio Episcopi.«

35. Testes examinantur unus post alium. Unicuique sua vice defertur juramentum de veritate dicenda, quod præstatur tactis evangeliis. Quæsita testi proponenda habentur in Instructione jussu *Clementis X.* edita (supra nn. 10. sqq.).** Expleto examine depositio integra testi perlegenda est, ut videat an suam exprimat mentem. Tandem testis subscribit depositionem, vel si est illiteratus, ducit calamo signum Crucis in folio, præsentibus aliis duobus testibus, itemque notarius subscribit et Ordinarius vel delegatus qui depositionem recepit.

*) Quodsi pater (mater) est suspectus quod ipsi dissolutio prioris matrimonii cordi est, potius frater vel avunculus testis adhiberi potest, S. C. Inq. d. 24. Febr. 1847. ad II^{um}.

**) Romæ examinatur unusquisque testis juxta duplex folium: unum pro viro, alterum pro muliere; folium exhibetur a *Gasparri* c. l. II. pag. 445.

36. Quæ usque modo exponebantur, valent pro diœcesanis in diœcesi semper commoratis. Quid vero dicendum est I. de exteris in diœcesi matrimonium inituris, II°. de diœcesanis per aliquod tempus extra diœcesim commoratis?

I. *De exteris in diœcesi matrimonium inituris.*

1°. Quando ante pubertatem vel paulo post pubertatem (sc. pro viro ânno 14. elapso, pro muliere anno 13.) adveniebant semperque in diœcesi remanebant, nullum testimonium requiritur.

3°. Quando exterus ad diœcesim advenit post pubertatem, requiritur testimonium status liberi datum ab Ordinario originis pro tempore, quo in diœcesi originis permansit, etsi diœcesis originis sit contermina et nupturiens cognoscatur a suo parocho, et ab illa a decennio et amplius discesserit, nec sufficiunt publicationes inibi factæ.

3°. Idem valet si præter diœcesim originis in alia quoque diœcesi per notabile tempus est commoratus. Quæritur quid sibi velit vox »notabile tempus«? Videtur nobis *trimestre* analogice ex Instructione S. C. Inq. ad Ordinarios *Orientales* d. 29. Aug. 1890. ad 6^{um}.: «Si post probatam status libertatem duo, aut tres menses transierint, quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus pro hoc temporis spatio fieri *deberet;* .at pro casuum varietate res relinquitur *prudenti arbitrio* Ordinariorum». Ex hisce verbis patet non condemnandum esse eum qui contenderet *semestre* requiri commorationis ad inducendam obligationem processus, ex analogia cum *literis testimonialibus Ordinandorum,*

4°. Similiter non requiritur processus in diœcesi ubi matrimonium erit contrahendum quando alteruter sponsus ibidem per notabile tempus non fuit commoratus.

II. *De diœcesanis per aliquod tempus extra diœcesim* commoratis idem valet quod dicebatur sub I°. n. 3°.

37. Sæpe accidet, ut hæ normæ adamussim nequeant observari. Quid agendum erit? Audiamus cit. Instructionem ad *Orientales* sub n. 8. »Si contrahentes sint vagi non concedatur licentia contrahendi, nisi doceant per documenta Ordinariorum suorum se esse liberos; quod si fides singulorum Ordinariorum, in quorum Diœcesibus per aliquod temporis spatium, annum non excedens, commorati sunt, haberi non possit, Ordinarius loci, in quo matrimonium est contrahendum, eos ad juramentum suppletorium admittere poterit, pro illis tantum locis, ex quibus fides authentica haberi non poterit. Insistendum tamen erit semper ut contra-

hentes inducant testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in Curia loci ubi contrahitur matrimonium, testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent; et si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam poterit sponsus ad juramentum suppletorium, constito tamen sibi ipsum esse fide dignum«. *Uberior explicatio:* 1°. Vox *vagi* de quibus in Instructione, in latiore sensu est intellegenda sc. etiam de iis qui in multis diœcesibus sunt commorati, licet domicilium retinuerint ac retineant, S. C. Inq. dd. 1. Febr. 1865. et 30. Nov. 1898. ad II^{um}. — 2°. Modus procedendi sic intelligatur ut pro norma ponantur illa quæ normæ magis approximant, et his quoque deficientibus ulteriora. Sic pro testibus in diœcesi commorationis ponantur testes in diœcesi domicilii quod nunc obtinetur. His etiam deficientibus permittatur demum juramentum suppletorium; S. C. Inq. cit. Instr. d. 1. Febr. 1865. n. IV. — 3°. »In casibus vero particularibus et difficilioribus Episcopus recurrat ad S. Congr.« Quodsi matrimonium adeo urgeat, ut tempus recurrendi non adsit, Episcopus curet concludentes probationes super status libertate, prout expediens judicaverit, aliter colligere«, S. C. Inq. ibidem n. V. Ut Ordinarius his probationibus *suppletoriis* possit uti, requiritur indultum S. C. Inq., ibidem n. II.

38. Pro *mortis periculo* statuit Instructio ad Orientales sub n. 7. »Si quis ex contrahentibus fuerit in articulo mortis, intra quem probabiliter tempus non suppetat instituendi diligentias necessarias, processus præscriptus poterit omitti, ita tamen, ut si infirmus convaluerit, debeant fieri diligentiæ, seu processus antequam simul conveniant«.

39. Maximi momenti nunc exsurgit quæstio, ubinam observetur hæc norma? Cl. *Gasparri* audet contendere: »Hoc jus de facto non servatur *extra diœceses Status pontificalis*«. Utrum hoc verbum omnino veritate nitatur saltem nunc temporis, inquirere et dijudicare nolumus; etenim Orientales saltem inobedientes se præstarent post Instructionem nuper i. e. anno 1890 ad ipsos missam, si non observaretur. — Pro *Germania* non-observantiam attestari possumus.*)

*) *Aichner* in suo *Compendio Jur. Eccl.* hæc habet §. 191. not. 9) pag. 653. (7. ed.): „Licet hæc Instructio (sc. *Clementis X.*) in suo rigore nunquam sit

Dicine potest legitima hæc consuetudo contraria? Inprimis patet non esse parochorum et ceterorum sacerdotum, jus commune introducere in proprias parochias, sed hæc obligatio, si qua exsistit, spectare ad Ordinarios locorum. Hoc præmisso expandimus rationes pro negativa et pro affirmativa responsione.

Hæc consuetudo *non* videtur *legitima*, nam 1°. Instructiones S. Sedis complectuntur dispositionem juris etiam naturalis quod exigit, ut polygamiæ pericula ac matrimoniorum invalidorum quam maxime amoveantur; 2°. eædem Instructiones urgent observantiam nullo respectu consuetudinis alicujus habito. Ita in causa *Wratislaviensi*, cujus diœcesis partes se extendunt et ad regnum *Borussicum* et ad imperium *Austriacum*. Episcopus quæsierat »an probatio status liberi in casu incertæ mortis conjugis omnino inter causas de nullitate matrimonii sit accensenda, de quibus perorat Constitutio *Dei miseratione*«. Ex modo jam quærendi apparet Instructiones *Clementis X.* etc. non fuisse observatas, licet non fuerint ignoratæ. Quid respondet S. C. Concilii? Die 14. Dec. 1889. datum est responsum hujusmodi: In hoc processu non servanda est Const. Benedictina cum Instr. a. 1840, sed »pro ditione *Austriaca* posse servari Instructionem in foro ecclesiastico ibi receptam; pro ditione *Borussica* standum instructionibus S. Officii ad rem spectantibus«. Austriaca Instructio hac de re agit in §§. 246—251. In Borussia autem urgetur observantia juris *communis*. — *Legitima* vero videtur hæc consuetudo: 1°. ob unanimitatem quandam omnium fere regionum catholicarum (cfr. verba cl. *Gasparri,)* in hac inobservantia quæ rationabile quoddam fundamentum supponit. Hoc fundamentum videtur consistere in difficultate et quasi insupportabili onere, quod subire deberent Ordinarii, præsertim in nostris amplissimis diœcesibus quarum una ter, alia sexies, septies, decies et ulterius centena millia catholicorum complectitur non numeratis acatholicis. — Alia ratio hujus consuetudinis videtur esse *periculum matrimonii »civilis«*. Nam quando catholici, præcipue in fide ac moribus *tepidi* qui non sunt

recepta in Germania; tamen eatenus ubique observanda est, ut de statu libero contrahentium plena certitudo procurari debeat. Cfr. Acta VI. 142"; apud Prof. Dr. Fr. *Heiner* in suo *Grundriss des katholischen Eherechtes* (latine: Compendio Juris matrim. catholici), 3. ed. de hoc processu status liberi nihil reperire potuimus.

pauci, coguntur in contrahendo matrimonio ecclesiastico subire tanta sacrificia, e. gr. longum iter cum testibus ad Curiam episcopalem, tædio affecti civili matrimonio contenti erunt. — 2°. Silentium S. C. Inq. (excepta causa *Wratislavien.)* etiam benigne interpretari possumus, sc. quod consuetudinem toleret juxta principia in tit. *De consuetudine* (I. 4) explicatis. — 3°. Quoad rationes pro *contraria* sententia adductas dicendum: Inquantum Instructiones sæpe dictæ continent jus naturale, necessario debent observari; in ceteris vero legitima introduci potest consuetudo. Quare egregie postulat *Aichner* l. c.: »Instructio *Clementis X.* eatenus *ubique* observanda est, ut de statu libero contrahentium plena certitudo procurari debeat.« —

In praxi retineri potest consuetudo modo requisitis juris naturalis satisfiat, usque dum observantia in aliqua regione specialiter urgeatur a S. Sede. Quod si exoriantur difficultates, recurrendum erit ad eandem Sedem Apostolicam.

40. Ad illustrandam *certitudinis naturam* quæ requiritur in probanda status libertate ponimus hic Responsionem S. C. Inq. fer. IV. d. 20. Julii 1898: »Dummodo agatur de viris qui certo adstiterunt pugnæ de Adua, et, peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida præsumptione obitus, Ordinarius permittere poterit transitum ad alias nuptias«. Adua oppidum est in provincia Tigré Abessyniæ (in Africa), ubi decertatum est inter Italos et Abessynos anno 1895.

Appendix I.

ad Commentarium in Lib. IV. Decretalium.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii.

1. Conceptus dispensationis in eo consistit ut Superior Ecclesiasticus, integra manente dispositione legis pro tota communitate, eximat a lege aliquod individuum communitatis ejusdem.

2. Ex data notione sequitur dispensationem considerandam esse tamquam vulnus legi, adeoque ceu odiosam juri, strictam interpretationem pati. Adeo autem in stylo Curiæ urgetur interpretationis rigor, ut practica regula sequens adoptata fuerit: '*Dispensatio tantum valet, quantum sonat*'. Quare excluditur extensio ad casus similes, nec valet argumentum de majori ad minus. Unde ex. gr. dispensatio concessa in secundo gradu consanguinitatis lineæ obliquæ non valet si oratores non in secundo gradu, sed in tertio vel quarto gradu consanguinitatis ejusdem lineæ constituti sint. Conf. *Riganti* ad Regulam 14. Cancellariæ Apostolicæ nn. 71. et 72. Hanc regulam vidi ego *recognitam* in Tribunali S. Pœnitentiariæ.

Quoad historiam dispensationum notanda sunt pauca. Nonnulli contendunt *Episcopos* prioribus sæculis usque ad *Innocentium III.* sæpe exercuisse hoc jus dispensandi. Alii econtra opinantur ipsum Summum Pontificem rigorose usum fuisse hoc jure ita ut primum exemplum dispensationis ad contrahendum matrimonium certum adscribant *Innocentio III.;* cfr. e. gr. *von Scherer:* c. l. §. 133. pag. 454—455. Certe in utraque sententia aliquid veri inveniri potest. Etenim potestas dispensandi correlata est potestati leges ferendi. Atqui potestas leges ferendi etiam in re matrimoniali non adeo fixa ac circumscripta erat usque ad sæculum 13. ut Episcopi non potuerint aliquam legem particularem ferre ideoque et in ipsa dispensare. Quoad usum juris dispensandi ab ecclesiastica potestate exercitum audiamus ipsum *Innocentium III.* in c. 13. *De rest. spol.* (II. 13): »In gradibus consanguinitatis divina lege prohibitis restitutioni aditus (quando »conjuges« erant sepa-

rati) præcludatur: sed constitutione interdictis humanâ, restitutio locum habeat cum effectu: cum in illis dispensari non possit, et in istis valeat dispensari: sicut B. *Gregorius* et *multi alii* dispensarunt«. Non insistimus in citato B. *Gregorio;* etenim utrum *Gregorii Magni* dispositio ad *Augustinum,* Anglorum Apostolum, scripta fuerit dispensatio necne, non multum interest. Certe b. *Gregorius II.* in epistola ad *S. Bonifatium,* Germanorum Apostolum, a. 726. data permittit, ut non obstante jure communi Ecclesiæ Romanæ Germani valeant matrimonium inire *post quartam generationem* id quod dispensatio in genere est.*)

3. Ex data notione sequitur etiam dispensare non posse in impedimentis, nisi eum qui jurisdictione seu potestate pollet supra legem. Hinc potestas suprema ecclesiastica, quæ ordinario modo in Romano Pontifice residet, et extraordinarie residet in Concilio Generali cum Romano Pontifice, dispensare potest in impedimentis sive impedientibus sive dirimentibus a jure ecclesiastico inductis. Quæ dispensatio non solum internum, sed etiam afficit forum externum, quoties dispensatio detur pro utroque foro.

Supremam in Ecclesia potestatem se extendere ad jus *divinum* juxta omnes in dispensando super matrimonio rato, non consummato necnon sponsalibus de futuro, juxta quosdam in dispensando circa matrimonia inter infideles consummata, supra vidimus. Nihil autem valet potestas Ecclesiastica, quando deest sive consensus (naturalis) sive potentia physica; hisce impedimentis accedit impedimentum ligaminis (matr. rati et consummati) necnon consanguinitatis in omnibus gradibus lineæ rectæ et in I°. gradu collateralis.

---

*) Exempla dispensationis super impedimento professionis solemnis narrantur ab Antonio *Sandini* in libro, cui titulus *Vitæ Pont. Romanorum,* Patavii 1739: unum *Benedicti IX.* vel *Clementis II.,* qui „ducendæ uxoris potestatem fecisse fertur Casimiro Miseconis II. Poloniæ Regis filio. vitæ monasticæ votis apud Cluniacenses jam obstricto et Ordine sacro Diaconatus initiato" pag. 325. cum nota 2); — alterum *Alexandri III.;* „illud etiam", ait Sandini, „memoriæ proditum de eo (Al.), restituendæ *Justinianorum* familiæ inter Venetas clarissimæ indulsisse Nicolao Justiniano, ut abdicato monastico instituto uxorem duceret". At ipse Sandinus narrata aliquatenus in dubium vocat. — Quomodo episcopi rei matrimoniali se ingesserint et leges ferentes et in eis dispensantes, videri potest apud *Hefele* (olim Professorem Universitatis *Tubingensis,* postea Episcopi *Rottenburgensis,* jam defuncti) in *Conciliengeschichte* (historia Conciliorum) vol. II. pag. 665. n. 30. (Concilium *Epaonense* in Burgundia a. 517.) et vol. II. pag. 754. n. 10. (Conc. *Aurelianen.* III. a. 538).

In impedimentis juris *ecclesiastici* ex decreto S. Officii d. 20. Febr. 1888. duo distinguenda sunt genera: I. sacer Presbyteratus ordo et affinitas lineæ rectæ ex copula licita proveniens, II. cetera ecclesiastici juris impedimenta. Quomodo in duobus prioribus impedimentis dispensari possit vel non possit, jam vidimus in respectivis titulis, circa cetera hæc notanda sunt: Raro quando agitur de *convalidando;* fere nunquam quando agitur de *contrahendo* matrimonio, dispensatur super impedimentis professionis solemnis, ordinis sacri, criminis alterutro saltem patrante (in publico impedimento), clandestinitatis necnon cultus disparitatis in regionibus fidelium. De consanguinitate in linea collaterali secundi gradus tangentis primum infra sermo redibit. In ceteris aliquando libentius, aliquando rarius dispensatur.

4. Dixi supra 'quoties dispensatio *detur* pro *utroque* foro'. Nam S. Pœnitentiaria quando agitur de impedimento occulto, dispensationem concedit pro foro tantum interno cum clausula: 'Ita quod hujusmodi dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur'.

5. *Potestas Episcopi in impedimentis matrimonii dispensandis:* I. *prohibentibus;* II. *dirimentibus.* Hic aliquid præmittendum putamus circa potestatem qua Episcopus dispensare dicitur. Distinguitur inter potestatem ordinariam et delegatam. Ordinaria potestas illa est quæ *vi muneris* exercetur quæque subdividitur in ordinariam *proprie* et ordinariam *improprie* sumptam. Potestate ordinaria propria dispensat Episcopus quoties relaxat legem a se latam; impropria quando relaxat legem Superioris vi muneris cui Superior annexuit ejusmodi potestatem. Potestate delegata utitur Superior secundarius quando vi potestatis agit quam Superior primarius tradidit vel personæ vel dignitati non per modum legis, sed per modum *temporaneæ* concessionis. Quæ traditio vel expresse vel tacite fieri, vel præsumi potest.

Ad I. Prohibentia impedimenta numerantur hæc: Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum, clandestinitas (sc. vel proclamationes vel lex Lateranensis) mixta religio. —

Jure proprie ordinario Episcopus non dispensat nisi super impedimento *temporis* in quantum vetat etiam *simplicem contractum matrimonialem* quia hæc prohibitio jure particulari est inducta, cfr. tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 127. necnon super impedimentis *votorum non reservatorum,* ibidem n. 129.

Jure *improprie ordinario* Episcopus dispensat super impedimento *clandestinitatis* respectu *proclamationum* ex c. »Tametsi«. — Super *interdicto Ecclesiæ* quod Papa statuit, jure ordinario nequit dispensare; at neque super *interdicto* proprio vel parochi dispensat, sed illud tollit; agitur enim non de lege, sed de præcepto. In ceteris impedimentis prohibentibus jure ordinario nequit dispensare: ergo non in sponsalibus, votis reservatis, clandestinitate Lateranensi, mixta religione. — Mox videbimus Episcopos pollere in periculo mortis amplis dispensandi super impedimentis *dirimentibus* facultatibus ex decreto d. 20. Febr. 1888., quæritur num comprehendantur in hisce facultatibus etiam impedimenta impedientia? *Negative,* respondit S. C. Inq. fer. IV. d. 18. Martii 1891. ad I^um^. et iterum sub eodem dato clarius rem expressit his verbis: »Cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas, et in Encyclica S. O. (sc. d. 20. Febr. 1888.) disparitatem cultus, utpote impedimentum dirimens, comprehendi; mixtam religionem vero, *uti impedimentum impediens, non comprehendi (Mon. Eccl.* vol. X. part. II. pag. 77. I. et II.).

6. In impedimentis *dirimentibus* Episcopus nequit dispensare jure proprie ordinario, potest tamen jure improprie ordinario in multis dispensare positis quibusdam circumstantiis juxta decretum S. Officii sæpe citatum d. 20. Febr. 1888. cujus tenorem in extenso ponimus, hic quoad I. partem, postea quoad II.

Illme et Rme Domine, De mandato Ss. D. N. *Leonis XIII.* S. Congregationi Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quæstionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiæ rite copulari, et propriæ conscientiæ consulere valeant: alterum spectat ad executionem dispensationum, quæ ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam ægrotos in gravis-

simo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis *quantumvis* publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.

Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suæ, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares pœnitentias atque eam vitæ rationem, quæ præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum«.

Uberior explicatio: I. Impedimenta super quibus dispensari potest, sunt hæc: *Raptus* in quantum est impedimentum ecclesiasticum; *professio solemnis; ordo subdiaconatus et diaconatus; consanguinitas* in II., III., IV. gradu lineæ *collateralis* æqualis et inæqualis, ergo etiam in II. tangente *primum; affinitas* excepta affinitate lineæ *rectæ* ex copula *licita; publica honestas; cognatio spiritualis*, item *legalis; crimen; cultus disparitas* (S. C. Inq. d. 18. Martii 1898.), denique *clandestinitas.* Hoc ultimum impedimentum indiget aliqua explicatione. Quando necessaria erit dispensatio super hoc impedimento? Locum habere potest hujusmodi necessitas: a) quando peregrini in concubinatu viventes in aliena diœcesi vel parochia per aliquod tempus versantur qui ob periculum mortis alterutrius desiderant matrimonialiter copulari, quin Parochus vel Ordinarius proprius possit adiri; b) quando ob urgens periculum duo testes haberi nequeunt.

7. II. *De conditionibus requisitis.* 1. Adesse debet *mortis periculum urgens* sive *gravissimum,* non requiritur *mortis articulus.* Nihil interest quem tangat hoc mortis periculum: utrum partem impedimento ligatam an liberam. Etenim impedimentum ordinis diaconatus et subdiaconatus non tangit immediate nisi virum, item regulariter professionis religiosæ, licet rarissime utramque partem

possit ligare. Attamen etsi pars *libera* versetur in periculo mortis, dispensatio potest concedi, S. C. Inq. ad Epum. *Vicensem* d. 1. Julii 1891. *(Mon. Eccl.* VII. 1 pag. 220—221). — 2°. Inter personas sic conjungendas adesse jam debet vel *matrimonium* »*civile*« vel *concubinatus;**) quodsi neutrum adest, dispensari nequit, S. C. Inq. d. 17. Sept. 1890. ad Archiep. *Compostellanum (Mon. Eccl.* VII. 1 pag. 220). — 3°. Continet decretum »Ordinarii augentur facultatibus dispensandi super imp. *publicis* matrimoniis dirimentibus« et inferius, super impedimentis *quantumvis publicis«;* quid est ergo de impedimentis *occultis,* e. gr. affinitatis ex copula illicita, possuntne Episcopi etiam super illis dispensare? S. C. Inq. 23. Apr. 1890. (approb. a S. P. *Leone XIII.* eodem die) respondit: *Ex vi decreti affirmative pro mortis articulo.* Verum de hoc responso cum causante quæstione sermo redibit inferius. Jam supra vidimus impedimenta *impedientia* in hoc decreto non esse comprehensa. — 4°. Conceduntur dictæ facultates »quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem«. Si Episcopus rationabiliter credit, fore ut ægrotus quando rescriptum ex Urbe adveniet jam non vivat (id quod e. gr. pro civitate Ratisbona quæ linea directa viæ ferreæ conjungitur Urbi, quando omnia *prosperrima* procedunt, certe octiduum requirit, interdum autem tres quattuorve hebdomades), tranquilla conscientia uti potest hisce facultatibus. — 5°. Quando Episcopi utuntur eisdem facultatibus, præter injuncta *de jure* injungenda nihil observare tenentur exceptis impedimentis subdiaconatus, diaconatus, professionis religiosæ. »In extraordinariis hujusmodi casibus«, ait decretum, »Ordinarii de impertita dispensatione Supremam S. Off. Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum removeatur«. Quæ quidem clara videntur, at dubia aliquatenus redduntur responso S. C. Inq. d. 1. Jul. 1891. ad Ep. *Vicensem* supra citato. Cum quæsiisset, utrum decretum non valeret nisi quando persona impedimento ligata versaretur in periculo mortis urgenti an etiam valeret quando soluta esset morti proxima, respondit S. Congr.: »Ordinarios locorum vi decr. d. 20. Febr. 1888. in *utroque* casu allato dispensare posse, et in utroque pariter S. Congr. S. Officii de impertita dispensatione certiorem reddere, ac ea interim curare debere, quæ in eodem decreto præscri-

*) At concubinatus in se concludit matrimonium sive mala sive bona fide invalide contractum.

buntur«. Ergo videntur Ordinarii obligati ad referendum de ista facultate concessa *semper;* verum diximus »videntur«, nam de facto non sunt obligati nisi in casu *reconvalescentiæ,* id quod haud obscure eruitur ex verbis responsi finalibus quæ scandalum ita *viventium* removendum concernunt.

8. »Ordinarii dispensare valent sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam«, unde concluditur Ordinarios posse *subdelegare,* sed hoc non ita intelligendum est, ut tota facultas transferatur in alium vel in alios, ejusmodi enim agendi ratio contraria esset principio juris expresso in tit. *De off. et pot. jud. delegati* (I. 29) n. 7. pag. 260. Verum S. Sedes ipsa consuluit temporum necessitatibus hoc decreto d. 9. Jan. 1889.: »Supplicandum Sanctissimo ut decernere et declarare dignetur, Ordinarios, quibus memorata facultas præcitatis litteris d. 20. Febr. 1888. data fuit, posse illam subdelegare habituabiliter parochis tantum, sed pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora«. Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. Leo divina providentia PP. XIII., in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, benigne annuere dignatus est juxta Eminentissimorum PP. suffragium. — Pauca sunt notanda: Parochi tantum subdelegari *habitualiter* possunt (quos Ss. P. *Leo XIII.* etiam in aliis magni facit), non confessarii (universim), uti habuit dubium propositum *(Mon. Eccl.* VI. 1 pag. 82). Parochi ita subdelegati iisdem conditionibus sunt adstricti quibus Episcopi, deinde illâ ut recursui ad Ordinarium non sit locus. — Potestas d. 9. Jan. 1889. data censetur annexa potestati d. 20. Febr. 1888. datæ ita ut semper perduret.

Nomen »parochi« diverse potest intelligi: angustius et latius. Quæritur quid comprehendatur sub hoc nomine in decreto citato? »Comprehendi omnes *qui actu curam animarum exercent,* exclusis viceparochis et capellanis«, respondet S. C. Inq. d. 23. Apr. 1890. in *Caven. Nullius Ss. Trinitatis,* quod responsum erit norma in omnibus casibus. »Actu curam animarum exercentes« enumerantur in tit. *De parochis* (III. 29) n. 17. pag. 274. necnon in tit. *De clandestina desp.* (IV. 3) n. 91. pag. 145.

Sed neque hæc dispositio omnibus necessitatibus satisfacere videtur; quare Ordinarii quidam facultatem petebant adhuc ampliorem. En postulatum Ordinarii *Colocen. et Bacsien.* (Hungaria) d. 26. Maji 1897: »Cum sæpe sæpius, ob parochiarum multitu-

dinem magnumque parochianorum numerum, infirmorum provisio per parochorum adjutores fieri soleat, petitur ut facultas dispensandi juxta litteras S. R. et U. Inquisitionis d. 20. Febr. 1888. locorum Ordinariis concessa, non solis parochis, sed etiam eorum adjutoribus et universim confessariis approbatis modo generali subdelegari possit«, S. C. Inq. d. 25. Maji 1898. rescribi mandavit: »In terminis in una *Wratislaviensis* fer. IV. d. 17. Febr. 1892., idest: Supplicandum Ssmo pro gratia arbitrio Episcopi pro sacerdotibus idoneis in locis Diœcesis remotioribus, dummodo tempus desit recurrendi ad Ordinarium vel Parochum et periculum sit in mora, ad quinquennium«. (Approbatio Sum. Pontificis d. 27. Maji 1898). Notetur differentia inter facultatem quoad parochos perpetuam et hoc quoad coadjutores indultum quinquennale. — Facile explicari potest quare Episcopi præsertim Germaniæ et Hungariæ tale indultum imploraverint, quandoquidem in parochiis amplioribus cura animarum interdum integra vel saltem principalis exercetur per Coadjutores parochorum. —

9. Hæc Episcoporum potestas uti improprie ordinaria, sic pari merito delegata vocari posset; etenim non fluit ex naturali Episcoporum jure, sed ex jure Pontificis. Sed strictius nominamus *delegatam* illam potestatem, quæ a Superiore primario conceditur aut personæ aut dignitati ad tempus. Quæ dividitur in *expressam. tacitam, præsumptam.*

I. *De expressa delegatione.* Quid sit expresse delegare, non indiget explicatione; item patet omnem Superiorem primarium posse Superiorem inferiorem delegare, nisi prohibetur de jure, sed ad delegationem quæ conceditur a Summo Pontifice, sermonen restringimus.

Dispensat Episcopus ex delegatione *expressa:* 1°. quando Summus Pontifex committit eidem facultatem dispensandi *in aliquo casu particulari* inter determinatas personas.

2°. Quoties Summus Pontifex concedit Episcopo *indultum in genere* ad dispensandum sive in determinatis impedimentis et determinatis gradibus, sive pro casibus numero definitis ex. gr. pro decem casibus in anno. In utraque hypothesi regula est ut delegatus fideliter stet tenori et formæ mandati Summi Pontificis.

In ordine autem ad indultum, cum sit beneficium Principis, hinc favorabile est et latam interpretationem recipit. Quare ex. gr. si concessum fuit in genere indultum ad dispensandum in

impedimento affinitatis absque ulla limitatione, hæc facultas exerceri potest sive affinitas oriatur ex copula licita, sive ea oriatur ex copula illicita. Cf. *Giovine: De Dispensationibus* tomo 1⁰. part. 1. §. 102. n. 2.

Pariter concessa facultate dispensandi super gradu superiori, nempe tertio, censetur concessa dispensandi facultas super inferiori, nempe quarto. Ita *Riganti* ad Regulam 14. Cancellariæ Apost. n. 69.

Ceterum nequit fieri extensio de uno genere ad aliud genus impedimentorum, nec de gradu simplici ad gradus mixtos. Pariter si concessum fuerit indultum dispensandi cum pauperibus, dispensatio non valet si concedatur personis non pauperibus.

Notandum est in casu *particulari* rarissime concedi expressam jurisdictionis delegationem, sed plerumque nihil committitur nisi nudum ministerium sive exsecutio literarum Apostolicarum in quibus rationes jam examinatæ inveniuntur dispensationis. Unde venit, ut Episcopus hanc potestatem delegatam nequeat *subdelegare* juxta dicta in tit. *De judice delegato* (I. 29) n. 9. pag. 261., nisi expresse concedatur facultas. — De exsecutione autem lit. Ap. inferius sermo erit.

Indulta autem generalia ordinarie conceduntur in facultatibus a S. C. de Prop. Fid. pro foro externo et a S. Pœnitentiaria pro foro interno datis — »facultates quinquennales«. — Diximus »ordinarie«; conceduntur enim et extraordinaria indulta.*)

10. Usque modo de potestate *Episcoporum* locuti sumus. Attamen verbum »Episcoporum« in hac materia non restringendum est ad personam ordine episcopali insignitam, sed magis extendendum est ad personas jurisdictione episcopali præditas quæ omnes

*) Facultates autem quinquennales necnon alias extraordinarias invenies in libello *„Fontes Jur. Eccl. Novissimi“* editore *Phil. Schneider* pag. 81. sqq. cum Commentario; ibi præter duas „ordinarias“ facultates quinquennales exponuntur *facultates ordinariæ: formula I., fac. extraordinariæ D., fac. extraordinariæ E.*, necnon *indultum annuum pro Episcopis Galliæ;* — item apud *Konings-Putzer: Commentarium in facultates apostolicas*, quæ episcopis et vicariis apostolicis per modum formularem concedi solent, ad usum ven. cleri americani concinnatum ab Antonio Konings, C. Ss. R. Editio 3ª., recognita et aucta curante Joseph Putzer, C. Ss. R. Neo-Eboraci, Cincinnati, Chicagiæ, Benzinger fratres, etc. 1893. — (XII et 392 pag. in 8⁰.), opus in hac materia facile primum, ubi novem formulæ (sc. I II III IV VI X, Extr. C, Extr. D, Extr. E) exponuntur; — *Aichner: Compendium* ed. 7ª. pag. [15—23]., *von Scherer:* c. l. §. 133. pag. 457.; *Schneider-Lehmkuhl: Manuale Sacerdotum* ed. 13. pag. 381. etc.

comprehenduntur in voce *Ordinarii.* Ergo quidquid exponebatur de potestate proprie ordinaria Episcoporum, valet etiam de Ordinariis. Quoad potestatem delegatam stylus curiæ secum ferebat usque ad novissimum tempus ut modo Episcopo, modo Vicario Generali vel Officiali, modo Vicario Capitulari delegatio fiebat, id quod non paucas causabat difficultates. Quare magna cum gratiarum actione agnoscenda est innovatio hujus praxis, quæ fiebat et ipsa celebri illo decreto S. C. Inq. d. 21. Febr. 1888. En hoc decretum quoad II. partem:

»De altero quæstionum genere (quod spectat ad exsecutionem dispensationum quæ ab Apostolica Sede impertiri solent), item adprobato et confirmato eorundem Em. Patrum suffragio Sanctissimus sanxit:

1) Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci:*

2) Appellatione *Ordinarii,* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in Spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem:

3) Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque *dispensationes Apostolicas exsequi* posse, quæ remissæ fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi cœperint, sive non. Et vicissim sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officialem exsequi dispensationes quæ Vicario Capitulari exsequendæ remissæ fuerant, seu hic illas exsequi cœperit seu minus.

4) Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exsequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi quo tempore exsecutioni danda erit dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5) Ordinario prædicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis exsecutionem delegare alium Ordinarium, eum præsertim, in cujus diœcesi sponsi actu degunt«.

Uberior explicatio: 1⁰. Ex secunda parte decreti citata apparet facultates pro periculo mortis urgenti datas spectare non solum ad Episcopos, sed ad omnes quibus competit nomen Ordinarii; idem dicendum est de facultatibus et habitualiter, sc. per modum indulti et specialiter, sc. in singulis casibus concessis. — 2⁰. Per se non valet hoc decretum nisi in re *matrimoniali,* at S. P. *Leo XIII.* extendit ad *omnes facultates speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas,* d. 26. Nov. 1897. *(M. E.* X. 1. pag. 219.); quamobrem S. C. Inq. d. 20. Apr. 1898. censuit approbante S. P. *Leone XIII.* d. 22. ejusd.: »clausulam *Durante munere* esse supprimendam«, quæ clausula in facultatibus Vic. Capitularium inserebatur. Porro quia responsum immediate ante citatum respiciebat facultates *concedendas tantum,* preces denuo porrectæ sunt ut declararetur idem valere etiam pro facultatibus *jam concessis.* Et S. C. Inq. d. 23. Junii 1898 rescribendum mandavit: »Declarationem S. Officii factam circa facultates concedendas, vi Decreti fer. IV. d. 24. Nov. 1897, extendatur ad facultates jam antecedenter concessas, facto verbo cum Ssmo«. Qui resolutionem hanc approbavit d. 25. ejusd.

Hac resolutione tollitur etiam difficultas orta ex usu antiquorum formularium. Etenim nonnunquam, etiam post decretum d. 20. Febr. 1888., facultates in re quoque matrimoniali, concedebantur, velut a S. Dataria, non Ordinario loci vel Oratorum Ordinario, sed e. gr. *Episcopo diœcesis N.* Anxii hærebant Ordinarii, utrum concessis sic facultatibus uti posset etiam Vicarius Generalis vel Vic. Capitularis. Nam tenor decreti d. 20. Febr. 1888. continet quidem »committendas esse Ordinario«, sed si revera commissio fit Episcopo juxta formulare antiquum, quid tunc? Ne dicas in n. 3. ejusdem decreti provideri huic dubio; etenim verba »Vic. Capitularem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse quæ remissæ fuerint Episcopo etc. nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi cœperint, sive non«, poterant intelligi de dispositione transitoria, sc. quæ facultates jam concessas usque ad 20. Febr. 1888. concernebat, non concedendas postea.

11. *Ex facultate tacite delegata* potest juxta doctrinam *probatorum auctorum**) Ordinarius dispensare super impedimento juris

*) S. C. C. respondit: „Consulat probatos auctores et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem, saltem ad cautelam".

ecclesiastici *dubio* et quidem *dubio facti.* Etenim in dubio juris, *theoretice* loquendo, non est opus dispensatione, cum Ecclesia suppleat; diximus in *theoria;* etenim in praxi consulendum est, ut parochus adeat Ordinarium qui declaret exsistentiam dubii juris. — Ergo Ordinarius potest dispensare super impedimento dubio quoad *factum;* en exemplum. Caja in baptismo tenet filium Mœviæ quacum tempore critico rem habuit præter Titium etiam Cornelius cui nubere vult Caja. Impedimentum spiritualis cognationis indubium est inter levantem levatique patrem; at in nostro casu pater dubius est. Super hoc igitur impedimento dispensat Ordinarius, ergo etiam Vicarius Generalis, saltem nunc temporis. Etenim Vicario Capitulari conceditur ab omnibus hæc tacita delegatio. At in causis matrimonialibus æquiparatur Vicarius Generalis Vicario Capitulari. Dein nostris temporibus *expressa* delegatio fit ad Ordinarium, cujus nomine venit et Vicarius generalis, ergo tacita quoque ad Ordinarium dirigi videtur, quoniam expressa voluntatem Principis ostendit.

12. Ex *præsumpta* autem delegatione Episcopus, juxta Doctorum sententiam *pro foro conscientiæ* in impedimentis etiam dirimentibus juris ecclesiastici dispensare potest in causa urgentissimæ necessitatis, dummodo simul hæc tria concurrant: 1°. ut impedimentum sit *occultum* et tale ut si publicaretur, notabilis infamia exsurgeret contrahentibus, 2°. ut adsit *causa gravis;* et 3°. adeo debet periculum esse in mora, ut *differri nequeat* matrimonium, quoadusque postuletur et obtineatur dispensatio a Romano Pontifice.

Doctores duplicem casum ad instar exempli afferunt, 1°. si aliquis *morti proximus* ad legitimandam prolem contrahere vellet cum concubina, cum qua ligatur impedimento *occulto,* nec adiri potest Romanus Pontifex, 2°. cum omnia sint parata ad matrimonium contrahendum, nec celebratio differri potest, et pariter contrahentes ligentur impedimento occulto. Ita fert communissima inter Doctores sententia necnon experientia et longæva consuetudo Episcoporum. Cui accedit ratio præsumptæ facultatis, nam tales sunt .supra expositæ conditiones, quas si cognosceret Romanus Pontifex, procul dubio concederet Episcopo facultatem dispensandi. Cf. *Ben. XIV.: De Syn. Diœc.* l. 9. c. 2. n. 2. et *S. Alphonsus Th. mor.* De matr. n. 1122.

Quomodo facultatibus delegatis provisum sit periculo mortis quoad impedimenta *publica,* jam supra vidimus. Huc spectat quæ-

situm, cui respondebatur a S. C. Inq. d. 23. Apr. 1890 (appr. eadem die), sc.: »Utrum S. Congregatio per verba »super impedimentis quantumvis publicis« confirmare intenderit communem theologorum et præsertim S. Alphonsi sententiam, quæ habet: posse Episcopos in casibus urgentis necessitatis dispensare super impedimentis occultis, eamque facultatem veluti ordinariam probabiliter delegare etiam generaliter, ita ut mens Congregationis fuerit significare, Episcopos a fortiori ab impedimentis occultis prædictis dispensare posse?« Et S. Off. rescribi mandavit: *Ex vi decreti, affirmative pro mortis articulo.*

Ut hæc responsio recte intelligatur, attendenda sunt pauca: Ordinarius recepit in decreto d. 20. Febr. 1888. facultatem dispensandi super impedimentis *quantumvis* publicis pro gravissimo mortis periculo exceptis illis duobus presbyteratus et affinitatis lineæ rectæ ex copula licita. Quid sibi vult verbum »quantumvis«? Per se exprimit quandam gradationem quæ alias exprimitur particula »etiamsi«. In nostro autem decreto duplicem potest habere sensum: sc. a) Ordinarius potest vi decreti citati dispensare super impedimentis omnibus (nisi sint excepta) non solum occultis, sed etiam publicis et b) Ordinarius potest dispensare super impedimentis publicis, etiamsi hoc non videbatur ita necessarium; super occultis autem jam potest dispensare vi præsumptæ potestatis.

Stante hoc dubio proposita est quæstio cum responsione supra allata. Unde quid sequitur? Certum est posse Ordinarios dispensare in mortis articulo super impedimentis occultis; cetera dubia sunt. Nam iterum dupliciter quæstionem et responsionem possumus interpretari: Ordinarii possunt a fortiori ab impedimentis occultis dispensare in articulo mortis, et quomodo? 1°. Vi decreti concedentis hanc facultatem vel 2°. vi decreti confirmantis communem theologorum et præsertim S. Alphonsi sententiam. Utra sententia nobis videtur sententia ipsius S. Congregatio? S. C. Inquisitio secundum intellectum nostrum tribuisse videtur facultatem *expressam* dispensandi super impedimentis et occultis et publicis; probatur: a) ex ipso contextu decreti d. 20. Febr. 1888.; nam S. Congr. certam tribuere volebat facultatem, cum illa præsumpta non esset extra controversiam; cfr. *Benedictum XIV.* l. 9. c. 2. n. 2.; b) ex intentione Sedis Apostolicæ tollendi e medio illam præsumptam facultatem per concessionem expressæ delegationis; quæ tendentia apparet etiam in formula facultatum quin-

quennalium S. Pœnitentiariæ; nam ibi sub n. XI. conceditur Ordinariis gratia »facultatem dispensandi super affinitate ex illicita copula proveniente« in certis quibusdam circumstantiis »subdelegandi, etiam *habitualiter*, parochis diœcesis« ipsorum; cfr. *Nouv. Revue Théologique* vol. 22. pag. 492. Doctrina *S. Alphonsi* ceterorumque theologorum externe quidem intacta remanet; at saltem in praxi non paulum concuti videtur.

13. Verum si agatur de matrimonio jam contracto eoque nullo ob impedimentum dirimens, *Benedictus XIV.* in cit. loc. n. 1°. ita scribit: 'Ultro concedimus Episcopo illud (impedimentum) relaxandi facultatem, quam eidem adscribunt *Sylvester* verbo 'Dispensatio' §. 9; *Sanchez. de mat.* l. II. disp. 40. n. 3. . . *Fagnanus* in c. 'Nimis' n. 34. *De filiis Presbyterorum* (I. 17) etc. qui tamen unanimiter monent non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare nisi simul concurrant sex circumstantiæ'.

14. Porro circumstantiæ hujusmodi sunt sequentes videlicet 1°. ut matrimonium sit contractum *in facie Ecclesiæ*, omnibus adhibitis solemnitatibus, 2°. ut contractum sit *bona fide* saltem in uno contrahente, 3°. ut sit *consummatum*, 4°. ut impedimentum sit *occultum*, 5°. ut non possit facile adiri *S. Sedes*, ob paupertatem vel rusticitatem conjugum, vel ob distantiam, 6°. ut non possit fieri *separatio* putatorum conjugum *absque scandalo*.

Notetur rationes in n. 5°. allatas non amplius valere »ob paupertatem« etc., sed loco dictarum causarum dicendum est: 5°. ut non possit facile adiri S. Sedes vel in persona vel per epistolam ex analogia cum absolutione a casibus Papalibus de quibus in lib. V. Si per epistolam quidem non poterit adiri S. Sedes, bene vero per telegraphum, præsumpta facultas adhiberi potest; nam censetur adesse impossibilitas adeundi S. Sedem, quando eadem nequeat adiri nisi per hoc medium extraordinarium et in hoc casu periculo diffamationis, imo revelationis forte sigilli exponens, quod Sedes Apostolica expresse prohibuit per Secretariam Status d. 10. Dec. 1891. (*Mon. Eccl.* VII. 2 pag. 8).*)

*) En textus hujus prohibitionis: Illmo Rmo Signore, In vista degl'inconvenienti che sonosi verificati e che facilmente possono rinnovarsi nel ricevere domande di grazia per mezzo di telegrammi, il Santo Padre ha prescritto che da ora in poi per regola ordinaria tutte le Ss. Congregazioni ed altri Dicasteri Ecclesiastici Romani non ammettano siffatte domande col mezzo in-

15. Diximus Episcopum suppositis conditionibus supradictis in foro *interno*, non autem in externo dispensare posse. Nam experientia et consuetudo numquam facultatem asseruit Episcopo dispensandi in foro externo pro impedimentis dirimentibus. Quare S. C. Conc. d. 19. Jan. 1601 audita declaratione qualificatorum S. C. Inq. judicavit falsam esse ac temerariam propositionem quæ asserit posse Episcopum dispensare in impedimento publico dirimente consanguinitatis ad matrimonium contrahendum, sive in periculo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possunt exspectare dispensationem Sedis Apostolicæ. *Riganti* ad reg. 49. *Canc. Apost.* n. 2. *Bened. XIV.* l. c. n. 3.

16. Quæritur quando impedimentum censeatur *occultum*.

Impedimentum tunc in genere censetur occultum, quando non publice constat nec facile constare potest, ac periculum non est ut in foro externo detegatur. Ita *Pyrrus Corradus: Praxis Dispens. Apost.* L. 7. n. 12.

Hæc notio præsertim convenire potest impedimento *criminis* ex adulterio utrinque formali cum promissione mutua futuri matrimonii, et impedimento *affinitatis ex copula illicita* necnon ex omnibus impedimentis quæ originem trahunt ex copula *illicita* velut species consanguinitatis ac cognationis spiritualis. Unde impedimenta consanguinitatis et affinitatis ex copula licita, et alia quæ probari possunt ex publicis libris, in genere occulta non sunt. At *Bened. XIV.* in Const. '*Pastor bonus*' §. 7. concedit majori Pœnitentiario facultatem dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita occultis, ad revalidandum matrimonium nulliter contractum. Quare etiam impedimenta ex consanguinitate vel affinitate possunt esse occulta. Et revera distantia domicilii a loco originis efficere potest, ut in loco domicilii ignota sit omnibus consanguinitas vel affinitas inter duos. Unde patet totam quæstionem versari circa *factum* neque considerari utrum impedimentum in casu *probari* possit annon; itemque patet impedimentum antea publicum tractu temporis fieri posse occultum, e. gr. si per decennium oblivioni datum maneat, *Ben. XIV.* l. c. n. 47.

---

dicato. Valendo poi le stesse ragioni anche per le Curie Vescovili, Sua Santità vuole che anche i Pastori delle Diocesi si uniformino a tale prescrizione. Roma, 10. Dicembre 1891. M. Card. *Rampolla*.

Hisce positis, regula hæc, juxta Doctores magnæ notæ relatos a *Bened. XIV. Inst. Eccl.* 87. n. 44. 45., constitui potest, ut censeri possit occultum impedimentum, quando scilicet a paucis ex. gr. tribus, vel quatuor in oppido, vel a septem vel octo in civitate cognoscatur, tamen periculum moraliter nullum est publicationis ejusdem impedimenti. Quare quando possibilitas cognitionis impedimenti restringitur ad testes, qui impedimentum cognoscunt, attendendus utique est *numerus* personarum quæ impedimentum sciant, sed magis considerandæ sunt *qualitates* testium ipsorum, utrum timeri possit evulgatio impedimenti necne. Si enim testes bonæ opinionis non sunt, etiam duo soli testes possunt timorem ingerere propagationis notitiæ impedimenti, et denunciationis impedimenti ad Tribunal publicum Ecclesiæ, ita ut matrimonium ex dispensatione occulta Episcopi valide contractum, cum scandalo dissociari debeat, et in foro externo ceu nullum haberi.

17. Docent Theologi occultum esse habendum impedimentum quod *materialiter* dumtaxat *publicum, formaliter occultum* est, seu, quod publicum est si consideretur solum factum, occultum est, si consideretur facto cohærere impedimentum. Claritati consulentes distinguimus: *factum* et *jus;* deinde in ipso facto *materiam* et *formam* facti. E. gr. Adulterium cum attentato contractu matrimoniali: hoc est factum, vel materia *impedimenti* criminis; lex autem quæ constituit impedimentum est jus vel forma impedimenti, ideoque a nonnullis impedimentum dicitur materialiter occultum quando (moraliter) ignoratur factum: *formaliter* quando ignoratur lex. Alio quoque sensu impedimentum dici potest formaliter et materialiter occultum sive publicum. Etenim si et adulterium et contractus matrimonialis quidem scitur, ignoratur autem alterum esse initum durante priore matrimonio, factum est *materialiter* publicum, *formaliter* occultum; cfr. *Benedictum XIV.* in cit. *Inst.* 87. §. »Postremo«. At hæc distinctio duplex turbationem creat; quare dicimus cum *Benedicto XIV.,* ac praxi S. Pœnitentiariæ: ignorantia *juris* hic minime consideratur, sed ignorantia facti tantum, sive ignoratur materia sive forma *facti.* Accedunt responsa S. Pœnitentiariæ unum d. 18. Aug. 1872. in *Almerien.* et alterum a. 1875. Cum enim parochus quidam a S. Pœnitentiaria quæreret: »Num in facultate ab eadem (sc. a. S. Pœnit.) Episcopis concessa super impedimentis matrimonii occultis comprehendatur facultas dispensandi super impedimentum matrimonii *materialiter* publicum, sed

formaliter occultum«, S. Pœnitentiaria respondit: »*Non comprehendi*«.

Omnino occultum dicitur impedimentum quando »delinquentibus solum innotescat«, *Ben. XIV.* c. l. §. 44.

Econtra *publicum* dicitur impedimentum quod a) *notorium* est *jure* i. e. quod constat ex confessione rei in judicio aut ex sententia judicis; quod b) *notorium* est *facto*, seu quod constat quia publice factum est seu absque judiciali notitia publicum est, ideoque nulla tergiversatione potest celari; quod c) est *manifestum*, seu quod aliquibus personis certo constat et insuper incerto rumore per communitatem spargitur. Cfr. Marcus Paulus *Leo*, curialista peritissimus praxeos Pœnitentiariæ, apud *Ben. XIV.* Inst. 87 n. 40; quod d) *famosum* est, seu quod publica fama licet ut dubium, attamen gravibus nixum motivis divulgatur, et creditur a prudentibus. Cfr. M. P. *Leo* l. c.

Hæc dicta sint de potestate Episcoporum in dispensationibus concedendis ab impedimentis.

18. Pauca de potestate I. *parochorum*, II. *confessariorum* quoad impedimenta matrimonialia.

I. *Parochus* potest interdictum proprium merito tollere, quando rationes emittendi hoc interdictum cessabant.

Alias neque *ordinaria* neque *præsumpta* auctoritate quid potest. *Delegari* autem potest ad dispensandum et quidem *habitualiter* pro urgenti periculo mortis vi decreti d. 20. Febr. 1888. necnon vi quinquennalium pro casu quem dicunt *perplexum* saltem respectu impedimenti affinitatis ex copula illicita occulta.

II. *Confessarius* nihil potest nisi quod delegatum ei fuerit. At sæpe sæpius ministerio confessarii in foro interno supplex libellus erit porrigendus et a S. Pœnitentiaria eidem fit delegatio pro foro interno. »Si vero impedimentum sit occultum quodque in foro externo probari non possit, nolitque pars impedimenti conscia turpitudinem suam alteri manifestare, adeo ut nuptiæ impediri aut differri absque gravi scandalo nequeant, donec dispensatio legitima obtineatur; confessarius iis in angustiis constitutus sequatur doctrinas probatorum AA. et præsertim *S. Alphonsi de Ligorio* (in *Theol. Mor.* De Pœnitentia n. 613.), ita Synodus *Albanensis* p. II. a. 9. S. Alphonsus ibidem docet *impedimentum in casu non urgere.* Notandum est circumstantias tales esse oportere, ut absque scandalo vel infamia neque Ordinarius neque parochus

qui forte habitualiter ad hoc est subdelegatus, adiri possit. Post matrimonium sic initum Confessarius S. Pœnitentiariæ vel immediate vel mediate (per Ordinarium) enarret omnia facti adjuncta et petat sibi necessarias facultates ad cautelam vel potius agendi rationem.

De Dispensationibus, quæ a Sede Apostolica conceduntur.

19. Summus Pontifex uti solet certis organis Curiæ suæ ad concedendas dispensationes matrimoniales: Dataria Ap., S. Pœnitentiaria, S. C. S. Officii, S. C. de Prop. Fide; S. C. super Negotiis eccl. extraordinariis; Secretaria Brevium.

Secretariæ Brevium tributa est facultas concedendi »Dispensationes matrimoniales pro Principibus Supremis«, cfr. *Benedictum XIV.* in Const. *Gravissimum Eccl.* d. 26. Nov. 1745. §. 5.

S. Congregationis super Neg. Eccl. Extrao. facultas certis et ordinariis non est circumscripta limitibus, si imperium Russicum et regiones Americæ Meridionalis excipias, de quibus cfr. dicta in tit. *De off. jud. ord.* (I. 31) n. 132. pag. 334.

At si dispensatio difficilioris materiæ et extraordinariæ se offert, expedit ut ea proponatur huic S. Congr. Sic Episcopus, cujus diœcesis ad regiones Propagandæ pertinet, ab hac S. C. impetravit facultatem d. 8. Jan. 1884. dispensandi super impedimento affinitatis I^{i}. gradus lin. coll. pro 10 casibus urgentioribus. Quare expertus Curialista*) dicit: »*In casibus extraordinariis* quoad *omnia* impedimenta matrimonialia recurri potest ad S. C. super Neg. Eccl. Extraordinariis«.

S. C. de Propaganda Fide in regionibus ipsius jurisdictioni subjectis dispensationes speciales concedit, indulta autem hujus Congregationis committuntur etiam aliarum regionum Ordinariis. —

S. C. Inquisitionis negotia matrimonialia illa pertractat quæ tangunt materiam fidei, velut impedimenta mixtæ religionis, cultus disparitatis etc. — Archiepiscopus *Parisien.* d. 22. Martii 1895. causam fidei non inhærentem, sc. super impedimento clandestinitatis necnon appellatione Defensoris necessaria, ad S. C. Inq. transmisit et responsum accepit d. 3. Apr. 1895.**)

*) Sc. Rvdmus Georgius *Jacquemin*, amicus meus ac benefactor, apud *Schneider-Lehmkuhl* in *Man. Sacerdotum*, ed. 13. II. pag. 376. et 385.

**) Cfr. etiam articulum „Die kirchlichen Dispensbehörden in Ehesachen" ab Editore hujus Commentarii conscriptum in *Archiv* a. 1893. pag. 418.

Propria in Apostolica Sede fuerunt instituta duo organa pro dispensationibus matrimonialibus concedendis, nempe Dataria Apostolica et Sacra Pœnitentiaria. In Dataria Apostolica conceduntur dispensationes pro impedimentis *publicis*. In S. Pœnitentiaria juxta primitivam institutionem concedebantur dispensationes solummodo pro impedimentis *occultis*. Hinc in Dataria concedebantur dispensationes etiam *pro pauperibus*, unde distincta est concessio dispensationum in forma *ordinaria*, et concessio in forma *pauperum*. Quoniam vero in Dataria conceduntur dispensationes in impedimentis publicis, in precibus exprimenda sunt nomina et cognomina nupturientium, et documentum dispensationis debet esse publicum. Quare literæ Apostolicæ dispensationum in Dataria concessarum expediuntur per Cancellariam Apostolicam. Quædam vero dispensationes expediuntur in ipsa Dataria per literas in forma *Brevis*.

Facultates quas pro foro *interno* concedit Papa *Majori Pœnitentiario*, continentur in Const. *Pastor bonus* d. 13. Apr. 1744. *Benedicti XIV. (Bull.* huj. Pont. tom. I. n. 95.)*)

20. Quoniam vero dispensationes, quæ juxta primitivam institutionem in Pœnitentiaria conceduntur, respiciunt forum *internum*, et dantur super impedimentis *occultis*, non oportet, ut in precibus exprimantur nomina et cognomina postulantium, sed adhiberi solent nomina fictitia: Titius, Cajus, Sempronia, Mœvia etc.

21. Pariter ex eodem conceptu habetur, quod si concedatur dispensatio in Dataria ad revalidandum matrimonium nulliter contractum, necesse est ut consensus renovetur *in forma Tridentina*, eo quia impedimentum publicum reddit nullum matrimonium coram Ecclesia. Quando autem dispensatio conceditur in S. Pœnitentiaria ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sufficit occulta renovatio consensus. *Reiffenstuel*, Appendix, *De Dispens. matrim.* n. 610. et seqq.

Si cl. *Gasparri* c. l. nn. 251. et 1133. opinatur impedimentum esse jam publicum quando in foro externo probari potest, citato folio ad causam *Mohilevien. = Tiraspolen.* d. 9. Jul. 1881., hæc opinio contradicere videtur praxi S. Pœnitentiariæ quæ sumpto verbo »occultum« in sensu latiori quem supra exposuimus et idem auctor exponit in n. 252., postulat renovationem consensûs *secretam*.

*) Cfr. *Van de Burgt:* c. l. pag. 8.: *Leitner M.* in *Archiv* 1893. vol. 70. (64.) pag. 420.

22. Verum hodierna praxis est ut etiam in S. Pœnitentiaria concedantur dispensationes *super impedimentis publicis quando oratores sunt pauperes.* Quapropter concessum est ut dispensationes in forma pauperum non concederentur solum in Dataria Apostolica, sed etiam in S. Pœnitentiaria. Unde quando hæ dispensationes expostulantur in S. Pœnitentiaria ab oratoribus pauperibus, debent exprimi nomina et cognomina nupturientium. Quapropter ob paritatem rationis, quoties a S. Pœnitentiaria conceditur dispensatio ad convalidandum matrimonium nullum ob impedimentum publicum, renovatio consensus inter conjuges fieri debet in forma Tridentina.

23. Jam quæritur quid dicendum sit, si dispensatio ab impedimento publico fuerit concessa *in forma pauperum,* cum tamen oratores revera *pauperes non* sint?

Quæstio hæc nuperrimis temporibus ter in Sacra Congregatione Concilii proposita fuit. 1°. In causa *Granatensi* d. 18. Apr. 1863. 2°. In causa cui titulus *'Dubia circa facultatem dispensandi'* d. 26. Apr. 1873. 3°. In eadem causa d. 28. Junii ejusdem anni. Solummodo in postrema propositione quæstio resoluta esse aliquo modo videtur.

24. Ut autem rei claritati consulamus quædam historice præmittimus.

Sæculis superioribus ad Datariam Apostolicam pertinebant omnes dispensationes in foro externo, et pro impedimentis publicis, sive oratores fuissent pauperes sive non fuissent. Eversis publicis rebus sub finem sæculi elapsi et sub initio præsentis*) Dataria Apostolica impedita fuit, quominus negotia sua exerceret. Quare tunc dispensationes matrimoniales per S. Pœnitentiariam expediebantur.

25. Restituto autem ordine publico, Dataria Apostolica pristina sua negotia iterum exsequi aggressa est, tamen praxis invaluit, ut quoties novus Major Pœnitentiarius constitueretur in suo officio, reciperet a Summo Pontifice facultatem dispensandi in omnibus casibus etiam publicis 'quando occurrat vera oratorum paupertas per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda'. Itaque

*) Die 15. Febr. 1798. Urbe Papæ per revolutionarios erepta respublica est promulgata ita ut s. m. *Pius VI.* d. 20. ejusd. Româ discedere deberet.

Major Pœnitentiarius ex hoc usu noviter inducto incepit ex speciali concessione Pontificis habere novam facultatem, quæ non reperitur expressa in Const. *Benedicti XIV. 'Pastor Bonus'*.

26. Hisce historice relatis, veniamus ad quæstionem nostram. Quid dicendum de dispensatione concessa *in forma pauperum,* quando constiterit oratores revera *non* esse *pauperes?* Valetne hæc dispensatio?

Præmitto quæstionem nostram non attingere hypothesim fraudis oratorum, qua nempe malitia velint decipere auctoritatem Ecclesiæ. Ista enim in hypothesi subingrederetur dispositio c. 20., *'De Rescriptis'* (I. 3), in quo principium sequens statuitur 'Mendax precator carere debet prorsus impetratis'.

27. Hisce præmissis auctores antiqui, inter quos eminet *Reiffenstuel* in Appendice ad L. IV. Decretalium §. 8. nn. 205. et seqq. communiter docent dispensationem in forma pauperum concessam valere quamvis oratores revera pauperes non sint. Ratio præcipua hujus sententiæ hæc est: Valor dispensationis est æstimandus ex causa motiva, non ex causa solummodo impulsiva, scilicet accessoria. Jamvero juxta stylum curiæ paupertas non est proprie causa dispensationis concedendæ. Ad summum vero est causa tantum accessoria et impulsiva, et paupertas est potius solummodo ratio adhibendi specialem formam dispensationis, quæ dicitur *'forma pauperum'*. Quare quæstio est, ut ajunt, de forma *expeditionis* non de substantiæ.

Porro hæc ratio optima est si sermo sit de dispensationibus in forma pauperum concessis a *Dataria Apostolica,* quia Dataria Apostolica consideratur tamquam organum ordinarium Pontificis, cui a Pontifice absolute demandatum est munus dispensandi pro omnibus fidelibus indiscriminatim, sive divitibus sive pauperibus, ita ut pro utrisque sola differentia sit in forma expeditionis. Hinc S. C. Concilii d. 9. Sept. 1679. declaravit, validam esse dispensationem in forma pauperum concessam, licet cognitum esset, oratores revera pauperes non fuisse.

28. At eadem conclusio dispensationibus pro pauperibus, quæ a S. Pœnitentiaria concedi solent vi facultatum Majori Pœnitentiario tributarum, applicari non posse videtur. Etenim in S. Pœnitentiaria quando agitur de paupertate vera vel non vera, non est

quæstio de diversitate formæ expeditionis, sed potius de substantia dispensationis et de facultate dispensandi. Etenim Major Pœnitentiarius non assequitur a Summo Pontifice facultatem dispensandi absolute et pro fidelibus cujuscumque conditionis, sed solum quando occurrat *vera paupertas.* Non exsistente igitur paupertate deficere videtur in dispensante facultas dispensandi. Delegatus autem extra mandatum agens, nihil agit.

29. Utique ex adverso dici posset mandatum Pontificis quoad majorem Pœnitentiarium ita esse conceptum ut possit dispensare, quando occurrat vera paupertas, per authenticam ordinariorum attestationem comprobanda, et per consequens videretur alligata facultas dispensandi *authenticæ attestationi Ordinariorum,* unde Pœnitentiarius Major non videtur esse de veritate paupertatis judex, sed judex est Ordinarius Oratorum, et per consequens Major Pœnitentiarius legitime utitur potestate sua, quando in Actis Sacri Tribunalis attestatio authentica Ordinarii de Oratorum paupertate, exsistit.

30. Verum praxis S. Pœnitentiariæ *aliter* explicasse videtur mandatum Pontificis, quod Majori Pœnitentiario conceditur in hypothesi, qua oratores non sint vere pauperes, licet de eorum paupertate fidem fecerit Ordinarius. Nam juxta praxim S. Pœnitentiariæ *triplex tempus* distingui solet, in ordine ad cognitionem non-exsistentiæ paupertatis, primum quod *præcedit* ipsam dispensationem, secundum, quod elabitur a dispensatione concessa *usque ad* exsecutionem ejusdem, quæ exsecutio Ordinariis committitur, tertium, quod discurrere incipit *post* exsecutionem datam rescripto dispensationis. Si agatur de I°. tempore, quoties in S. Pœnitentiaria cognoscatur oratores pauperes non esse, remittuntur ad Datariam Apostolicam, ut in ea negotium dispensationis pertractetur. Si autem oriatur solummodo fundatum dubium de non-veritate paupertatis, suspenditur in S. Pœnitentiaria negotium, et simul nova ab Ordinario exposcitur informatio de veritate rei. Si tamen necessitas urgeat contrahendi matrimonium, dispensatio illico conceditur, sed conditio apponitur 'dummodo oratores vere pauperes sint'. Hinc gravatur conscientia Ordinarii, ut antequam edat decretum exsecutionis dispensationis, cognoscat de veritate paupertatis. — Si sermo sit de II°. tempore et S. Pœnitentiaria cognoscat oratores non esse vere pauperes, S. Tribunal vel remittit

negotium ad Apostolicam Datariam, vel speciales facultates pro illo casu exposcit a Summo Pontifice ad roborandam dispensationem datam. — Tandem si sermo sit de III°. tempore, et cognoscitur oratores pauperes non esse, S. Pœnitentiaria rem deferre solet ad Summum Pontificem, et ex audientia Sanctissimi, si rationes adsint, concedere solet sanationem defectus in remedium conscientiæ.

31. Hac praxi exposita in S. C. Concilii d. 28. Junii 1873. propositoque dubio: 'An validæ sint matrimoniales dispensationes pro pauperibus a S. Pœnitentiaria in foro externo concessæ, quando paupertas falso allegata fuerit in casu', responsum est *'Nil esse innovandum' (Mon. Eccl.* V. 2. pag. 49—52). Si rite hæc responsio accipiatur, habebimus S. C. Concilii approbasse stylum Curiæ servatum in S. Pœnitentiaria, stylus autem Curiæ hac intentione seu hoc consilio regitur, ut nempe in casibus particularibus qui proponuntur, aptetur remedium, et in tuto ponatur validitas dispensationis. Unde dici potest S. Congregationem sese abstinuisse in puncto juris explicite resolvendo.

32. Quidquid vero sit, credo nullitatem dispensationum in facta hypothesi restringi ad dispensationes, quas Major Pœnitentiarius concedit ex facultatibus sibi tributis, non autem extendi ad eas, quæ conceduntur ab ipso *Pontifice* per organum S. Pœnitentiariæ, quia hisce dispensationibus potest aptari ratio a Doctoribus citatis allata.

In mandato dispensationis, quod a S. Sede Apostolica conceditur apponi solet clausula: 'Si vera sint exposita'. Quare videndum est, *quænam in precibus sint exponenda ab oratoribus.*

33. Quando dispensatio super aliquo impedimento matrimoniali impetranda est, tunc ordinarie a parocho vel a confessario confici debet supplex libellus (supplica) pro oratoribus (exponentibus) dirigendus sive ad ipsum Summum Pontificem, sive ad Pœnitentiarium Majorem et quidem mediante regulariter Ordinario loci vel Oratorum. Quotiescunque autem in supplicis fori *interni* periculum adesset, ne reveletur sigillum sacramentale missis ad Ordinarium precibus adiri debet immediate Pœnitentiarius Major, ergo prætermisso etiam Agente in Urbe constituto. De modo infra erit sermo. Abhinc non multos annos publicata fuit

formula petitionis approbata a S. Pœnitentiaria, cujus tenorem habes in nota.*)

Ex hac formula petendi dispensationem super imped. *publico,* quamvis non optima vel perfectissima, tamen facillima et essentialia continens, perspici potest quænam in conficiendo supplici libello observari debeant. Sunt quinque referenda: a) personæ, hic oratores; b) impedimentum (a); c) causa (causæ) petitionis; d) status fortunæ; e) circumstantiæ quædam, præsertim testimonium de veracitate et dignitate Oratorum. De singulis nunc disseremus, præmissa tamen animadversione. Quando in aliqua diœcesi lex adest juxta quam *omnes* supplicæ sunt mittendæ ad Ordinarium, hæc lex generaliter loquendo bona observari debet excepto tamen casu ubi periculum sigilli confessionis adduceretur. Quare in libello instruendo mandatis Ordinarii accurate est obsequendum et stylus Curiæ diœcesanæ observandus.

§. 1. De personis sive oratoribus.

34. Personæ quæ vocantur hic oratores vel exponentes, minime vero sponsi, triplici modo exprimantur oportet: 1. nomine et cognomine; 2. ætate; 3. diœcesi. Audi hac super re S. C. de Prop. Fid. in Instructione d. 9. Maji 1877. »In litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda exprimenda sunt: 1. *Nomen et cognomen*

*) Beatissime Pater,

NN. annos natus ..... et *NN.* annos nata ..... diœcesis *N*..... ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti, humiliter postulant dispensationem super impedimento ..

ut legitimum inter se matrimonium contrahere possint.

Causæ sunt

1. Ætas oratricis.
2. Defectus dotis.
3. Angustia loci.
4. Cura prolis e superiori matrimonio susceptæ etc.

Oratores pauperes sunt .....

Testamur vera esse exposita et oratores pro gratia commendamus.

Datum ..... ;

cfr. *Schneider: Fontes J. N.* pag. 128.; *Mon. Eccl.* IX. 1 — pag. 56.

Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. 2. *Diœcesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis, in qua nunc habitant«. Nomina jam supra vidimus in supplicis fori *externi vera* esse indicanda, *interni* autem *ficta.* — *Ætas* oratorum requiritur diversis ex rationibus, præcipue autem quando agitur de dispensatione I^{i}. gradus sive affinitatis lin. rectæ ex copula illicita et lin. coll. ex utraque copula, sive consanguinitatis mixti cum alio gradu lin. coll.*)

Diœcesis nominetur et originis et domicilii quando diversæ sunt; commissio autem fit aut Ordinario loci, aut Ordinario Oratorum. —

Commendatur ut religio catholica utriusque petentis expresse nominetur; sed quando una pars pertinet ad sectam hæreticam, hoc indicari debet; etenim negotium hoc competit ad S. Officium. Petitio fit nomine non utriusque personæ, sed *unius:* 1) in impedimentis mixtæ religionis cultusque disparitate; 2) in impedimento quod uni parti proprium est, e. gr. voti castitatis, *Van de Burgt* c. l. pag. 13. —

Supplica instrui potest aut de mandato aut de consensu utriusque vel unius aut etiam insciis partibus a tertia persona; cfr. causam *Januen.* d. 12. Dec. 1733. (apud *Richter* etc. *Canones* pag. 221).

§. 2. De impedimentis exprimendis.

35. Instructio S. Congregationis de Prop. Fid. d. 9. Maji 1877. hæc respectu impedimentorum habet: »Exprimenda sunt 1. *Nomen et cognomen.* 2. *Diœcesis* etc. 3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem. 4. *Gradus consanguinitatis,* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex,

*) Ipse Editor ex propria praxi Romana recordatur supplicas a S. Pœnitentiaria esse repulsas quippe cum ætas oratorum non fuisset indicata.

vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta et transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris, quam ex parte matris. 5. *Numerus impedimentorum,* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si præter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens«.

Species exprimenda est e. gr. cognatio spiritualis, affinitas; sed requiritur species *infima,* e. gr. cogn. spir. inter levantem et levatum (*prima* species) vel c. sp. inter levantem levatique parentem *(secunda* species); affinitas lineæ collateralis inæqualis in II°. gradu tangentem I^um^. ex copula illicita.

In dispensatione debet cognosci casus quasi in individuo, quare omnes facti circumstantiæ exprimi debent. Hinc 1°. si plura adsint impedimenta inter nupturientes, omnia debent exprimi in eodem supplici libello, scilicet non potest dispensatio peti singillatim pro singulis impedimentis. Ratio est quia quando inter duos plura adsunt impedimenta, majus vinculum propinquitatis intercedit inter eosdem et per consequens major est difficultas obtinendæ dispensationis. Hinc si unum tantum exponeretur impedimentum superior dispensans non cognosceret verum statum rerum.

Et quidem hac in re adeo sunt rigidi Doctores, ut dispensationem a *nullitate* non liberent, licet aliud impedimentum reticitum fuerit ab oratoribus ex ignorantia.

36. Ex dictis enasci potest quæstio. Duo oratores ligantur duplici impedimento. Unum est circa quod dispensare potest *Episcopus* virtute indulti Apostolici, aliud autem reservatur *Sanctæ Sedi.* Petita et obtenta est a Sancta Sede dispensatio circa impedimentum reservatum. Deinde cognitum est aliud impedimentum non reservatum. Poteritne Episcopus uti indulto Apostolico, ad dispensandum circa hoc alterum impedimentum, aut exposcenda est revalidatio dispensationis Apostolicæ etiam circa primum? Respondemus, Episcopum non posse dispensationem in casu concedere, sed rem iterum integre Summo Pontifici referendam esse. Et ratio est quia dispensatio prius concessa ab Apostolica Sede nulla fuit, eo quod Summus Pontifex alterum impedimentum ignoravit.

37. Quæritur quid si ex duobus impedimentis unum *publicum* sit, alterum vero sit *occultum,* ita ut absque periculo infamiæ non possit manifestari?

Respondemus: Praxis hæc inducta est, ut nempe expostuletur in forma publica dispensatio quoad impedimentum publicum, et deinde postuletur a S. Pœnitentiaria dispensatio quoad impedimentum occultum, reticitis omnino nominibus oratorum. Attamen in precibus Sacræ Pœnitentiariæ hæc circumstantia debet notari, quod nempe oratores ligati alio impedimento publico de illo obtinuerint dispensationem in forma publica. Nunc de singulis impedimentis.

38. I. *Consanguinitas.* 1) In linea recta non datur dispensatio, sicut nec in linea collaterali æquali I^{i}. gradus. Ambitus hujus impedimenti, in quantum est dispensabile, complectitur in linea collaterali omnes gradus simplices vel mixtos et quidem simpliciter vel multipliciter a 4. usque ad 2. tangentem 1^{um}. Quare in supplica dispensationis super hoc impedimento exprimi debet species, linea, gradus æqualis, inæqualis, unius, duplicis vel multiplicis consanguinitatis; conferatur tit. *De consanguinitate* (IV. 14) nn. 14. sqq. pag. 246.

2) In nonnullis Curiis Episcopalibus requiritur *arbor consanguinitatis* vel *schema genealogicum;* in libellis ad S. Sedem dirigendis non requiritur, tamen exactissime indicetur provenientia impedimenti, velut:

»Oratores consanguinei sunt in secundo gradu tangente primum, quia Orator est patruus (frater patris) vel avunculus (frater matris) Oratricis; aut vice versa: quia Oratrix est amita (soror patris) vel matertera (soror matris) Oratoris. — Oratores consanguinei sunt in secundo gradu lineæ collaterali. (Sufficit sine addito.) — Oratores consanguinei sunt in secundo gradu ex uno stipite et in tertio gradu ex altero stipite lineæ collateralis. (i. e. si duplex illa consanguinitas adest.)«

3) Ægre conceditur dispensatio super consanguinitate lin. coll. in II^{o}. gradu tangente I^{um}.; optimo sane jure propter sequelas deplorandas, de quibus locuti sumus in tit. *De consanguinitate* (IV. 14) n. 13. pag. 245. Quamobrem etiam Episcopi sint providi in commendandis hisce supplicis juxta verba litterarum circularium quas misit A. Card. *Bianchi* Prodatarius d. 19. Junii 1895. ad omnes Ordinarios hujus tenoris: »Petitionum copia pro obtinendis matrimonialibus dispensationibus super impedimento Primi tangentis Secundum consanguinitatis gradum Ss. Principis D. N. *Leonis* Papæ *XIII.* mentem, ingluvie malorum percrebrescente, perculit. Etenim animadvertens indulgendo hujusmodi concessionibus, effrænata licentia, quæ de

die in diem augetur, haudquaquam compescitur; eo quod occasio continua, commodum eam impune satisfaciendi magis allectant Nupturientes spe etiam nodo conjugali occulturos infelices effectus, atque reatus, qui jam præcesserunt.

Ne vero Sanctitatis Suæ indulgentia, præbeatur occasio salutarem disciplinam labefactandi, quæ a sanctitate Sacramenti jubetur, et tantum prodest morum integritati, societatis bono, et vegetiorum corporum incremento, onerat Episcoporum conscientiam, ut sedulo invigilent ne Sanctæ Sedi precantes accedant nisi *veræ causæ canonicæ* jure commendent, et litteris *manu propria* exaratis, *rationes* in quolibet casu explicent, nec non *circumstantias,* quibus putent gratiam esse concedendam. Tali modo Summus Pontifex tutior annuet petitionibus quoties agnoscet necessitatem eo obstrictiorem, quo artes erunt minores alio modo consulendi«.

39. II. *Affinitas:* 1) Omnia pariter exprimantur ac in impedimento consanguinitatis adjecta tamen circumstantia utrum affinitas proveniat ex copula licita an illicita. De nominibus et de multiplicitate conferantur tit. *De consang. et aff.* (IV. 14) nn. 34 sqq. pag. 253. necnon tit. *De eo qui cognovit* (IV. 13) nn. 5 sqq. pag. 237. — En modus quo accuratius exprimuntur gradus affinitatis: »Oratores sunt affines in primo gradu, quia Orator est viduus ex sorore Oratricis; vel: quia Oratrix est vidua ex fratre Oratoris. — Oratores sunt affines in primo gradu ex copula illicita Oratoris cum matre Oratricis (quæ copula post nativitatem Oratricis locum habuit); — vel: Oratores sunt affines in primo gradu ex copula illicita Oratoris cum sorore Oratricis. — Oratores sunt affines in secundo tangente primum gradum, quia defuncta uxor Oratoris erat amita (vel: matertera) Oratricis; — aut vice versa: quia defunctus vir Oratricis erat patruus (vel: avunculus) Oratoris. — Oratores affines sunt in secundo tangente primum gradum, ex copula illicita Oratoris cum amita (vel: matertera Oratricis; aut vice versa: ex copula illicita Oratricis cum patruo (vel: avunculo) Oratoris. — Oratores affines sunt in secundo gradu lineæ collateralis ex copula licita (aut: ex copula illicita). — Oratores sunt affines in tertio gradu lineæ collateralis. — Oratores sunt affines in tertio gradu ex uno latere, et in quarto tangente tertium ex altero latere lineæ collateralis«. Cfr. *Schneider-Lehmkuhl* c. l. II. pag. 391—392.

2) In linea recta affinitatis non conceditur dispensatio quoties agitur de affinitate proveniente ex copula *licita.* S. Sedes centies implorata centies respondit: »Non conceditur«; cfr. S. C. Conc. d. 28. Maji 1796. in *Leodien.* necnon d. 16. Jun. 1894. in *Malacitana (M. E.* VIII. 2 pag. 145). Si agatur de affinitate ex copula *illicita,* pariter in linea recta, non sine difficultate dispensatio conceditur, cui semper adjiciuntur clausulæ speciales, præcipue clausula prohibens quominus quis propriam in matrimonium ducat filiam.

40. III. 1) *Publica honestas* notetur in infima specie: ergo utrum ex sponsalibus de futuro an de præsenti (matrimonio rato tantum) proveniat. Quoad *sponsalia* afferatur etiam circumstantia, utrum rite sint *dissoluta* necne et quomodo. Nam si non sunt jure dissoluta, adest etiam impedimentum sponsalium prohibens. — Publica honestas ex matr. rato tantum potest provenire tripliciter: a) ex eo quod tale matrimonium, quia nullum, est dissolutum; b) ex eo quod tale matrimonium validum resolutum fuit *morte,* vel c) *dispensatione Summi Pontificis.* Et hæ circumstantiæ distinctæ pro singulis casibus in supplica notentur.

2) Quando in impedimentis consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis gradus est *inæqualis,* hæc inæqualitas debet exprimi et quidem sic: quartus gradus attingens tertium; sive: tertius et quartus gradus inæqualis; sive: tertius et quartus gradus ex communi stipite; sive: quartus gradus mixtus cum tertio. Si gradus sunt inæquales uterque exprimendus erit; reticito propinquiore, si hic est *primus,* dispensatio non valet, sin ulterior, valet, sed in foro externo necesse est ut impetrentur litteræ declaratoriæ super gradu propinquiore. Quod dictum est, valet, si dispensatio conceditur a *Dataria;* si vero impetratur a S. Pœnitentiaria, tunc reticito gradu propinquiore, videtur dispensatio semper invalida esse, quia S. Pœnit. dispensare super utroque gradu complures docent; cfr. *Archiv:* vol. 70. pag. 427.; *Gasparri:* c. l. nn. 320., 324., 357. *Schneider-Lehmkuhl: Man. Sac.* pag. 390. —

IV. Quoad *cognationem spiritualem* necessaria satis explicata fuisse censemus tam in Instructione supra allata, quam in tit. *De cogn. spirituali* (IV. 11) nn. 19 sqq. pag. 225. —

V. Item quoad impedimentum *criminis* cfr. præter Instructionem tit. *De eo, qui duxit in matrimonium* (IV. 7).

VI. In impetranda dispensatione super *mixta religione* attendenda sunt ea quæ exposuimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) nn. 179 sqq. pag. 75.; item super *cultus disparitate* quæ exposuimus ibidem n. 178. pag. 73.

§. 3. De causis dispensationis.

41. Audiamus quid Instructio S. C. de Prop. Fid. d. 9. Maji 1877. moneat et exponat:

»Cum dispensatio sit juris communis relaxatio cum causæ cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi *legitima et gravis causa* interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literæ pro impetranda aliqua hujusmodi dispensatione, quæ nulla canonica ratione fulciuntur. Accedit etiam quandoque, ut in hujusmodi supplicationibus ea omittantur, quæ necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in præsenti Instructione paucis perstringere præcipuas illas *causas*, quæ ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticæ provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt: (deinde ea indicare quæ in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.).

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operæ pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quæ non prosunt singula, multa juvant, arg. l. 5. C. *De probat.* Hujusmodi autem causæ sunt quæ sequuntur:

I. *Angustia loci*, sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio feminæ ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum«.

Explicatio: a) Dicitur »ratione *Oratricis*«, sed quia in rescriptis nonnunquam legitur »propter angustiam loci ubi Oratores habitant«, cautius exprimitur hæc causa verbis: »ang. loci ubi Oratrix habitat«, quando Orator non ibidem habitat. Hæc explanatio »ubi Oratrix *habitat*« præpedit errorem rescripti, quod forte,

si angustia loci sola nominatur, continet »a. l. ubi Oratrix est *orta*«. Unde accuratius scribitur: »A. l. ubi Oratrix *habitat* vel orta est vel *quasidomicilium* habet«; angustia *locorum* adest, respectu loci et *originis* et *domicilii*.

b) Dicitur *angustia loci*, non *parochiæ* secundum responsum S. C. Concilii d. 8. Julii 1876. »A. l. non esse desumendam ex numero focorum cujusque Parochiæ, sed a numero focorum cujusque *loci*, vel etiam *plurium locorum*, si non distent ad invicem ultra milliare«. *Locus* vocatur angustus vel in se vel cum ceteris locis non ultra milliare (= 1500 metros), distantibus. *Angustus* autem vocatur quando non numerat plus quam 300 focos sive 1500 incolas. Distantia non æstimatur in aëre, sed spectatis omnibus viæ difficultatibus; cfr. Instr. Datariæ Ap. d. 30. Aug. 1847. necnon S. C. Conc. d. 8. Martii 1884.

c) Dicitur »paris conditionis« quod verificatur respectu *ætatis, generis, facultatum, morum, religionis*. Merito igitur animadvertit *Manuale Sacerdotum* II. pag. 396.:

»Adolescentes nostra ætate ita sunt nonnunquam *moribus* et fide perditi, ut aliquando mulier pietate fulgens vix reperiat in loco sui domicilii virum honestum et religione præditum; suboritur inde nova quædam species angustiæ loci, cujus ratio quoque nobis ita habenda videtur, ut simul cum aliis causis exponatur, cum plurimum inde pendeat tum Oratricis, tum ejus familiæ salus.«

d) Dicitur »inveniat«. Si mulier virum paris conditionis in patria non-cognatum usque ad tempus supplicæ jam quidem invenit, at certa ex causa recusavit, e. gr. quia non cogitabat de matrimonio, hæc circumstantia notetur in supplici libello, ne dubium exoriatur.

e) »Patriam deserere sit ei durum« verificatur in mulieribus honestis omnibus, minus in *dissolutis*, quarum interest ut transferantur ad alium locum.

»2) *Aetas feminæ superadulta*, si scilicet 24^{um}. ætatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat.«

Notetur circumstantiam anni 24. non completi, sed *incepti* in dispensationibus super gradibus remotioribus et impedimentis minus gravioribus afferri potest. Quando mulier omnes paris conditionis viros recusavit intentione nubendi cognato, hæc circumstantia ex-

primi debet. Conjunctio causæ »angustia loci« cum »ætate superadulta« exprimitur in rescripto verbis »*Et si extra*«; cfr. *Heiner: Eherecht* pag. 160.

»3) *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco in quo commoratur. Quæ causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.«

Dicitur »actu«; ergo non respicitur præteritum neque futurum incertum, e. gr. quando parentes competentem dotem non constituant nisi per testamentum relinquendam. — Dicitur »habeat«, quare certa spes habendi absque jure, e. gr. ab avunculo vel fratre, non constituit factum. — Hæc *Incompetentia* sumenda est non absolute, sed relative, spectatis ceteris mulieris qualitatibus. — Egregie *Manuale Sacerdotum* 4 modos incompetentiæ dotis exponit: 1. quod vir consanguineus eam cum dote insufficienti nihilominus ducere velit, 2. quod eam sine ulla dote ducere velit, 3. quod ipse, si sibi nubat, dotem augere velit, 4. quod tertius quidam cognatus dotem velit constituere, si oratores consanguinei matrimonium ineant. Quæ proin secundum veritatem breviter indicanda sunt. Ad hanc causam refertur proxima:

»4) *Lites super successione bonorum jam exortæ,* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, præter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicæ, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.«

»5) *Paupertas viduæ,* quæ numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiæ versetur«. Ex paupertate viduæ duo mala provenire solent: a) mala *educatio prolis,* præsertim quando sit numerosa; b) periculum *incontinentiæ* maxime si junior sit. At causæ

esse possunt per se *numerositas prolis* et a fortiori *periculum incontinentiæ* id quod verificari potest etiam in aliis mulieribus.

»6) *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum fœdera inter regna et Principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sint, quæque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiæ graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret«.

»7) *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit«.

Hæc causa attenditur propter diffamationem mulieris. Docet *Pyrrhus Corradus* in *Praxi dispensationum* l. 8. c. 1. n. 29. ex *Urbani VIII.* mandato in petitionibus dispensationum propter infamiam quæ orta est ex nimia partium familiaritate, inserendam esse clausulam, num *animo* facilius obtinendi dispensationem familiarius conversati fuerint; *Van de Burgt* c. l. pag. 38.

»8) *Copula* cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante præhabita, et *Prægnantia ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebejis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quæ circumstantia in supplicatione foret exprimenda«. *Legitimationem prolis* apparet esse causam dispensationi quando proles est jam edita, fortasse etiam ante aliquot annos. Cl. *Gasparri* c. l. n. 340. in nota 1) contendit »Restrictio *Dummodo copula* etc. amplius vera non est post decretum S. C. S. Officii d. 25. Junii 1885«, cui opinioni non possumus consentire; etenim illud decretum non agebat de causis, sed de circumstantiis rescripto addendis. Et revera copula bona fide patrata potest esse causa sufficiens pro dispensatione, cum copula hoc animo patrata non semper censeri debeat et possit sufficiens causa motiva; cfr. *Heiner: Eherecht* pag. 171.

»9) *Infamia mulieris,* ex suspicione orta quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier

diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur».

»10) *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est; quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, præsertim feminæ, c. 7. *de consanguin.* (IV. 14). At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess.* 24., cap. 5. *de Ref. matrim*«. Sapienter dicit Instructio »merentur«; id quod non prohibet quominus S. Sedes gratiam concedat aliis ex causis, quæ salutem publicam forte concernunt.

»11) *Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor *perversionis,* et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi hæreses impune grassantur. Id docuit hæc S. Congregatio in instructione d. 17. Apr. 1820 ad Archiepiscopum *Quebecensem* data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniæ postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud prætexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul prævidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV., 14. Aug. 1822 decrevit: »Respondendum oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus »sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire judicaverit.« Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat«.

Tres vel plures causæ hoc numero continentur: a) periculum *matrimonii mixti;* b) matrimonii *coram ministro acatholico* celebrandi; c) timor *perversionis et defectionis a fide.* Quæ causæ et separatæ et conjunctæ exsistere possunt. Nihilominus boni pastoris est avertere a suis periculum ne malitia in fide tepidorum spe dispensationis augeatur.

»12) *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti æternæ salutis discrimine, adhibendum esse.

13) *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile,* ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14) *Remotio gravium scandalorum.*

15) *Cessatio publici concubinatus.*«

Conversari in simulacro quodam matrimonii: in concubinatu, in »matrimonio« civili ejusque periculum vel ejus sequelæ (scandala) est fundamentum harum causarum. Differentia inter nn. 12. et 15. est hæc: in n. 15. *cessare* speratur concubinatus matrimonio cum alia persona, licet impedimento ligata; econtra juxta n. 12. incestuosus concubinatus aut cessat aut præpeditur matrimonio inter ipsos incestuosos vel impedimento ligatos.

»16) *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicæ hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hæ sunt communiores, potioresque causæ, quæ ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes«.

Operæ pretium videtur hisce causis canonicis adjungere alias quas in rescriptis afferri posse ex praxi Romana et propria et communicata expertus sum:

I. Ex parte *mulieris:* Oratrix alterutro vel utroque parente orbata — Oratrix ex natalibus illegitimis orta — infirmitate, deformitate aliove defectu detenta — Oratrix jam ab alio defiorata — ætas junior Oratricis viduæ etc.

II. Ex parte *viri:* Orator infirmitate detentus — O. viduus prole oneratus, cui quærit bonam matrem — O. adjutorio hujus mulieris indigens (exprimatur *qua de causa).*

III. Ex parte *utriusque* vel *matrimonii:* Omnia ad nuptias jam parata — Boni mores utriusque Oratoris — (quæ causa solum *juvat* alias) — Oratorum munificentia erga salutem publicam — Propositum contrahendi propalatum i. e. palam divulgatum vel propositi pertinacia — Convenientia matrimonii —; tandem bonum parentum quando pater vel mater indigent adjutorio; cfr. *Manuale Sacerdotum:* pag. 401.

Loquuntur AA. etiam de dispensatione *sine causa* quæ a Dataria Ap. conceditur interdum.

In rescripto dispensationis dicitur »*ex certis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus*«. Ejusmodi dispensationes familiis nobilibus conceduntur imposita larga eleemosyna in pios usus convertenda. Qua in dispensatione causa esse potest: vel beneficentia Oratorum in actu ipso manifestanda vel etiam favor quem præstant alias ejusmodi familiæ Ecclesiæ; *Van de Burgt* c. l. pag. 39.; *A. S. S.* vol. II. pag. 64.

In allegatione causarum duo observanda sunt:

1) ut clare et accurate exponatur causa (causæ) ita ut dispensans videat non tantum in expositis circumstantiis causam dispensationis posse inveniri, sed adesse revera; v. g. indicandum unde proveniat, in quo consistat diffamatio, unde bene meruerit de Ecclesia orator vel oratrix, etc.; — 2) quod causa infamans *occulta* exponi non debet in petitione dispensationis pro *foro externo,* nisi de licentia Oratorum quos respicit. —

§. 4. De taxa.

42. Taxæ solvendæ sunt ut in rescripto mandatur. At taxæ non constituuntur *arbitrarie,* sed juxta normas quasdam, quæ jam in conficiendo supplici libello sunt observandæ. Distingui hoc respectu solent tres formæ: a) forma *nobilium* quæ æquiparatur formæ dispensationis »sine causa«; b) forma *communis;* c) forma *pauperum.* Prius explicemus oportet formam *pauperum,* qua exposita forma communis per se patebit. — Deinde distinguendæ sunt taxæ pro Dataria et taxæ in S. Pœnitentiaria.

Taxa est pecuniæ summa quæ officialibus Datariæ solvitur. *Componenda* vocatur pecunia quæ eroganda est in pios usus. Solvitur denique aliquid pro *Agentia* i. e. pro illo viro qui impetrationem et expeditionem Literarum Apostolicarum procurat quique *Agens* vocatur. Præterea *expensæ postales* solvi debent.

43. Antequam videamus quid S. Pœnitentiaria vel Dataria Apostolica exquirat, termini quidam sunt explicandi.

I. Qui sunt *vere pauperes?* Respondet *Benedictus XIV.* in epistola ad Archiep. *Turonensem* d. 26. Sept. 1754. hisce verbis: »*Vere pauperes* non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles sunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant; quo fit ut dispensatio in forma pauperum non aliter a Sede Apostolica concedatur quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem quæ exarata est

juxta Decretum *Urbani VIII.* quod nimirum *oratores ita pauperes et miserabiles exsistant, ut ex suis laboribus et industria tantum vivant.*

Quia tamen illi etiam ita pauperes merito dici possunt, qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetæ romanæ, si ipsi citra montes degunt; vel, si ultra montes, valoris ducatorum auri de Camera 300 summam attingentium scutorum 625 dictæ monetæ«.

Itaque vere pauperes sunt: a) qui ex suis laboribus et industria tantum vivunt; b) qui bona in capitali possident citra montes (ex Urbe) 300 Scutatorum, ultra montes 525 Scutatorum, numerata in pecunia moderna 1620, resp. 2835 libellas. Ex contextu citati responsi apparet vere pauperes intelligi eos qui *præter* pecuniam quam laboribus industriaque acquirunt, possident bona in capitali supradicta. Etenim si de reditibus ex illo capitali solis vivere deberent, miserabiles revera essent, cum per annum de 64,80 resp. 113,40 libellis vitam degere deberent. — Qui nihil omnino solvere possunt vocantur *pauperes ac miserabiles* ita *ut ne obolum quidem solvere possint.*

II. *Fere pauperes* vocantur ii qui »bona habent ad quantitatem usque scutorum, vel respective ducatorum *mille* auri de Camera, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quæ vulgo dicitur *componenda,* scutorum quatuor pro quolibet centenario; quam Ssmus memorat et vult vel erogandam esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynæ titulo remittendam, si nihilominus eorum conditione inspecta pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub altera forma *Ex honestis* quæ tamen in facultatibus concessis minime comprehenditur«.

Fere pauperes sunt ii qui præter victum ex industria desumendum possident bona citra montes in summa a 1620—5400 libellarum, ultra montes a 2835—9400 libellarum, quæ afferunt annuos reditus (4 %) 65—216, respective 113,40 – 376 libellas. — Notandum est rescriptum S. C. Conc. d. 20. Martii 1880. ex quo in Sicilia juxta consuetudinem legitimam pauperes vocari possunt et ii qui usque ad 306 libellas redituum annuorum possident. — Ceteri pauperes vocari nequeunt. —

Cuique cogitanti occurrit quæstio, num Sedes Apostolica in definiendis taxis etc. æstimet tantum reditus ex capitali; ergo multi e. gr. officiales reipublicæ, militiæ, societatum, industriosi e. gr. in fabricis, braxatorïis etc., qui capitale quidem non possident, copiosos tamen capiunt annuos reditus, in petendis dispensationibus non tanguntur taxis, quamvis non raro facillime præstare possint. Æquitati congruit, ut et illi spectatis annuis reditibus solvant summam competentem.

44. *Quomodo ejusmodi census est instituendus?* Tribus quæstionibus rem absolvemus totam: 1. Quis; 2. quid; 3. unde.

Ad 1. *Quis de censu testatur?* Regulariter testatur de censu *Ordinarius* et quidem Ordinarius *domicilii.* Etenim supplicæ fori *externi* per manus Ordinariorum mitti solent ad S. Sedem et iterum ad Ordinarios mittuntur rescripta. — *Domicilii* Ordinarius optime nosse vel cognoscere posse præsumitur statum fortunæ Oratorum. Nihilominus apud nos Ordinarius rem per se nequit peragere ob extensionem diœcesium; unde attestationibus *parochorum* credere debet. Ideo ejusmodi materia parochorum scientiæ, prudentiæ, conscientiæ enixe commendari debet. —

Ad 2. *Quid in hoc censu æstimandum sit.* Optime aget parochus si consideret *annuos reditus puros utriusque partis.* Diximus »annuos reditus«; nam horum æstimatio respondere videtur plerumque justitiæ æquitatisque legibus. »Puros« adjecimus, nam omnia onera deduci possunt, velut æs alienum, vectigalia, administrationis expensæ etc. Ceterum summas quas supra enumeravimus, aptari licet ad numeros »centenarios« sive »rotundos«, ergo vere pauperes adhuc sunt qui possident 3000 fr. sive libellas (= 1500 florenos hollandicos = 2400 marcas Germanicas). *Fere pauperes* adhuc sunt qui possident 10,000 fr. = lr. (5000 fl. holl. = 8000 ℳ); sic docent non solum AA., sed agunt Curiæ Episcopales magnæ auctoritatis, cfr. *Van de Burgt* c. l. pag. 41. n. 52., *von Scherer* c. l. §. 133. pag. 494.; *Archiv* vol. 70. pag. 425.; *Instructio Episcopi Hildesien.* d. 14. Martii 1886. — »*Utriusque partis*« reditus sunt æstimandi, nisi agitur de matrimoniis mixtis, ubi census catholicæ tantum partis locum habet.

Ad 3. *Unde capit scientiam Ordinarius?* Cl. *Gasparri* c. l. I. n. 318. affert examen *Urbani VIII.* (*Alexandri VII.*), quo per testes idoneos inquiritur in rem familiarem contrahentium. Ipse A. fatetur »formalia hæc testium interrogatoria in usu amplius saltem

ubique non esse«. Merito; etenim non absque difficultate erit invenire testes instructos scientia hac in re qui volunt et possunt testari. Deinde non paulum odii inest, saltem nostris temporibus huic legi quippe cum Oratores malunt parocho manifestare facultates suas vel earum defectum quando hac rationabili ex causa ac prudenti modo interrogat quam alium (alios) examinari super re familiari sua. Non aberramus quando contendimus parochum aliquantum versatum in æstimatione parochianorum suorum ejusmodi facile et scientia et confidentia pollere.*)

45. Quæ nunc exponuntur, ex ratione interna proprie pertinent ad articulum *De rescripto dispensationis.* Nihilominus ne eandem materiam bis tractare cogamur, hic omnia necessaria connectimus. Loquimur: A. De taxis in *Dataria Apostolica;* B. de taxis in *S. Pœnitentiaria* solvendis.

A. *De taxis in Dataria Apostolica.* 1) Cum Ordinarius testatus sit modo supra exposito de censu Oratorum et hic supergreditur censum *fere pauperum,* dispensatio datur in forma communi i. e. »census præsumitur Oratoribus afferre quattuor pro quolibet centenario et pro Componenda petitur quota horum redituum juxta *naturam impedimenti,* et *causas dispensationis,* diversa pro diversis nationibus, licet sæpe juxta circumstantias etiam minor oblata acceptetur«, *Gasparri:* c. l. I. n. 315. Idem A. testatur in Galliis offerri per Ordinarium summam certam quæ Dataria acceptat, id quod etiam in Germania observari novimus.

2) Quando Ordinarius testatus est Oratores esse *vere pauperes,* idem Ordinarius simul declaret Oratores talem vel talem summam

*) Parochus et scientia et experientia instructus rationem et viam suam nobis patefecit: Si agebatur de agricola, plerumque sciebat vel facile cognoscebat quanta jugera contineret possessio Oratoris. Quantitatem possessionis dimetiebatur qualitate terræ. Sic e. gr. in quadam regione jugerum certæ bonitatis („Tagwerk" dictum) valet 500 Marcas (= 625 Libellas Italicas). Quare si quis habet 20 jugera, hæc valent 10000 ℳ; sed fortasse æs alienum complectitur summam 6000 ℳ cum annuo fœnore 6240 ℳ; administratio bonorum e. gr. mercedes famuli vel famulæ etc., requirit 1000 ℳ, huc accedunt 200 ℳ tributorum. Ergo activa 10,000 ℳ, passiva 7440 ℳ, restat igitur summa 2560 ℳ de quibus 200 ℳ impendit ad solvendum æs alienum: unde res familiaris frugifera consistit in 2360 ℳ; pertinet ergo adhuc ad *vere pauperes.* — Similiter æstimationem peragebat in ceteris agricolis, in officialibus, in industriosis, e. gr. fabricarum, in operariis. Quando facultates non accurate sciebat, ex Oratoribus quærebat, quanta possent et vellent solvere, quæ ipse scientia vel propria vel aliena scientia interdum corrigebat.

offerre posse, quam Dataria deinde acceptat, *Manuale Sacerdotum* c. l. pag. 394. not. 2) *Fere pauperibus* conceditur juxta epistolam *Benedicti XIV.* d. 26. Sept. 1754. dispensatio cum taxa pauperum adjuncta *Componenda* scutatorum 4 pro quolibet Centenario.*)

B. *S. Pœnitentiaria* taxas proprias non novit, sed omnia rescripta *gratis* concedit. Attamen priusquam ea quæ ante a. 1798. exclusive ad Datariam Apostolicam spectabant, expediat, jura Datariæ respicit requirendo taxam, unde clausula in rescriptis quæ S. Pœnitentiaria pro foro *externo* expedit, sic se habet »solutis jam pro Apostolicæ Datariæ juribus libellis« e. gr. 20. — Quando supplicæ fori *externi* S. Pœnitentiariæ præsentantur,**) aut Oratores declarantur *pauperes et miserabiles* vel *fere pauperes* vel *pauperes ita ut ne obolum quidem solvere possint* aut certam summam offerunt. Quodsi *ne obolum quidem solvere* possunt, nihil requiritur nisi expensæ postales; si *pauperes et miserabiles* declarantur, scala taxarum hæc est: a) In I. gr. affinitatis ex cop. licita necnon quoties tangitur I^us^. gr. consanguinitatis et affinitatis ex copula licita = 32 libellæ quibus accedunt 5 l. pro Agente (et sic in sequentibus), b) in II. gr. utriusque cognationis = 26 lib.; c) quoties tangitur II^us^. gr. uti propinquior = 21 lib.; d) in III., III./IV. et IV. gr. = 16 lib.; e) in impedimentis cognationis *spiritualis, publicæ honestatis,* affinitatis ex copula illicita = 16 lib.; f) in multiplicitate impedimentorum requiritur sola taxa pro propriori, e. gr. quando Oratores consanguinei sunt in IV. et in II. gr., solvunt 26 lib.

Fere pauperibus præter taxam imponitur *Componenda* 10 libellarum. Si Oratores certam summam offerunt, hæc summa traditur tota in cassam Datariæ quando in supplica nihil adjungitur; econtra

---

*) Nostro tempore hæc distinctio inter vere pauperes et fere pauperes raro fiet practica; etenim plerumque offertur ab Oratoribus per Ordinarium certa summa. Quare operæ pretium non erit dissolvere litem inter *Uhrig: Eherecht* pag. 663. qui contendit citata in contextu scutata 4 pro quolibet Centenario intelligenda pro quolibet Centenario *rei familiaris,* et *von Scherer* c. l. §. 133. pag. 494. qui eadem de quolibet Centenario *taxæ* intelligit. Sed sententiam *Uhrig* præferimus; nam quando taxa 100 scutatorum (= 540 libellarum) verificabitur unquam in *fere pauperibus* (tacemus de *vere pauperibus*)!

**) Agentis Romani plerumque est supplicas dirigere aut ad S. Pœnitentiariam aut ad Datariam. Sed si adest canonica paupertas (includens etiam fere pauperes) consultius erit preces mittere ad S. Pœnitentiariam; nam dispensatio citius, nonnunquam quam citissime conceditur, non ita apud Datariam Apostolicam: cfr. *Man. Sacerdotum.* c. l. pag. 377. id quod nos ipsi experti sumus.

de summa 5 libellæ deducuntur pro Agente, quando scribitur »Oratores sunt pauperes et offerunt e. gr. 20 lib. *in totum.*«

Pro matrimoniis revalidandis, quæ ob impedimentum publicum nunc detectum invalida sunt, sed in facie Ecclesiæ bona fide contracta, S. Pœnitentiaria gratis omnino dispensat, sive Oratores sunt pauperes, sive non. — Si vero mala fide contraxerunt: cum pauperibus S. Pœnitentiaria dispensat, imponendo consuetam taxam ut supra, nisi ejus remissio partialis vel totalis impetretur; cum divitibus dispensat Dataria Apostolica, imponendo eandem taxam, quæ statuitur pro dispensationibus pro matrimonio nunc primum contrahendo. *Fori interni* dispensationes *omnes* gratis omnino dantur. Cfr. *Manuale Sacerdotum* II. pag. 395. necnon *Leitner* in *Archiv* vol. 70. pag. 427. —

§. 5. De variis circumstantiis libelli supplicis.

46. S. C. de Prop. Fid. concludit Instructionem d. 9. Maji 1877. hisce verbis: »*Variæ circumstantiæ,* scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an præmissis denunciationibus et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti«.

»*Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis exsecutionem sive ante sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si hæc reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicæ honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1. Augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineæ collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula ante matrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitæ copulæ, quemadmodum patet ex responso S. Pœnitentiariæ d. 30. Martii 1842, probante s. m. *Greg. XVI.*, ad Episco-

pum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis d. 10. Decembris 1874 edixit.

Hæc præ oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur«.

Explicatio: 1°. Inter circumstantias varias ea quoque respicienda est, ut Ordinarius vel Confessarius qui libellum supplicem instruit, testetur *vera esse exposita* et Oratores pro gratia *commendet.*

2°. Quod sub n. 7°. in secunda parte dicitur, jam tractavimus in tit. *De consang. et aff.* (IV. 14) n. 35. pag. 254—255.

3°. Remanet ergo ut aliquid exponatur circa manifestandam copulam. Jam in Instructione vidimus S. C. Inq. requisivisse manifestationem copulæ incestuosæ necnon pravi animi reddendi faciliorem dispensationem adhuc a. 1866.; S. Pœnitentiaria vero requisivit idem adhuc d. 20. Julii 1879; item S. Off. iterum d. 1. Febr. 1882.

At quod Episcopi Belgæ in Concilio *Vaticano* a. 1870. postulaverant, hoc fecit jus S. P. *Leo XIII.* pro sua sapientia decreto circulari S. Officii d. 25. Junii 1885. (cujus textum legere potes in extenso in A. S. S. vol. 18. pag. 207 sqq., in *Mon. Eccl.* IV. 1 pag. 125.; in *Archiv* vol. 54. pag. 462 sqq. etc.), ex quo solam partem decisivam hic apponimus: »Quidquid in eundem sensum (sc. pro manifestatione copulæ et intentionis) declaratum, statutum, aut stylo Curiæ inductum fuerit revocari, abrogari nulliusque roboris imposterum fore decernitur; 'dispensationes matrimoniales *posthac* concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio, per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint, validas futuras: contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus'.

Quæritur quid operetur hoc decretum?

Decretum d. 25. Jun. 1885. abolet *in posterum* necessitatem afferendi in supplica copulam incestuosam (i. e. inter consanguineos, affines, quasi-affines, spiritualiter et legaliter cognatos) vel intentionem ea patrata facilius impetrandi dispensationem; nihil amplius.

Itaque copula optimo jure adduci potest uti causa dispensationis, uti jam in *§. 3. De causis dispensationis* sub n. 8°. vidimus;

in hoc casu etiam intentio faciliorem reddendi dispensationem debet exprimi, etenim sine dubio copula ex fragilitate humana commissa multo potius meretur dispensationem quam copula ex malitia patrata.*)

Diximus »*in posterum*« et ipsum decretum loquitur de dispensationibus *posthac* concedendis. Ergo per se decretum citatum non retroagit. S. Pœnitentiaria d. 4. Dec. 1886. sua agendi ratione approbavit, cum Ordinariis Austriacis concederet facultatem revalidandi, resp. sanandi omnia matrimonia ob reticitam copulam ante d. 25. Jun. 1885. *invalide* contracta; item saltem indirecte S. C. Concilii d. 27. Martii 1886. in *Mazarien. (A. S. S.* vol. 19. pag. 20—31.) quæ declaravit: *Non constare de nullitate matrimonii in casu.* Quam nullitatem actor probare volebat ex nullitate dispensationis super aff. ex copula licita in I. gr. lin. coll. æq. (orator viduus ex sorore Oratricis) concessa a. 1867. Dispensationem autem nullam fuisse ex subreptione contendebat actor, cum copula incestuosa in supplica reticita fuisset. Notetur: Dispensatio concessa est a. 1867.; decretum S. C. Inq. emanavit d. 25. Jun. 1885. Ergo si huic decreto vis retroactiva inerat, tota quæstio de nullitate hujus matrimonii prorsus inutilis erat; etenim si revera matrimonium ob subreptionem nullum erat, decreto d. 25. Jun. 1885. sanabatur. Sed quid fecerunt Consultores et Defensor? Ad decretum citatum minime provocabant, sed in quæstione facti desudabant et adlaborabant ut exsistentiam copulæ illius incestuosæ aut negarent aut saltem in dubium vocarent. — Ex hisce apparebat vim retroactivam decreti d. 25. Jun. 1885. prorsus esse negandam.

At *A. S. S.* vol. 26. pag. 510. publicarunt decretum S. Officii d. 18. Martii 1891. attentione nostra dignissimum. En textus: »Dispensationes matrimoniales super quovis impedimento, sive *agatur de matrimoniis invalide contractis,* sive de contrahendis, esse validas, etiamsi copula, vel consilium et intentio per eam facilius gratiam impetrandi, reticita fuerint«.

Verba quidem clara sunt et neque de matrimoniis ob aliam rationem invalide contractis neque de matrimoniis a d. 25. Jun. 1885. usque ad d. 18. M. 1891. initis quæ jam vi decreti a. 1885.

---

*) De facto vidimus rescripta Datariæ multa, in quibus exprimitur „Oratores *humana fragilitate devictos* se carnaliter cognovisse".

invalida non sunt, intelligi possunt, sed dolendum est quod *A. S. S.* decreti hujus adjuncta non publicarunt.*)

Tandem in supplici libello notetur *quam exactissime* ad quem et quo (cum officio postali) mittendum sit rescriptum.

46 a. Restat ut pauca dicamus de instruendo libello supplici pro foro *interno,* quem confessarius *directe* ad S. Pœnitentiariam mittere potest et quando timetur periculum sigillo confessionis, etiam debet.

1) Veris nominibus suppressis ponantur *ficta,* e. gr. Titius, Caja. — 2) *Impedimenta* exponantur in essentialibus accurate, sed breviter; similiter 3) *causæ* clare et distincte et succincte. — 4) Taxæ non solvuntur, ergo nec offerenda est pecunia. — 5) *Testimonium Ordinarii* non requiritur, sed requiritur descriptio accurata *quo* et *ad quem* mittendum sit rescriptum.

NB. Sicut confessarius pro hac supplica Ordinarium non tenetur adire, sic nec ministerio Agentis in Urbe uti. Econtra non raro S. Pœnitentiaria admonere coacta est, ne casus conscientiæ per manus laicorum tractentur. En monitum S. Pœnitentiariæ:

»Quamvis praxis et prudentia doceant casus occultos ad forum conscientiæ pertinentes, Sacræ Pœnitentiariæ, litteris obsignatis ad Em̃. D. Card. Pœnitentiarium Majorem missis, ac nominibus reticitis, esse proponendos, tamen aliquis, sive ex confessariis, sive ex animarum pastoribus, ab hujusmodi praxi declinans, casus ipsos literis apertis ac per procuratores etiam laicos non solum exponere, sed et iisdem procuratoribus illos narrare, ad hoc, ut super ipsis supplices conficiant libellos sacræ Pœnitentiariæ exhibendos, interdum non abhorret. Quod quidem, quantum dedeceat, et quantum præseferat scandali nemo est qui non videt. Quare sacra Pœnitentiaria, hanc omnino reprobandam agendi rationem e medio tollere cupiens, omnes et singulos confessarios et animarum pastores graviter monet, ut a prædicto recurrendi modo prorsus abstineant. Ceterum, si opera alicujus procuratoris in alma Urbe uti velint, literas obsignatas prælaudato Cardinali Pœnitentiario Majori tra-

*) Citant quidem hoc decretum etiam *Lehmkuhl* in sua *Theol. mor.*, ed. 9., 1898, II. n. 808. pag. 580. et *v. Scherer* c. l. §. 133. pag. 471., sed ex A. S. S. Et hæc A. S. S. apocryphum videntur attulisse decretum; etenim Rvdmus G. *Jasquemin* mihi scripsit d. 27. Febr. 1899.: „Decretum a. 1885. non recepit vim retroactivam alio fortasse decreto. Cardinalis quidam hoc appetebat, at non est assecutus. Hæc audivi expresse interrogans in S. Officio. Idem optime probat *constans* S. Pœnitentiariæ praxis."

dendas, suppressis nominibus, ad ipsum procuratorem transmittere quidem poterunt, ast memoratos casus sacræ Pœnitentiariæ proponendos numquam et nullimodo narrare seu manifestare audeant«.

De exsecutione Litterarum Apostolicarum circa dispensationem.

47. Supplex libellus in tribunalibus Romanis aut rejicitur aut acceptatur aut super materia de qua in precibus nova informatio petitur. Rejicitur e. gr. quando petitur dispensatio super affinitate in linea recta ex copula licita; informatio nova petitur quando vel impedimentum non distincte est expressum vel causæ censentur insufficientes. Nos loquimur hic tantum de 3°. casu, sc. quando supplica acceptatur; etenim paulo post expediuntur Literæ Apostolicæ dispensationis, de quibus nobis sermo.

48. Quamvis Romanus Pontifex possit dispensationes connubiales concedere in forma *gratiosa,* idest quamvis possit per se ipsum dispensationem concedere, tamen usus ordinarius invaluit, ut potius in singulis casibus tribueret alteri facultatem ad dispensationem concedendam. Quare in praxi ordinaria tum Datariæ Apostolicæ tum Sacræ Pœnitentiariæ in dispensationibus pro utroque foro observatur forma *commissoria,* idest conceditur mandatum ad dispensandum.

Porro Concilium Tridentinum Sess. 22. *De ref.* c. 5. decernit ut 'Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur *ordinariis illorum* qui eas impetraverint'.

Huic normæ adhærens S. Sedes literas dispensationis exsequendas committit *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci* ex decreto S. Officii d. 20. Febr. 1888. De quo decreto jam supra egimus, quando sermo erat de potestate Ordinariorum. Pauca sunt adjungenda:

1) Quando *primus* gradus consanguinitatis lineæ collateralis inæqualis tangitur, rescriptum Pontificium non committitur Ordinario, sed *Episcopo;**) sicut et libelli supplices super hoc impedimento manu propria Episcoporum sunt exarandi, Dataria Ap. d. 19. Junii 1895.

*) In rescripto quodam Datariæ d. 31. Jan. 1898. verba *Oratorum Ordinario* vidimus cancellata, in quorum loco erat scriptum „*Episcopo N.*“ (diœcesis nomen).

2) S. Pœnitentiariæ exponebatur sequens casus: Nonnunquam in supplicibus libellis Oratrix *dicebatur* esse ejusdem diœcesis cujus Orator, cum diversæ ratione et originis et domicilii esset. Si in rescriptis sive Datariæ sive Pœnitentiariæ commissio fit *Oratorum* Ordinario, estne hæc commissio et exinde data dispensatio et valida et licita? S. Pœnitentiaria ad præmissa d. 6. Febr. 1895. respondit: »*Ad utrumque affirmative, sed si error animadversus fuerit, corrigendus est*«.

49. Ordinarius nequit exsequi commissionem, neque licite neque valide, »*antequam exemplar Literarum Apostolicarum originale exhibitum ei fuerit*«, S. C. Conc. d. 12. Jan. 1606. et S. Pœnitentiaria d. 15. Jan. 1894. —

Hæc dispositio valet etsi persona in Urbe, e. gr. Agens vel Expeditor Apostolicus (Spedizionere Apostolico) concessionem gratiæ certissime sciens certiorem de ea facit Ordinarium sive per literas sive per telegraphum, nisi hoc faciat auctoritate ipsius Sedis Apostolicæ. En responsum S. Officii hac super re:

Episcopus Italus sequens Dubium proposuit: »Utrum valida sit dispensatio matrimonialis ab Ordinario exsecutioni mandata post habitam notitiam per telegraphum et antequam pervenerit authenticum documentum gratiæ concessæ«. S. C. S. Officii, d. 14. Aug. 1892 respondit: »*Negative,* nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis.« Sanctissimus approbavit.*)

Constat S. Sedem vetuisse per Secretariam Status supplicem libellum mittere ad Congregationes et Secretarias Romanas et admonuisse Ordinarios ut idem mandarent, cfr. Lit. circulares Cardinalis *Rampolla,* d. 10. Dec. 1891. supra n. 14. pag. 369.

Cl. *Gasparri* c. l. I. n. 393. contendit »Imo in tali casu (sc. quando adest certus nuntius, sed non exemplar originale dispensationis) nulliter contrahentes indigent nova dispensatione a Sede Apostolica obtinenda (n. 359.), ut declaravit quoque S. C. C. 12. Jan. 1606«.

At cum pace tanti Auctoris contrariam amplectimur sententiam; etenim 1) debet probare circumstantiam contracti matrimonii annullare rescriptum; 2) S. Pœnitentiaria expresse declaravit d. 15. Jan. 1894 ad II^{um}.: In hoc casu »opus esse *nova* dispensationum *exsecutione*«, minime vero impetratione.

*) De facto aliquando jussus est Editor h. l. munere Agentis in Urbe fungens certiorem facere Ordinarium *Lincien.* de concessa aliqua dispensatione super irregularitate.

S. C. Conc. in cit. responso a. 1606. adjungit: »Quodsi illud (sc. exemplar originale) forte perierit, alterum authenticum earundem (literarum) exemplar impetrandum erit«.

50. *Quæ observare debet Ordinarius cui commissa est exsecutio dispensationis fori externi?*

Distinguamus oportet dispensationes cum causis *honestis*, et cum causis *inhonestis*.

A. Quando adsunt causæ *honestæ*, debet: I. »de præmissis (vel expositis in dispensationis rescripto) se diligenter *informare«;* II. »Apostolica Auctoritate *dispensare* ut supra (sc. ut Oratores matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini, contrahere, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant), prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando«; III. observare quam exactissime *clausulas* ac *monita*. De singulis aliquid.

Ad I. Ordinarius debet se diligenter informare de præmissis. Præmissa autem sunt: 1. Nomina et cognomina Oratorum, eorumque diœcesis nomen necnon religio; 2. impedimentum vel impedimenta in infima specie; 3. causæ (causa) dispensationis.

1) Errores in exprimendis nominibus Oratorum vel Diœcesis possunt esse accidentales ita ut nullum dubium inde exsurgere possit. Tales verificantur in hisce casibus: a) Quando nomen simplex habetur pro *diminutivo*, e. gr. Anna pro Annetta; b) quando pro *duplici* nomine quod gerit Oratorum alteruter, ponitur unus, e. gr. pro Joanne Georgio solum nomen Joannes vel Georgius; c) quando in rescripto (non in supplica) nomen quod bis exprimitur (id quod in rescriptis nostri temporis raro accidit), semel recte, secunda vice erronee exprimitur; d) quando in rescriptis Oratorum alteruter non cognomine, sed patris vel matris nomine baptismali exprimitur, e. gr. Franciscus Antonii, vel Maria Susannæ quæ nomina parentum ex arbore consanguinitatis sunt transsumpta; e) quando errores in literis vel etiam syllabis non permittunt dubium, id quod ex adjunctis quoque dijudicari debet, e. gr. pro Antonio legitur Autonio vel Anthonio vel Antunio vel Antorio, pro archidiœcesi Neapolitana legitur Næpolitana. Difficilius in *cognominibus* error accidentalis accidet; cfr. *Giovine: De disp. matr.* tom. II. Cons. 27. §. I. n. 6.

Quodsi errores in his sunt *substantiales* ita ut neque de nomine neque de corpore constet, sanatio absolute necessaria est. Quando

denique errores in nominibus sunt quidem graviores ita tamen ut constet de corpore, in theoria DD. disputant, e. gr. si pro cognomine Oratoris ponitur parochia ad quam pertinet (uti accidit in rescripto quodam d. 5. Maji 1898). Quare in praxi enixe commendatur, ut impetretur a S. Pœnitentiaria »specialis facultas convalidandi literas dispensatorias super impedimentis matrimonialibus quæ nullæ fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium in matrimoniis tam contrahendis quam etiam in facie Ecclesiæ jam contractis«. *Man. Sac.* II. pag. 386 in nota. — Rescripta vel scriptam vel impressam habere solent clausulam »qui Orthodoxæ fidei cultores vere exsistunt et sub obedientia S. R. E. vivunt vivereque et mori intendunt«. Quare si error versaretur circa *religionem* alterutrius qui revera est hæreticus vel infidelis, rescriptum esset nullum; etenim supponit utrumque orthodoxæ fidei, deinde notetur totam rem spectare ad S. Officium.

51. 2) Ordinarius se informare debet, an impedimentum in rescripto expressum revera adsit vel si plura sunt, revera adsint; et an præter expressum vel expressa non adsit aliud vel alia, e. gr. præter affinitatem ex cop. *licita cognatio spiritualis**) vel præter aff. ex cop. *illicita* publica honestas. Nullum igitur esset rescriptum, si *impedimentum* unum pro alio poneretur, v. gr. affinitas pro consanguinitate; — si in eodem impedimento gradus remotior poneretur pro propiore, e. gr. III^{us}. pro II^{o}.; vel etiam propior pro remotiore, e. gr. II^{us}. pro III^{o}. juxta dicta in n. 2. hujus Appendicis, pag. 356. Id quod apparet etiam ex eo quod S. Pœnitentiaria in gradibus mixtis dispensat super utroque: et propiore et remotiore, contra sententiam quorundam e. gr. *Lehmkuhl* II. n. 809. qui talem dispensationem probabiliter valere æstimat.

In gradibus enim mixtis rescriptum esset nullum, quando *S. Pœnitentiaria* non dispensaret nisi super uno, sive propiore, sive remotiore; etenim solet dispensare super utroque. Item in gradibus mixtis rescriptum esset nullum, quando *Dataria* dispensaret super II^{o}., III^{o}., IV^{o}. reticito tamen I^{o}. gradu qui tangitur. *Van de Burgt* c. l. pag. 79—80; *Manuale Sacerdotum* II. pag. 390. Reticito autem propiore qui non est *primus*, dispensatio valet, sed

*) Anno 1898. pro una Diœcesi tria specialia debebant impetrari rescripta „*Perinde valere*“, quibus sanabantur priora impetrata super aff. l. gr. lin. coll. ex cop. licita, quia bona fide reticita erat cognatio spiritualis.

in foro externo necesse est ut impetrentur literæ declaratoriæ super gradu propiore. Hoc fit juxta Const. *Sanctissimus* d. 26. Aug. 1566. *S. Pii V.*, ut vitetur scandalum in populo qui ignorans jus canonicum gradum propiorem credit obligantem; cfr. *Archiv*, vol. 70. pag. 427.

52. 3) Ordinarius inprimis informare se debet, *an veræ sint causæ expositæ in rescripto.* 1°. Diximus »causæ expositæ in rescripto«; etenim nihil obest valori rescripti quando causæ adductæ in supplica non omnes afferantur in rescripto. Unde nihil refert utrum hæ causæ omissæ veræ sint necne. 2°. At si in rescripto legitur »*ex certis rationabilibus causis,* in causam inquirendum non est, quamvis in rescripto legatur alia clausula: De præmissis te diligenter informes, quæ tunc refertur tantum ad alia quæ in parte narrativa rescripti reperiuntur«, sic *Gasparri:* c. l. I. n. 367. Attamen etiam in causam vel in causas, saltem quando certæ causæ expositæ sunt in supplica, inquirendum esse ex hisce forsitan pateat. In Datariæ rescripto dispensationis super II. gradu consanguinitatis tangente *primum,* quod oculis nostris modo subjacet, legitur post verba impressa »ex certis peculiaribus rationabilibus causis animos eorum moventibus« scriptum: *et Sanctitati Vestræ expositis*«.*) In eodem dein rescripto post verba impressa »si vera sint exposita« adnotatur scriptum »*super quo ejus* (Episcopi) *conscientia graviter onerata remaneat*«. At conscientia Episcopi graviter onerari vix potest nisi super veritate causarum; etenim super veritate impedimenti non oneratur, cum impedimentum ejusmodi causaverit tantam cautelam.

Constat causas dividi in *motivas* sive *finales* et *impulsivas.* Si in actu dispensationis non verificatur causa motiva, dispensatio est nulla. At difficillimum est in singulis casibus cognoscere, quæ causa finalis sit, quæ impulsiva. Si una causa adducitur, hæc certe finalis est, nonnunquam plures simul causæ constituunt *motivum;* nonnunquam una vel plures *movent,* ceteræ tantum *impellunt.* In priore hypothesi sc. quando singulæ unitis viribus constituunt motivum, si una ex allegatis causis deficiat, dispensatio non valet, nam quando uti singulæ non valent causæ, attenditur

*) Idem legitur in rescripto d. 30. Nov. 1898. et in alio d. 23. Maji 1898. inveniuntur verba impressa: „ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus".

complexus, qui ex pluribus resultat, juxta principium juris 'Singula quæ non prosunt, simul collecta juvant'. Atqui quando agitur de aliquo composito si unum ex elementis deficiat, totum non subsistit. Ergo a pari in casu nostro non verificatur motivum sufficiens dispensationis. Ita *de Justis: De dispens.* L. 3. c. 1. n. 64.

2ª. hypothesis est si ex allegatis causis saltem una sit canonica et sufficiens, ac insuper veritate nitatur, error autem cadat super reliquas causas. In hac hypothesi dispensatio sustinetur, quia verificatur causa motiva ad dispensandum. Unde propositio copulativa (ut notat *Sanchez)* referens varias causas resolvitur in propositionem disjunctivam, et sic dispensatio valet.

Sufficiens censetur causa quæ movere solet S. Sedem ad dispensandam in tali vel tali impedimento. Unde si causa copulæ cum diffamatione vera est, licet e. gr. adducta angustia loci vel incompetentia dotis non verificetur, rescriptum super omnibus impedimentis, excepta fortasse consanguinitate II^{i}. gr. tangentis I^{um}. validum censendum est. — Exposita sententia confirmatur praxi Datariæ Apostolicæ. Etenim Dataria in rescriptis quibusdam nominat unam causam (cujus tenor jam impressus invenitur in formulari) licet aliæ quoque causæ expositæ erant in supplici libello.

In quodam libello e. gr. allatæ erant causæ sequentes: Copula carnalis, oratricis ætas superadulta ($25^1/_2$ annorum), loci angustia (18 foci). — In rescripto Datariæ d. 25. Jan. 1899. autem impressa invenitur sola hæc causa: (»Oratores humana fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt.) Cum autem Pater Sancte gravia ex hoc orta sint scandala, et si matrimonium inter dictos Oratores minime contrahatur, non solum dicta Oratrix graviter diffamata et innupta remaneret, gravioraque exinde ultra jam orta orirentur scandala, verum etiam alia mala forent pertimescenda: cupiunt« etc. Et sic ipsi legimus solam hanc causam eamque impressam (aliis quoque in supplica adductis): angustiam loci (rescr. d. 17. Dec. 1898.) et ætatem superadultam (rescr. d. 20. Sept. 1898).

Quodsi ante fulminationem detegitur causam motivam non verificari, cum omnibus facti circumstantiis rescriptum remittatur ad illam Secretariam Romanam quæ idem dedit. Dein notari solet in tergo »Dicta circumstantia minime obstante valet rescriptum« vel literæ »Perinde valere« conceduntur.

De copula incestuosa curare non est necessarium juxta decretum d. 25. Junii 1885.

53. Quæritur: *Quandonam exposita vera esse debeant?*

Respondemus: Momento fulminationis, quo gratia revera hic conceditur.

Conferantur dicta in tit. *De rescriptis* (l. 3) n. 20. pag. 33. — Supponimus hic semper *bonam fidem* in exponendis precibus; etenim si mala fide impetratur rescriptum, hoc corruat necesse est; nam mendax precator carere debet impetratis; cfr. cit. tit. *De rescriptis* (l. 3) n. 11. pag. 29. Ergo si bona fide adducitur causa motiva quæ objective non exsistit e. gr. deficientia dotis vel diffamatio mulieris, deinde autem i. e. tempore fulminationis de facto verificatur, rescriptum est validum, ergo et dispensatio. Præstat afferre verba *Pyrrhi Corradi,* qui in materia disputationum vere est magister. Hic in cit. opere *'Praxis dispens.'* L. 7. c. 6. n. 25. alludens ad regulam practicam ita scribit: 'Et sufficit, ut alias diximus, causam ipsam verificari tempore exsecutionis literarum, licet tempore impetrationis illarum non esset vera.'

Et ita practicatur: nam quamvis *Abbas* in c. 6. *De consang. et aff.* (IV. 14) dicat causam debere verificari tempore datæ, loquitur tamen de dispensatione jam facta, prout antiquitus fiebat, cum hujusmodi dispensationes concederentur in forma gratiosa, et sic erat gratia facta, non autem his temporibus, quibus non dantur amplius sub dicta forma, sed datur tantummodo mandatum de dispensando. At non est necessarium ut exsistat causa *eo momento quo a superiore alicui datur exsequendi facultas.* Etenim Superior facultatem dat ex nunc pro tunc vel hypothetice. A fortiori non est necessarium, ut causa exsistat post fulminatam dispensationem matrimonio nondum vel jam inito; nam fulminata dispensatione gratia facta est.

54. Quæritur: *Quomodo se informare debeat Ordinarius.*

Ad valorem rescripti non requiritur hæc informatio; etenim clausula »Si per informationem eandem preces veritate niti repereris«, sublata est. Unde in urgenti aliquo casu quando adest certitudo moralis exsistentiæ causæ, potest Episcopus et valide et licite fulminare rescriptum. S. Pœnitentiaria responsa in hac materia scitu dignissima dedit d. 27. Apr. 1886. Cum quæreretur II. Utrum sufficiat ponere duos actus seu decreta, scilicet primum actum seu decretum, quo parochus seu alius delegentur ad verificationem causarum: secundum actum seu decretum, quo sponsis sive per exsecutorem, sive per alium impertiatur absolutio, et

imponatur pœnitentia, scandalum reparandum injungatur, dispensatio concedatur, et prolis legitimatio; et quidem ita, ut dispensatio et legitimatio concessa intelligatur sub conditione, quod sponsi prius absolutionem obtinuerint, et reparaverint scandalum. S. Pœnitentiaria respondit ad II^{um}.: »*Sufficere, ita tamen ut dispensatio, et legitimatio prolis ab ipso tantum exsecutore effici possit*«. Unde patet Ordinarium sive per se sive per parochum sive per aliam personam ecclesiasticam capere posse informationem.

Qua in informatione non requiritur ut sit solemnis et canonica, sed sufficit summaria et extrajudicialis præsertim »pro casu quo Ordinarius de causis dispensationis exactam, et per juratos testes habitam informationem ceperit, antequam preces, pro obtinenda dispensatione S. Sedi porrexerit«, S. Pœnitentiaria, d. 27. Apr. 1886. ad III^{um}.

55. Capta informatione de veritate expositorum Ordinarius II. *exsequatur rescriptum dispensationis prolem suscipiendam nuntiando legitimam.*

Hic actus exclusive Ordinario reservatur, S. Pœn. d. 27. Apr. 1886. ad II^{um}., nisi in rescripto contineatur *expresse* contrarium. Ordinarius autem omnia peragere potest etiam *extra territorium* nisi quæ sapiunt jurisdictionem contentiosam, e. gr. citare et interrogare testes de veritate expositorum.

Exsecutionis actus fiat *in scriptis*, ut perpetua exstet rei memoria. Attamen hæc circumstantia non afficit valorem; etenim necessitas scribendi fulminationem neque in specialibus rescriptis neque in generalibus regulis imponitur, licet hic modus maxime commendetur. In finali Exsecutoris decreto omnes actus continentur: a) factum impetrationis literarum Apostolicarum; b) examen super veritate expositorum, cum mandato hujus examinis quando delegabatur; c) actus dispensationis proprius cum legitimatione prolis suscipiendæ. — Dispensatio fieri debet *Auctoritate Apostolica.* Utrum hoc »Auctoritate Apostolica« exprimi in instrumento vel insinuatione fulminationis debeat *de valore* necne, controvertitur teste *Gasparri:* c. l. I. n. 397; at nobis arridet sententia quæ ad valorem requirit expressam mentionem hujus Auctoritatis. Etenim in ipso formulari dispensationis legitur: »Et committatur Oratorum Ordinario qui .... Auctoritate Apostolica dispenset ut supra« etc. Dispensare cum aliquo autem non est actus mere internus, sed externus quandoquidem ille quocum dispensatur, acceptare debet

dispensationem. Dispensare ergo Auctoritate Apostolica nihil aliud significat nisi sic dispensare, ut Auctoritas quæ dedit potestatem, etiam cognosci possit externe.

In causis honestis non est Exsecutoris officium, ut antequam fulminet dispensationem, Oratores absolvat »a quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, si quibus quomodolibet innodati sint«; quia hoc perficitur jam concessione rescripti Romæ facta.

56. Usque modo locuti sumus de duobus actibus quos Ordinarius (Exsecutor) Auctoritate Apostolica ponere debet respectu dispensationis cum causis *honestis* commissæ, nunc considerandæ sunt conditiones, sub quibus idem Exsecutor illos actus et præsertim fulminationem præstare potest. Diximus supra: *III. Ordinarius debet observare clausulas et monita (obligationes).*

In rescriptis *Datariæ Apostolicæ* super impedimentis cum causis *honestis una* invenitur clausula, sc. »dummodo dicta Oratrix propter hoc rapta non fuerit«, de qua locuti sumus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 165. pag. 65.; — *unum* invenitur monitum, sc. »vetito (Ordinario) omnino ne aliquid muneris aut præmii exigere, aut oblatum recipere præsumpserit« et una nota quæ stylum Curiæ respicit: »Et cum decreto quod sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio et extra illud, regula quacunque contraria non obstante«. Nova enim formularia Datariæ exhibent extensam supplicationem, quam concludunt in fine verba: *Concessum ut petitur vigore facultatum.*

Animadversio ergo hæc significat: Etsi Bulla vel Breve non expediatur, sola signatura ipsius supplicationis sit loco solemnioris formæ Bullæ vel Brevis. —

De vetito autem fusius loquendum est. Ante d. 28. Aug. 1885. vetitum sic inserebatur: »Discretioni tuæ . . . . per præsentes committimus et mandamus, quatenus, deposita per te omni spe cujuscumque muneris aut præmii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debes, monemus . . . de præmissis te diligenter informes . . . volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi aliquod muneris aut præmii occasione dispensationis prædictæ exigere aut oblatum recipere præsumpseris, excommunicationem latæ sententiæ incurras.« Hæc excommunicatio etiam post Const. *Apostolicæ Sedis* valebat quia toties quoties expresse imponebatur in rescripto, sed reformatâ clausulâ censura abolita est. Item decreto S. C. Inq. d. 28. Aug. 1885. sublata sunt ex

rescriptis sequentia verba: »Volumus quod si tu aliquid muneris vel præmii exigere aut oblatum recipere præsumpseris, absolutio aut dispensatio *nullius sit roboris aut momenti*« et exinde inseritur »Vetito omnino« etc. ut supra. —

Quæritur: *An possit subsistere consuetudo contraria hac in parte?*

Mense Augusto anni 1870 Episcopus *Granatensis* S. Congregationi Concilii exponebat, in *Hispania* consuetudinem invaluisse ut Officiales seu Vicarii Generales in exsequendis Literis Apostolicis dispensationis quædam munera vel stipendia non solum *accipere*, sed etiam *exigere* solerent. S. C. quæstionem in proposita materia expendit d. 22. Junii 1871, sed eam resolvere noluit.

Verum anno 1880 vertente, Episcopus *Mindoniensis* eamdem excitavit quæstionem sequentia dubia proponens.

1°. 'Potestne *Episcopus* aliquid muneris exigere in dispensationibus matrimonialibus eidem directe a Sacra Pœnitentiaria commissis, *ratione informationum cæterorumque actuum exsecutioni earumdem præcedentium?*

2°. 'Potest aliquid ob eamdem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus *Cancellarius*, vel *secretarius* Episcopalis?

3°. 'Potest *Vicarius Generalis* munera percipere in unaquaque Diœcesi consueta, eo quod careat salario eidem ratione sui officii assignato, quin pœnas canonicas in Brevibus dispensationum eidem commissarum contentas incurrat, et quin ipsæ dispensationes annullentur?'

4°. 'Possunt aliquid ob eamdem rationem muneris exigere in prædictis dispensationibus *Notarii* Curiæ Ecclesiasticæ juxta consuetudinem in unaquaque Diœcesi stabilitam?'

Sacra Congregatio, postquam ex informationibus requisitis consuetudinem in themate de taxis exigendis esse *universalem* et *immemorialem* deprehendisset, licet non in omnibus Curiis Vicarius Generalis de prædictis taxis participet, d. 28. Jan. 1882, ut propositis quæstionibus satisfaceret, sibi resolvenda duo dubia proposuit videlicet

1^m^ *'An et quomodo tolerari possit consuetudo in casu?'*
Et quatenus negative
2^m^ *An et quomodo consulendum in casu?'*
Responsio prodiit:
Ad 1^um^. *quoad exsecutores negative in omnibus.'*

'Ad 2um. *consulendum Sanctissimo pro sanatione in radice dispensationum et matrimoniorum, quæ nullitatis vitio laborant, et pro absolutione ad cautelam, et condonatione quoad exsecutores.*'

Unde concludi licet: 1°. Consuetudo etiam immemorialis, ut *exsecutores* dispensationum a S. Pœnitentiaria in foro externo, a fortiori interno commissarum percipiant vel exigant hac occasione aliquid muneris, non sustinetur. Unde Notarius seu Cancellarius moderatam taxam pro suo labore et opere in actis conficiendis exigere potest; nam Notarius non est exsecutor. Item non prohibetur quominus exigatur aliquid non pro exsecutione, sed pro instruendis precibus ad impetrandam dispensationem (sc. pro »informationibus captis ad preces efformandas et testimonio super ipsarum veritate ad dispensationem obtinendam) S. C. C. d. 16. Maji 1885 (apud *Gasparri* l. c. n. 400).

2°. Tunc temporis (i. e. a. 1882.) necessaria erat ob rationes jam expositas: sanatio in radice dispensationum ac matrimoniorum, et absolutio a censuris, posterior *ad cautelam*, quoniam bona fides excusare videbatur; hi duo actus nunc non jam sunt necessarii; at condonatio etiam nunc esset impertienda. —

57. In rescriptis *S. Pœnitentiariæ* causam *honestam* concernentibus præter aliquas mutationes in accidentalibus, unde e. gr. pro clausula »vetito omnino« etc. ponitur »misericorditer et gratis«, legitur una clausula »dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit«; ratio hujus clausulæ *generalis* habetur in Const. *Innocentii XII.* d. 4. Jun. 1692. »*Ut occurratur*«, de qua in tit. *De off. jud. Ordinarii* (I. 31) n. 56. pag. 305., *specialis* consistit in eo quod S. Pœnitentiaria necessitate quadam cogente negotia Ap. Datariæ propria tractare cœpit.

58. B. *De rescriptis super dispensationibus in quibus afferuntur causæ inhonestæ.*

Quando allatæ sunt causæ inhonestæ, Ordinarius in rescriptis sive Datariæ sive Pœnitentiariæ exsequendis sequentia observare debet: I. »de præmissis se diligenter informare«; II. Oratores »a censuris et pœnis si quas forte incurrerint, absolvere imposita pœnitentia«; III. dijudicare utrum concessio dispensationis expediat; IV. »prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernendo«; V. in his omnibus observare et clausulas et monita.

De numero I. jam locuti sumus supra in n. 50.

Rescripta quoad II. hæc continere solent: »Et committatur Oratorum Ordinario, quatenus Oratores præfatos . . . ab incestus reatu, aliisque censuris et pœnis ecclesiasticis et temporalibus tam a jure quam ab homine contra similia perpetrantes promulgatis, si quas forte incurrerint, in utroque foro, imposita eis propter incestum hunc pœnitentia salutari, Auctoritate Apostolica hac vice tantum sive per se, sive per alium absolvat«.

Uberior explicatio: 1. Hæc absolutio a censuris cujus tenor sic definitus est a S. C. Inq. d. 21. Sept. 1888., non confundatur cum absolutione a censuris etc. quæ mere ex stylo Curiæ procedit, de qua supra locuti sumus quæque invenitur in omnibus S. Sedis rescriptis ob tuendum valorem eorundem rescriptorum; cfr. tit. *De rescriptis* (I. 3) n. 6.

59. 2. Hæc absolutio *semper* est impertienda quando in supplici libello afferebatur incestus, ab actibus imperfectis usque ad incestuosum concubinatum, etiam specie matrimonii civilis quasi honestatum, sive incestus crimen sit *reservatum* sive non et sive reservatio locum habeat *cum* vel *sine* censura, deinde sive Oratores incestum confessi in foro conscientiæ sint absoluti sive non. Constat jure communi nullam exsistere censuram latæ sententiæ contra incestum nullamque aliam reservationem. Attamen quando ab Ordinariis imposita est huic crimini sive reservatio sive censura et S. Sedes porrecto dispensationis libello apposuit manum, indecens saltem est Superiorem secundarium casum tractare.

Quæritur: *Prætermissa hac absolutione dispensatio eritne valida?* In omni casu valida esse videtur. Etenim si neque censura neque reservatio adest, mere ad cautelam impertitur. Si reservatio, non censura imposita est ejusmodi crimini, dispensatio non annullatur. Tandem si etiam censura non solum imposita est, sed etiam contracta, absolutio ab ipsa S. Pœnitentiaria vel Dataria ex requisito Styli data præcavet valori dispensationis. Ceterum verba »quas forte incurrerint« insinuant, hic non agi de clausula irritante, sed de monito. Hæc nostra sententia fulcitur responso S. Pœnitentiariæ d. 2. Jul. 1881. »*Absolutionem a censuris laudabiliter præmitti in casu de quo agitur* (sc. quando Ordinarius prævidet nullam censuram adesse). Attamen si Exsecutor-Ordinarius dispensationem sic fulminat, ut dispensatio non valeat nisi absolutione a parocho subdelegato data, et hic absolutionem prætermisit,

talis dispensatio valde dubia redditur, quia intentio dispensandi potest dependere ab impertita absolutione. —

60. 3. Legitur »*in utroque foro*«. Circa hoc duo sunt notanda: a) Non tribuitur facultas absolvendi quando »contra dictos Exponentes (= Oratores) causa super præmissis (sc. incestu) in judicium quoquomodo deducta fuerit«, nisi »*parito judicato*« (sic legitur tantum in rescriptis Datariæ quæ in forma Brevis expediuntur), saltem quando hæc clausula inserta habetur; nam alias judicio Ordinarii relinquitur, an expediat. — Ex hac clausula tenetur Exsecutor in absolutione impertienda supersedere usque dum Oratores paruerint sententiæ in judicio prolatæ. *Gasparri* c. l. n. 370. postulat ut Ordinarius supersedeat »*sub pœna nullitatis*«. At nullibi hæc nullitas statuitur, imo in plerisque rescriptis nunc dari consuetis omittitur hæc clausula quæ ex tenore rescripti non respicit dispensationem, sed absolutionem a censuris. —

b) Si legitur »in utroque foro«, hæc verba non ita intelligenda sunt, ut requiratur *duplex* absolutio separatim impertienda, una sc. in foro externo, altera in foro interno: sed ita, ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quæ valeat etiam pro interno, S. Pœnitentiaria d. 27. Apr. 1886. ad IV^{um}.

4. Hæc facultas absolvendi etiam subdelegari potest; unde dicitur »sive per se, sive per alium«, sed delegatus et subdelegatus dare absolutionem debent Auctoritate Apostolica. Absolutio hæc quattuor modis dari potest: vel per Exsecutorem (dupliciter) vel per subdelegatum.

I. Exsecutor habito nuntio vera esse exposita instrumentum conficit, in quo Oratores antequam dispensationem concessam exprimat, prius a se absolvi et absolutos esse declarat ab incestus reatu etc. imposita salutari pœnitentia. — II. Exsecutor habito nuntio etc. ut supra, mittit e. gr. parocho dispensationem jam fulminatam quæ tamen non prius valeat quam peracta a parocho absolutione. — III. Ordinarius mandat parocho, ut se informet utrum vera sint exposita necne; dein ut si vera sunt, absolvat Oratores ab incestus reatu etc. qua absolutione etc. peracta certiorem faciat Ordinarium qui postea fulminat dispensationem. —

Tandem permittitur etiam IV. modus. Ordinarius quidam, — hic casus proponebatur S. Pœnitentiariæ, — instrumentum dispensationis vi rescripti Apostolici fulminatæ mittit parocho, ei præcipiens ne illas contrahentibus manifestaret, nisi vera essent ex-

posita. (Informationes in supplici libello instruendo jam præmissæ erant). S. Pœnitentiaria rescripsit: »Inquisitio quæ præcipitur in Apostolicis Literis matrimonii, ex narratis, quod substantiam, fieri videtur«, apud *Feije: De dispensationibus matrimonialibus,* n. 738.

61. 5. Absolutioni conjungitur impositio pœnitentiæ, quæ impositio præcipitur non ut conditio sine qua non, sed ut mandatum. Pœnitentia præscripta non semper iisdem verbis exprimitur: modo loquuntur rescripta de pœnitentia *salutari* (quam clausulam nunc rescripta et S. Pœnitentiariæ et Datariæ continent *impressam),* modo de *gravi,* modo de *longa* sive *diuturna.*

Egregie has pœnitentias explicat *Van de Burgt* c. l. pag. 67. n. 79. necnon ipsa S. Pœnitentiaria hisce verbis: »In præfinienda pœnitentiæ qualitate, gravitate, duratione etc. quæ dispensantis aut delegati arbitrio juri conformi remittuntur, neque severitatis, neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, ætatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum quibus pœna irrogari injungitur. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria d. 8. Aprilis 1890«. ad Episcopum *Nicoteren.* Ceterum *perpetua* pœnitentia non imponatur nisi præscribitur expresse; cfr. *Giovine: De disp. matr.* vol. II. §. 108. n. 3. et prima qualitas pœnitentiæ semper erit, ut sit *salutaris.*

62. III. Formularia continent obligationem Exsecutoris *dijudicandi an dispensatio spectatis omnibus expediat.* En textus rescripti Datariæ: »Demum si illi (Ordinario) expediens videbitur quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, neque scandalum sit ex ea oriturum super quo ejus conscientia onerata remaneat«. Status enim quæstionis a tempore missæ supplicæ usque ad tempus fulminationis facile mutari potest ita ut dispensatio, prius opportuna, nunc sit importuna vel informationes in principio captæ jam incertæ sunt. Unde sequitur, ut ille qui inquirit in veritatem expositorum testetur etiam de opportunitate dispensationis.

63. IV. Cum dispensatione intime connexa est *legitimatio prolis.* »Prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernendi« facultas tribuitur exclusive Ordinario, S. Pœn. d. 27. Apr. 1886. Legitimatio prolis suscipiendæ nihil aliud est quam expressa declaratio effectus dispensationis, arguitur ex dictis in tit. *Qui filii sint legitimi* (IV. 17) n. 1. pag. 282. Verum legitimatio prolis jam susceptæ neque per dispensationem neque per matrimonium subsequens perficitur, agitur enim de filiis spuriis, hic *incestuosis,*

non de naturalibus l. c. n. 8. Quare requiritur actus proprius legitimationis. — Non semper cum dispensatione conceditur etiam legitimatio prolis susceptæ; ego enim vidi rescriptum a. 1898. super impedimento criminis datum in quo inserta est. »Prolem susceptam, *non tamen in adulterio susceptam* et suscipiendam legitimam decernendo«. Adulterina enim proles difficillime legitimatur.

64. Demum V. *de clausulis et monitis in hisce rescriptis.* Legitur clausula hæc »*remoto quatenus adsit scandalo, præsertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri potest*«. Quid sibi vult hæc obligatio? S. Sedes a severioribus formis spectatis temporibus ad mitiora condescendit ita ut juxta declarationem S. Pœnitentiariæ citata clausula importet hæc:

»Separationem præferri aliis modis reparationis scandali; si hæc fieri nequeat, scandalum esse reparandum, sed modum scandali reparandi remitti prudenti arbitrio et conscientiæ Ordinarii, juxta cujusque casus exigentias. Casu quo omissa sit separatio et scandalum alio modo reparatum, acquiescat; secus, si aliquo in casu scandali reparationem omiserit, sileat, et in posterum cautius se gerat. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, d. 12. Apr. 1889«. Remotio scandalorum ejusmodi conjungatur mandato quo parochus etc. jubetur inquirere an vera sint exposita, ita ut in casu prospero parochus possit Ordinarium certiorem reddere et de veritate expositorum et de remoto scandalo et de absolutione impertita cum pœnitentia salutari, quo nuntio accepto Ordinarius dispensationem una cum prolis legitimatione exsequi potest.

Altera clausula commemoratur, licet in novissimis dispensationibus equidem reperire non potuerim, sc.: »Erogata ab eis aliqua eleemosyna arbitrio Ordinarii juxta eorum vires taxanda et applicanda«. Quæ clausula certe non est irritans, S. Pœn. d. 11. Nov. 1890. ad I^{um}.; »rem prudenti judicio et conscientiæ Ordinarii remitti«, c. l. ad II^{um}. — Ceteræ clausulæ et monita in rescriptis cum causis *inhonestis* conveniunt clausulis in rescriptis cum causis *honestis*.

Extraordinariæ circumstantiæ causant clausulas extraordinarias, quæ juxta rescripti tenorem diligenter sunt observandæ. Sic in Brevi a Dataria Apostolica super impedimentis affinitatis ex copula *illicita* I. gr. lin. coll. æq. necnon publicæ ex sponsalibus honestatis d. 18. Jul. 1898. concesso legi hanc clausulam in qua nullitas expresse declarabatur: »Committatur Ordinario ut . . . . postquam G.

(sc. Orator) omnem occasionem recidivæ conversationis cum Annæ (sc. Oratricis) sorore germana omnino abstulerit injunctoque Eis sub gravissimis pœnis ne in eadem domo habitent et si mandato hujusmodi non paruerint, præsentes (literæ) Eis quoad *forum conscientiæ* nullatenus suffragentur« etc.; dispenset etc. (Dictus G. cum sorore germana Oratricis et sponsalia inierat et copulam habuerat).*)

Tandem notari debet decretum S. Officii d. 28. Aug. 1885. circa clausulas tollendas vel mutandas de quo jam partem unam et alteram consideravimus. En textus: 'In Litt. Apostolicis quibus a Dataria Apostolica conceduntur dispensationes matrimoniales:

1. *Omittantur* abhinc sequentes clausulæ: a) »Si veniam a te petierit humiliter«. b) »Recepto prius ab eo juramento, quod non sub spe facilius habendi dispensationem hujusmodi incestum vel adulterium hujusmodi commiserint, quodque talia numquam deinceps committant neque committentibus præstabunt auxilium vel favorem.« c) »Peractis ab iis duabus sacramentalibus confessionibus«. Prætermissis nn. 2. ubi de præmio exigendo etc., 3. ubi de separatione, 4. ubi de veritate expositorum quæ jam tractavimus. 5. Pro verbis: «Absolvas sive per te, sive per alium in forma Ecclesiæ consueta,« *dicatur:* »Hac vice tantum per te sive per alium absolvas«.'

Hæc sunt quæ observari debent in *exsecutione* Litterarum Apostolicarum pro dispensationibus matrimonialibus fori *externi*. Parochi erit id accurate adimplere quod ei in rescripto exsecu-

*) Verba citata quæ in Brevi scripta (non impressa) inveniuntur, continent bis vocabulum „Eis": „injunctoque *Eis* sub gravissimis pœnis ne in eadem domo habitent et si mandato hujusmodi non paruerint, præsentes *Eis* quoad forum conscientiæ nullatenus suffragentur." Nihilominus hoc idem vocabulum non easdem significare videtur personas. In secundo loco exprimit Oratorem et *Oratricem;* nam præsentes (sc. literæ) suffragari non possunt nisi Oratoribus: at in primo loco significare videtur Oratorem et Oratricis *sororem;* etenim separationi Oratorum provident jam clausula antecedens apponi solita „remoto scandalo præsertim per separationem . . . *si fieri potest*" neque intelligitur ratio tam severæ prohibitionis cohabitationis inter Oratores, cum rigor prohibitæ cohabitationis inter Oratorem et Oratricis *sororem* facile intelligatur: cfr. *Sanchez*, l. 8. disp. 24. n. 8. — Apponitur clausula de nullitate rescripti in foro *conscientiæ* tantum, ne Oratrix, pars innocens, occulta conversatione ceterorum detrimenti patiatur.

tionis ab Ordinario misso injunctum erit, ergo præcipue insinuatio dispensationis factæ, quam Oratores reverenter acceptare debent.*)

65. *De exsequendis Literis Apostolicis pro foro interno concessis.* »Litteræ dispensationis diriguntur interdum Ordinario, regulariter tamen proprio Oratorum parocho sive Confessario ex approbatis ab Ordinario per Oratorem specialiter eligendo; hinc penes Oratorem est, quem ipsi libuerit, eligere, et si confessarius primum electus nequeat, aut nolit litteras exsequi, potest pro earundem exsecutione alium adire ex approbatis in Diœcesi. Hoc per totum orbem servari, testatur *Pyrrhus Corradus.* Confessarius narrata in literis dispensationis exacte inspiciat et rite examinet, ut deinde in actu sacramentalis confessionis cum Oratore interrogatorium rite instituere et pro rerum eventu dispensationem rite possit exsecutioni mandare«, sic *Manuale Sacerdotum* II. pag. 402.

Confessarius hic agit partes Exsecutoris sive delegati sive subdelegati. Quare id inprimis attendere debet ut revera et expresse *dispenset* id quod facere potest vel juxta Rituale propriæ diœcesis vel verbis propriis quæ tamen omnia saltem essentialia contineant. Deinde attendat ceteris obligationibus et clausulis quæ in rescripto inveniuntur. Et quia regulariter de affinitate ex copula illicita res tractanda est, notet quinque quæ peragere tenetur: 1. *inquirere* an vera sint exposita (impedimentum (a), causa (æ), circumstantiæ); 2. *absolvere* ab incestus reatu, pœnis, censuris, quod congrue fit formula »Dominus noster Jesus Christus te absolvat et ego auctoritate Ipsius et Apostolica te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti ac pœnæ in quantum possum et tu indiges«, cui absolutioni præmittere debet confessarius 3. *impositionem pœnitentiæ* pro incestu vel fornicatione vel alio crimine vel jam a S. Pœnitentiaria statutam vel salutarem a confessario præter pœnitentiam sacramentalem imponendam. Post actum sacramentalis absolutionis sequitur 4. *dispensationis exsecutio* vel *actus* his vel similibus verbis: »Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter concessa dispenso tecum super impedimento e. gr. affinitatis I. gr. lin. coll. æq. ex copula illicita quam habuisti cum sorore germana mulieris quam in matrimonium ducere intendis, ut præ-

*) Qui de *Procuratoribus*, *Expeditoribus*, *Agentibus* in Urbe scientiam acquirere desiderat, conferat dispositionem S. C. C. d. 11. Nov. 1877. de quibus in *Mon. Eccl.* X. 2. pag. 245.

fato impedimento non obstante matrimonium cum eadem muliere in facie Ecclesiæ contrahere atque in eo licite et libere remanere valeas. Prolem (fortasse) susceptam et suscipiendam eadem Auctoritate legitimam nuntio. In nomine Patris etc.«*) Legitimationi igitur in 5°. loco attendendum est.

Inter clausulas ac monita hæc sunt ordinaria:

1°. *Si ita est,* quæ clausula convenit cum alia »*Si vera sunt exposita*« quam supra explicavimus. —

2°. *Audita prius ejus sacramentali Confessione,* quæ clausula importat gravem quidem, sed non cum nullitate obligationem, si non observetur aut non rite observetur, e. gr. sacrilega confessione.

3°. *Sublata Oratori occasione amplius peccandi cum sorore Oratricis.* Hanc clausulam supra vidimus jam sub n. 64. in dispensationibus fori *externi,* et illa id studet ut impedimentum (aff. ex copula illicita) non amplius renovetur in causa. Confessarius obligationem imponet aut tollendi prorsus occasionem aut saltem quando prius fieri nequit, mutandi proximam in remotam.

Quando copula locum habuit inter Oratorem et matrem Oratricis hoc invenitur præscriptum: »remota ex parte Oratoris occasione amplius peccandi cum matre Oratricis, cavendo tamen ne hujusmodi delictum ipsi Oratrici forsan ignoranti detegatur . . . . (post aliqua interjecta) et dummodo nativitas mulieris præcesserit copulam ab Oratore habitam cum ejus matre«. Qua clausula intenditur ut omnino removeatur periculum matrimonii patris cum propria filia. Quodsi nativitas mulieris *non* præcesserit ejusmodi copulam, Oratori non permittetur matrimonium nisi demonstret impossibilitatem ejusmodi ortus Oratricis.

4°. *Injuncta ei pœnitentia* etc. v. gr. *obligatio confitendi* etc. Jam supra exposuimus qualitatem pœnitentiæ imponendæ, et quando confitendi obligatio imponitur, hoc non fit sub nullitate, *S. Pœnitentiaria* d. 2. Martii 1887.

Injunctis de jure injungendis significat obligationem pœnitentem tractandi in ceteris juxta juris præscriptionem, e. gr. quoad restitutionem forsitan peragendam, absolutionem a censuris forte impertiendam etc.

5°. *Dummodo impedimentum sit occultum,* alias necessaria esset dispensatio postulanda pro foro externo; etenim »pro foro

*) Hæc dispensationis formula etiam *vernacula* lingua pronuntiari licet.

conscientiæ et in sacramentali confessione tantum«, potest dispensare confessarius »ita quod hujusmodi gratia pro foro externo nullatenus suffragetur«.

Quando impedimentum sit occultum, quando publicum, jam supra exposuimus in n. 17. hujus App.

6°. *Aliudque canonicum non obstet impedimentum.* Etenim vidimus rescriptum ideoque dispensationem esse nullam ob vitium subreptionis, cfr. dicta in n. 35—37. hujus App.

7°. »*Nullisque super his testibus adhibitis aut literis datis, sed præsentibus, post earum exsecutionem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, per te laceratis, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentes literæ suffragentur*«.

Hæc verba continent quattuor observanda: 1. Testes nullo modo adhibeantur, sed confitenti omnino credendum est; 2. literæ fulminationis neque tradantur neque scribantur; 3. literæ S. Pœnitentiariæ per confessarium lacerentur quam primum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nemini reservatæ; 4. literæ latori [quicunque sit, sed intelligitur hic Orator,] ne restituantur sub pœna nullitatis earundem. Quodsi *Manuale Sacerdotum* II. pag. 409. permittit »Possunt tamen prius literæ describi ac copiæ ejusmodi asservari«, hoc intelligendum est *demptis omnibus circumstantiis specialibus* quæ delictum etc. revelare possint.

De *ceteris* rescriptis, uti S. C. Inquisitionis, non est, cur diutius moremur, cum eadem fere sint observanda, quæ in ceteris. Optima regula est: servare quam exactissime tenorem rescripti.

De matrimonii revalidatione.

66. Postquam tractavimus quæstionem quomodo simpliciter contraheretur matrimonium, remanet quæstio, quomodo validum efficiatur matrimonium quod quidem exsistebat, tamen solum specie tenus sive sine valore. Claritati consulentes tria sunt distinguenda: 1. utrum invaliditas matrimonii proveniat ex defectu *consensus* an ex defectu *habilitatis personarum;* 2. utrum invaliditas sit *publica* an *occulta* et utrum innotescat *utrique* an *alterutri tantum* parti; 3. utrum *forma substantialis* sit observata necne. — Hisce præmissis loquimur de revalidatione matrimonii I. *publice;* II. *occulte* invalidi. Quid sibi velit *publice* et *occulte,* videri potest supra n. 16. pag. 370.

67. Ad I. Quando invaliditas est publica, in locis ubi obligat c. »Tametsi«, *in publica forma* revalidandum est matrimonium, nisi vel conceditur sanatio matrimonii in radice de qua infra redibit sermo, vel datur dispensatio super forma substantiali, uti hoc fieri potest vi decreti d. 20. Febr. 1888. In ceteris locis forma publica necessaria esse poterit ad liceitatem.

Vitium autem quo nullitas inducebatur, amoveri debet ab iis, quibus amovendi competit facultas: ergo si agitur de defectu *consensus*, ab utroque vel alterutro contrahente; si vero de defectu *habilitatis*, dispensatio necessaria ab illo data cui inest dispensandi potestas, ergo ordinarie a S. Sede, nonnunquam ab Ordinario vel etiam parocho — uti supra vidimus nn. 5 sqq. —

68. Ad II. Quando invaliditas matrimonii est occulta et forma Tridentina, ubi obligabat, fuit observata in contrahendo ejusmodi matrimonio nullo, *forma Tridentina* non est iterum necessario observanda neque in publico, neque secrete.

Quare 1°. si ob defectum *consensus* sit matrimonium invalidum, consensus secrete est *renovandus*, quando in utraque parte deficiebat vel saltem utraque pars de defectu sciebat, ab utraque parte et quidem vel per verba vel per signa, ergo etiam copula maritali affectu posita, cfr. tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 77. pag. 25.: at quando defectus consensus est ex parte unius, alteri prorsus incognitus, ab illa parte in qua deficiebat, supplendus est consensus alterius consensu perdurante; cfr. tit. cit. (IV. 1) n. 150. pag. 58. Utrum autem consensus renovatio ab una parte peracta sufficiat omnino ad matrimonii valorem, non est certum; cfr. mox inferius dicenda.

2°. Sin nullitas matrimonii occulta provenit ex impedimento *inhabilitatis* personarum, auctoritas externa providere debet amovendæ ejusmodi inhabilitati per dispensationem. Quæ inhabilitas provenit ex impedimento dirimente super quo aut omnino non aut invalide fuit dispensatum. Ut igitur invaliditas tollatur, dispensatio impetranda est a S. Pœnitentiaria*) — nisi petatur sanatio

*) *Occulta* impedimenta super quibus possit dispensare Pœnitentiarius Major, non solum sunt impedimenta *affinitatis* ex copula *illicita* Const. *Benedicti XIV.* „Pastor bonus“ §. 43., et *criminis*, ibid. §. 44., et *publicæ honestatis* ex sponsalibus *occultis*. *Institutio 87. Ben. XIV.* n. 3., sed etiam impedimenta *consanguinitatis et affinitatis ex copula licita* in II. gr., si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint.

in radice — eodem pæne modo quo impetratur rescriptum ad matrimonium prima vice contrahendum circumstantia tamen matrimonii contracti, licet invalide, semper patefactâ. Similiter rescriptum concessum fulminandum est servatis accurate clausulis et obligationibus, ut supra.

Quomodo renovandus est consensus post fulminatam dispensationem? Quando uterque »conjux« sciebat nullitatem et vult revalidationem, consensus dari potest vel verbis vel signis modo supra indicato. — Quando vero unus tantum scit nullitatem et alteri nequit patefacere hanc nullitatem absque periculo infamiæ vel scandali vel magni detrimenti, e. gr. desertionis, res satis difficilis est. S. Pœnitentiaria enim et rescriptis et indultis Episcopis concedi solitis inserit clausulam »*Dicta muliere (dicto viro) de nullitate prioris consensus certiorata (certiorato), sed ita caute ut latoris delictum nunquam detegatur.*« Unde patet: Pars innocens et inscia certiorari debet non de delicto, sed de nullitate consensus, attamen cautela adjuncta prospici quidem periculo diffamationis, non tamen aliorum malorum. Quare AA. desudabant in reperiendis modis patefaciendi nullitatem ita caute.*) Optimus modus ille est quem *Benedictus XIV.* exprimit hisce verbis: »Impedimenti conscius libere declaret, se haud rite Matrimonio consensisse, cum primum celebratum fuit; ideoque oportere ex consilio confessarii atque internæ tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quodsi alter conjux eandem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus juxta præscriptam normam elicitus intelligatur«, *Institutio 87.* non longe a fine.

Hæc consensus renovatio, utique tutissima, applicari non semper potest: timendum enim erit ne vir de nullitate matrimonii certior factus deserat et mulierem et prolem. Quare S. Pœnitentiaria

et uti conjuges legitimi reputati fuerint (§. 40. n. 8.). in tertio et quarto gradibus occultis (§. 40. n. 8.); in iisdem 3. et 4. gradibus *publicis* revalidare potest Pœn. Major matrimonia ex causa subreptionis vel obreptionis *occultæ* Literarum Apostolicarum nulliter contracta, præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat (§. 49. n. 9.), in impedimento cognationis spiritualis (n. 11. 21.); cfr. *Leitner* im *Archiv* f. k. K. R. a. 1893. pag. 421. *Van de Burgt:* l. c. pag. 9.

*) Cfr. *S. Alphonsus* in *Theol. mor.* tract. de matrim. nu. 1115. sqq. et *Heiner* im *Grundriss des kath. Eherechtes* (1895.) pag. 233—235.

ipsa a pristino rigore deflexit tribuens in quinquennalibus sub n. XI. Ordinariis facultatem: »Dispensandi super occulta affinitate ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: monito pœnitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus; sed ita caute ut ipsius pœnitentis delictum nunquam detegatur: *et quatenus hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas*«.

Inter sententias auctorum traditas invenitur etiam consilium, ut pars impedimenti conscia accedat ad copulam affectu maritali cum altera parte exercendam. Hæc facillima est, at dicine potest regula a probatis auctoribus tradita? Certo; nam et *S. Alphonsus* eam commendare videtur c. l. et *Benedictus XIV.* l. c. paulo inferius. Quare *in praxi* tuto eam sequi possumus. Difficilior est solutio in *theoria.*

69. Quæritur: *Matrimonium invalidum ex vitio uni parti incognito fitne validum sublato hoc vitio per solam consensus renovationem partis hoc vitium scientis?*

S. Alphonsus hanc quæstionem fuse tractavit in *Theol. mor.* tract. De matrimonio n. 1115. et ponit duas sententias *negativam* et *affirmativam.* Nobis vera videtur *negativa* sententia quæ igitur requirit consensus renovationem per utramque partem, nisi agatur de sanatione in radice matrimonii ob impedimentum ecclesiasticum nullius. Rationes exposuimus jam supra, sc. in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 101. pag. 160—161., ubi decisionem S. Officii in causa *Ratisbonensi* citavimus. — Quare S. Pœnitentiaria, si renovationem consensus absque certioratione partis impedimenti insciæ concedit, sanationem in radice concedere videtur.

De sanatione in radice.

70. Sanatio in radice nihil aliud est quam abrogatio legis irritantis matrimonium in casu speciali quoad matrimonium contractum, ita ut simul tollantur effectus, qui ex illa lege irritante secuti sunt. Videlicet Ecclesia hic et nunc dispensat super aliquod impedimentum dirimens matrimonium, et simul tollit effectus, qui ex illo impedimento secuti sunt.

71. In hoc autem sanatio in radice distinguitur ab aliis dispensationibus in forma communi concessis, ut nempe dispensationes

in forma communi a momento quo applicantur incipiant vires suas exercere, et per consequens respiciant *futurum*, sanatio autem in radice *retrotrahitur* ad momentum celebrati contractus matrimonii. Quamvis lex retro non respiciat, tamen potest legislator declarare et habere uti legitimos actus illos et effectus qui fuerunt illegitimi eo quod adversarentur legi irritanti.

72. Exemplum Doctores desumunt ex facto *Clementis V.*, qui recognovit uti legitimas collationes beneficiorum, quæ ex lege *Bonif. VIII.* fuerant illegitimæ et nullæ, simulque sanavit defectus illegitimæ possessionis præcedentis. Cf. Clem. 'Quoniam' '*De Immunitate*' (III. 17). Quapropter conceptus sanationis in radice in eo consistit ut Ecclesia dispensando ab impedimento dirimente recognoscat uti legitimum consensum conjugalem a contrahentibus nulliter exhibitum, ob impedimentum quod obstabat. Quare formula quæ adhiberi solet hæc est 'Ecclesia dispensando sanat in radice'.

73. Exempla sanationis in radice antiquis temporibus rarissima erant. Historia tamen refert a *Bonifacio VIII.* fuisse concessam sanationem in radice. Frequentiores autem cœperunt esse sanationes in radice sub fine sæculi elapsi et nostris temporibus, ob mutatas temporum circumstantias. Notandum est per sanationem in radice legitimos reddi actus ex matrimonio nulliter contracto derivantes, *qui tamen subsunt potestati Ecclesiæ.* Hinc Ecclesia sanare nequit effectus ab ea independentes quique descendunt essentialiter ex matrimonio nullo. Hinc si prætensi contrahentes mala fide matrimonium consummaverint, per sanationem in radice non censetur sublata *culpa.*

74. Requisita ut sanatio concedatur hæc sunt. 1°. Ut impedimentum sit *juris Ecclesiastici,* super quo Ecclesia possit et soleat dispensare. 2°. Ut unio inter virum et mulierem habeat *figuram matrimonii,* id est, requiritur ut revera contractum fuerit matrimonium licet nulliter ob impedimentum obstans. Nam sanatio in radice eo dirigitur ut consensum maritalem illegitime positum reddat legitimum. Si ergo desit consensus in forma matrimonii positus, deest radix circa quam sanatio facienda est. Quare unio concubinatus non potest in radice sanari. Cf. *Ben. XIV.* Quæst. Can. 174. *Pyrrhus* Corr., L. 8. c. 3. *De Disp. Mat.* n. 53., *Giovine, De Dispen.* Tom. 1. p. 3. consult. 23. §. 324. n. 8. 3°. Requiritur ut consensus primitus positus in forma matrimoniali *non*

fuerit *revocatus,* sed necesse est ut saltem virtualiter perseveret. Si enim consensus hic fuerit revocatus, licet inter virum et mulierem removeatur impedimentum obstans, tamen non potest consistere matrimonium ob defectum consensus. 4°. Requiritur causa gravis, immo juxta *Ben. XIV.* quando agitur de sanatione quoad forum externum requiritur *causa urgens.*

75. Concedi solet dispensatio seu sanatio in radice quando unus ex contrahentibus cognoscat impedimentum et velit consulere conscientiæ suæ ad vitandum statum peccati, prævidet autem alterum prætensum conjugem non esse renovaturum consensum si dispensatio obtineatur in forma communi ad revalidandum matrimonium.

Hinc ad evitanda scandala, et ad evitandam reparationem expostulatur sanatio in radice, qua consensus primitus positus et virtualiter adhuc perseverans legitimus ab ecclesia redditur. Hæc postulatio regulariter a Confessario proponitur S. Pœnitentiariæ.

76. Sanatio in radice licet plerumque expostuletur pro impedimentis *occultis,* et in remedium conscientiæ putatorum conjugum; tamen expostulari etiam potest pro impedimentis *publicis,* nec non quoties dispensatio concessa vel ejus exsecutio vitio aliquo substantiali laboraverit.

Et quidem hoc in casu potest expostulari sanatio in radice ex officio vel a Curia Episcopali, vel a Parocho proprio. Nec officit ignorantia putatorum conjugum. Nam Ecclesia auctoritate propria independenter a contrahentibus potest optime auferre impedimentum, quod obstat valori alicujus matrimonii.

77. Quando impedimentum obstans valori matrimonii est natura sua occultum, ita ut in foro externo nullimode probari possit, tunc conceditur sanatio in radice pro solo foro *interno;* quando autem impedimentum est de sui natura publicum vel vitium in dispensatione detegi possit, tunc sanatio conceditur pro utroque foro, et memoria in forma *authentica* concessionis facta, asservatur vel in Curia Episcopali Diœcesana, vel in actis propriæ Parœciæ ut difficultatibus quæ forte in futurum occurrere possint, solutio præbeatur.

78. Ad sanationem in radice quoad impedimentum publicum frequentiores casus petitionis et concessionis respiciunt sanationem matrimonii nulliter contracti ob impedimentum *clandestinitatis.* Videlicet sanatur in radice consensus conjugalis præstitus *in forma civili,* quando tamen causa gravis verificetur, et non possit obtineri

renovatio consensus antea præstiti ab altero conjuge coram Ecclesia, et interea prætensi conjuges maritale commercium inter sese exercuerunt.

79. Tandem sanatio in radice potest expostulari et obtineri etiam *demortuis* præsumptis conjugibus, vel defuncto tantum alterutro ex eis, ad *legitimationem prolis* ex illo putato matrimonio enatæ obtinendam. Idest ipsi filii poterunt expostulare ab auctoritate ecclesiastica sanationem in radice matrimonii quod parentes ipsorum contraxerant, ut obtineant effectus legitimitatis. Hæc vero sanatio conceditur tantum, quando filii ipsi geniti fuerint ex unione parentum suorum, quæ unio habebat coram hominibus figuram matrimonii.

Per se patet sanationem non ultra agere quam termini illius, ita ut matrimonium quod contrahebatur nullum ob impedimenta affinitatis ex cop. licita in lin. coll. II. gr. et cognationis spiritualis, nullum remaneat etsi sanatio in radice data sit super impedimento priore, excluso, e. gr. ex inadvertentia in precibus, altero. Nam talis sanatio tantum valet quantum sonat.*)

Appendix II.

ad Commentarium in Lib. IV. Decretalium.

De matrimonio civili relate ad jus Ecclesiæ matrimoniale.

1. Quid juris competat Potestati civili in matrimonia christianorum, videri potest in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 106. totumque jus possumus complecti verbis S. P. *Leonis XIII.* in Enc. *Arcanum:* »De rebus ipsis humanis quæ matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur, jure decernunt et cognoscunt qui reipublicæ præsunt«. — Item quid juris habeat respublica in matrimonia *non-baptizatorum,* exponit idem titulus n. 107. pag. 37. Quidquid ergo ultra Potestas civilis sibi adsciscit, contra jus fasque

*) *Historiam dispensationum* in theoria et praxi egregie describit Dr. jur. Maria Albertus *Stiegler* in *Archiv* f. k. K. R. a. 1897. pag. 3—42; 227—259; 529—551; 649—669; a. 1898. pag. 91—107; 645—667., quæ expositiones continent materiam scitu valde dignam in re *matrimoniali.*

sibi arrogat; etenim »omnibus exploratum esse debet, ait *Leo XIII.* in eadem Encyclica, si qua conjunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, jure civili introductum; jure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, exsistat«.

Hisce præmissis quærimus *quid sit matrimonium civile?* Matrimonium civile est *conjunctio maris et feminæ juxta leges reipublicæ tantum inita.* Cujus definitionis immediata sequela hæc est, ut tot sint matrimonia civilia quot legislationes singularum rerumpublicarum, quæ matrimonium civile induxerunt.

Quodsi matrimonium civile jure divino consideremus, dicendum est:

I. Matrimonium civile inter non-baptizatos *verum* potest esse *matrimonium* juxta sententiam vere probabilem quam exposuimus in tit. *De sponsalibus* (IV. 1) n. 107. pag. 37—40.

II. Si agatur de conjunctione christianorum matrimoniali, matrimonium civile, in quantum significat *consequentias matrimonii in genere civili versantes,* de jure consistere posset, sed quisque videt quam exorbitans et odiosum sit ipsum nomen matrimonii civilis. At Status fere omnes quæ matrimonium civile legislatione sanciebant, illud aut formaliter sive ex principio falso aut materialiter sive aliquibus saltem legibus contra sanctitatem, unitatem indissolubilitatemque etc., matrimonio ecclesiastico *opponebant.*

Hinc jure merito Principes Ecclesiæ supremi contra matrimonium civile protestari non cessabant: *Benedictus XIV.* in Brevi *Redditæ sunt* d. 17. Sept. 1746. ad Episcopos *Hollandiæ; Pius VI.* d. 28. Maji 1793., *Pius VII.* d. 17. Febr. 1806.; *Pius IX.* in Syllabo §. VIII. nn. 65—74; ubi multæ ejusdem Papæ Literæ citantur.

Tandem S. P. *Leo XIII.* doctrinam Ecclesiæ hac super re et ex professo et accidentaliter dilucide exponit. Juxta principia ab Eo defensa matrimonii civilis institutio Ecclesiæ est injuriosa, societati autem nociva, et sic dictum matrimonium nomine veri matrimonii nunquam decorandum est, sectæ autem præcipue massonicæ sunt quæ talem promovent conjunctionem.

2. *Divisio.* Dividitur matrimonium civile, ut aliud sit *obligatorium*, aliud *facultativum*. *Obligatorium* est quando respublica nullum in foro suo admittit et agnoscit matrimonium præter civile; observantia legis divinæ et ecclesiasticæ remittitur conscientiæ uniuscujusque; tale matrimonium civile habetur in *Gallia, Belgio, Hollandia, Helvetia* ab a. 1875., in *Germania* ab a. 1876. et in *Principatibus Danubio adjacentibus.* — *Facultativum* vocatur matrimonium civile, quando ad contrahentes pertinet electio utrum in facie Ecclesiæ an coram magistratu civili velint inire matrimonium. — His duobus generibus adjungitur matrimonium civile *subsidiarium* vel *necessitatis* quod subdividitur in *relativum* et *absolutum.* Prius habetur quando »dissidentes« i. e. homines absque ulla confessione religiosa contrahere volunt matrimonium; alterum concernit matrimonia inter *christianos et non-christianos*, e. gr. judæos, necnon inter *christianos* quibus ob impedimenta indispensabilia recusabatur matrimonium ecclesiasticum. —

Si comparamus hæc genera ad invicem, videmus *matrimonium civile relative subsidiarium* respectu dissidentium *non-baptizatorum* est legitimum, respectu dissidentium *baptizatorum* tolerari potest. *Matrimonio civili subsidiario absoluto* fovetur inobedientia contra Ecclesiam. *Matrimonium civile obligatorium* reprobandum quidem est ob principia supra allata, verum sensui fidelium magis nocet *matrimonium civile facultativum;* etenim hac commixtione et æquiparatione nutritur malum *indifferentismi*, licet in praxi malum minus forte videatur.

3. *Historia.* In *Hollandia* et *Frisia Occidentali* matrimonium civile introductum invenimus usque ab a. 1580.; in *Republica Batavorum* ab a. 1795. m. c. obligatorium. In *Anglia* m. c. præscriptum est a. 1653. et extensum ad *Scotiam* et *Hiberniam*, m. c. obligatorio successit a. 1836. m. c. *facultativum.* In Gallia m. c. *facultativum* a. 1685. Protestantibus imponebatur, sed d. 20. Sept. 1792. pro omnibus matrimonium civile evasit lex obligatoria. Dispositiones quæ clericis scitu sunt utiles, invenies apud *Gasparri II.* nn. 1211 sqq. — In *Italia* matrimonium civile exsistit ab a. 1866. Dispositiones legis introducentis insertæ sunt in *Monitore Ecclesiastico III.* 2 pag. 61, ubi legi quoque potest Instructio S. Pœnitentiariæ super hac materia. — *Austriæ* imponebatur m. c. *subsidiarium absolutum* d. 15. Maji 1868.; cfr. *Aichner* c. l. §. 157. ed. 7. pag. 548—553. — In *Helvetia* exsistit m. c. obligatorium a

d. 25. Maji 1875. — In *Germaniam* m. c. obligatorium non eodem tempore introductum est in singulis Statibus: in aliquot Statibus jam a. 1848., in *Borussia* d. 9. Martii 1874., tandem lege imperiali d. 6. Febr. 1875. pro toto Imperio incipiens a d. 1. Jan. 1876.

Die 1. Julii 1896. in Camera Deputatorum Imperii Germanici votatum est super introducendo Codice Civili Germanico, qui Codex continet in libro IV. — »Familienrecht« — sectionem primam cui titulus »Bürgerliche Ehe« = matrimonium civile. Hæc I^a. sectio in §§. 1297—1302. agit de præcipuis matrimonii capitibus. Quinque tituli tractant: 1. sponsalia; 2. contractum matrimonialem; 3. nullitatem et accusationem matrimonii; 4. novas nuptias in casu declarationis mortis; 5. effectus matrimonii generales.

De elaborando ac votando hoc Codice Civili Germanico bene meruit illa factio catholica cujus laus tempore persecutionis Ecclesiæ in Germania ab a. 1872. animos admiratione implevit, et quam »Centrum Germanicum« vocant. At quomodo potuit factio illa catholica cooperari Codici legislativo qui »matrimonium civile« in se complectitur, institutum juri divino et ecclesiastico prorsus contrarium? Nunquam potuit cooperari *directe*, sed *indirecte* potuit et hoc solum fecit. Postquam enim deputatus quidam nomine ceterorum collegarum protestatus est: »Centrum« catholicum nullam agnoscere Potestatem quæ possit leges ferre in re matrimoniali (seclusis videlicet consequentiis in genere civili versantibus) nisi Ecclesiam; quare si legibus Imperii quæ jus matrimoniale tractent, condendis operam suam præstent, hoc facere deputatos catholicos eo tantum fine ut graviora mala avertant, etenim Codex Civilis absque votis »Centri« evasisset lex imperialis, sed absque mutationibus in melius cooperatione »Centri« sperandis: ergo post ejusmodi protestationem deputati catholici ad deliberandum ac votandum condescendebant.*)

4. Quæritur, *utrum matrimonium civile possit esse inter christianos verum matrimonium?*

Huic quæstioni jam respondimus in tit. *De cland. desponsatione* (IV. 3) nn. 49. sqq. pag. 121—123.; solum integritatis causa hanc quæstionem posuimus, quare remittimus ad ibidem exposita.

*) Cfr. de hac materia *Archiv für kath. Kirchenrecht*, vol. 76. a. 1896. pag. 112—119. *(Heiner)* necnon vol. 77. a. 1897. pag. 283—339 et 499—528 necnon 681—717. (Dr. Carolus Augustus *Geiger*).

5. Quæritur *quomodo influat matrimonium civile in impedimenta ecclesiastica?*

I. Matrimonium civile per se non est impedimentum ecclesiasticum; nihilominus ex jure naturali exsurgit quoddam impedimentum matrimonium ecclesiasticum prohibens, ita ut 1°. in iis regionibus in quibus cæremonia civilis implenda est ante matrimonium ecclesiasticum, hæc lex civilis observanda sit ob damna sive contrahentibus sive parocho ex non-observantia provenientia.

2°. parochus nequeat permittere, ut persona cum altera sponsalia et matrimonium ineat quando ligamine civili juncta est tertiæ personæ, nisi coram republica dissolutum sit ejusmodi ligamen.

II. Nunc consideremus matrimonium civile relate ad quædam impedimenta ecclesiastica:

A. *Impedimentum prohibens sponsalium.* Matrimonium civile per se non est contractus sponsalitius, nisi hoc expresse a contrahentibus intendatur. Quodsi hoc accidit, m. c. per accidens habet effectus sponsalium. Quomodo matrimonium ecclesiasticum matrimonio civili interdum prohibeatur, immediate superius videndum est. —

Sponsalia valida matrimonio civili non dissolvuntur, at parti innocenti exoritur jus resiliendi a contractu sponsalitio.

B. *Impedimenta dirimentia:* 1°. *defectus consensus.* In matrimonio civili personæ catholicæ nihil aliud intendant oportet nisi ut adimpleant cæremoniam civilem. Sed si in locis ubi non obligat c. »Tametsi«, forma Concilii *Lateranensis IV.* nequeat observari, contrahentes uno actu et civilem cæremoniam implere et inire verum matrimonium intendere possunt. Quare quoties agatur de matrimonio civili in locis ubi non viget c. »Tametsi«, contracto, semper respici debet intentio contrahentium.

2°. *Ligamen.* Ex matrimonio civili provenire potest impedimentum *ligaminis* tunc quando et forma Tridentina non obligat et contrahentes intendebant inire de facto verum matrimonium.

3°. *Professio religiosa* et *Ordo sacer.* Clerici majores et professi solemniter attentantes matrimonium civile in locis ubi c. »Tametsi« sive obligat sive non obligat, percelluntur excommunicatione Episcopo reservata, cfr. tit. *Qui clerici* etc. (IV. 6) n. 11. pag. 204.

4°. *Affinitas* ex matrimonio civili consummato comparatur affinitati ex copula *illicita* in locis ubi obligat Tridentinum, juxta dicta in tit. *De cons. et aff.* (IV. 14) nn. 23—24. pag. 250.; affi-

nitati ex copula *licita* in ceteris locis, dummodo adsit verus consensus. —

5°. *Quasi-affinitas* vel *publica honestas* non provenit ex matrimonio civili, etsi consensus naturalis quidem, sed nullus ob clandestinitatem adsit, juxta decretum S. C. Concilii d. 13. Martii 1879. pag. 181.

6°. *Criminis* impedimentum facile verificari posse ostendimus in tit. *De eo qui duxit* (IV. 7) n. 3. pag. 208.

7°. *Clandestinitas.* Ubi c. »Tametsi« viget, matrimonium civile in extraordinariis circumstantiis, de quibus sermo erat in tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 47. pag. 120. et n. 99. pag. 156., per accidens verum matrimonium potest esse; alias neque matrimonium neque sponsalia efficit, quamvis personæ intendant verum inire matrimonium.

6. *Quomodo influat matrimonium civile in dispensationes ecclesiasticas?*

1°. Jam vidimus in Appendice præcedenti in n. 41. sub 13°. ab ipsa Instructione S. C. de Prop. Fid. commemorari *periculum matrimonii civilis;* a fortiori uti causa adduci potest matrimonium civile jam contractum, ubi notetur, utrum bona an mala fide sit contractum. Bona fide contrahitur, quando personæ soli legi civili absque animo matrimoniali satisfacere intendunt.

2°. Matrimonium civile quod personæ observabant intentione consensus maritalis, potest *sanari in radice* (uti vidimus supra), dummodo consensus ejusmodi perduret usque ad sanationem. —

7. In legislationibus civilibus — excepta Italica (cfr. epistolam S. P. *Leonis XIII.* ad Episcopatum *Venetum* d. 8. Febr. 1893) — præcipitur sub pœnis*) ut *forma civilis* præcedat matrimonio; id quod præcipue in mortis periculo importat onus nimis grave. Quare parochus antequam matrimonio assistat, curam gerat, ut certior fiat de impleta cæremonia civili. —

8. *Accusatio et dissolutio matrimonii civilis.* Maximas sane difficultates creat differentia legislationis divino-catholicæ a legislationibus civilibus in hoc capite. Etenim Ecclesia præ se fert principium indissolubilis matrimonii »quod Deus conjunxit«, cum

*) Lege Imperii Germani d. 6. Febr. 1875. statuitur in §. 67.: ut ministri religionis contravenientes puniantur mulcta usque ad 300 ℳ vel usque ad 3 menses carceris.

legislationes Statuum repræsentent »hominem separantem«. Unde tria accuratius exponenda sunt: divortium civile 1. respectu conjugum; 2. officialium civilium; 3. judicum.

Præmittimus gravissimum munus parochorum et omnium in cura animarum laborantium esse recte efformandi fidelium conscientias hac de re ita ut nullum aliud matrimonium agnoscant verum nisi matrimonium coram Ecclesia validum:*) unum, indissolubile, sanctum. Quodsi hanc ideam in animis fidelium et catechesi et prædicatione verbi Dei quasi defigant, quæstiones quas nunc tractaturi sumus, practice facilius dissolventur.

I. Quæritur: *Potestne conjux catholicus petere divortium civile?* Distinguo: quando matrimonium coram Ecclesia est jam dissolutum, e. gr. quia erat invalidum vel ratum tantum vel ob privilegium fidei, vel spes dissolvendi adest certa, nihil obstat quominus etiam catholicus petat divortium civile; — quoties autem matrimonium ecclesiasticum dissolutum iri nequit sperari, divortium civile peti non licet, sive petendum sit intentione novum ineundi matrimonium civile sive intentione assequendi aliquod bonum vel amovendi aliquod malum.

Celeberrimus est casus conscientiæ in Gallia circa divortium civile, qui totam illustrat quæstionem:

»Mulier, vi sententiæ separata a marito quoad torum, vellet ad vitam sustendandam quoddam publicum munus suscipere. Sed gubernium id non sinit nisi petat divortium. Ipsa petere vellet, sed, in sua intentione, semper salvo ligamine. Parochus qui est et illius Confessarius petit num admitti possit ad Sacramenta, et lumen seu consilium circa reliqua, ut infra. Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, Confessario oratori respondit: *Mulieri pœnitenti, in casu, nihil aliud esse consulendum, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat.* Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, d. 5. Jan. 1887. R. Card. *Monaco* P. M.« Similiter respondit S. Pœn. d. 14. Jan. 1891.: *Negative.* Mulier per Ordinarium quæsierat, utrum ipsi liceret divortium civile petere ad damna gravis-

*) In *Germania* legislationi super matr. civili insertus est titulus VIII. „Obligationes ecclesiasticæ". §. 1588. Die kirchlichen Verpflichtungen in Ansehung der Ehe werden durch die Vorschriften dieses Abschnittes nicht berührt. (Latine: Obligationes ecclesiasticæ respectu matrimonii non tanguntur legibus hujus sectionis, sc. De matrimonio civili).

sima avertenda declarans simul expresse doctrinam Ecclesiæ circa matrimonium et causas matrimoniales ad solos judices ecclesiasticos pertinere promittensque expresse se obtento divortio civili nunquam usuram ut novas attentaret nuptias. — In tertio casu alia mulier petebat divortium civile ut provideret educationi et temporali et religiosæ neptis suæ orphanæ. S. Pœnitentiaria interrogata respondit d. 3. Junii 1891.: »*Petitam licentiam concedi non posse*«. Analoga valent circa petitionem *separationis a thoro et mensa*. — Ex his patet illicite agere etiam *advocatum* qui nomine conjugis catholici procurat divortium in ejusmodi adjunctis.

Persona ligamine tantum civili ligata potest rescissionem hujus ligaminis petere, dummodo agatur de ligamine tantum civili; etenim per accidens cæremonia civilis potest verum matrimonium creare.

9. II. *Quid dicendum de officialibus**) *qui matrimonio civili ex officio assistunt?*

Profecto cum ipsi officiales repræsentent ipsum Legislatorem et tueantur facto suo legem, juxta quam unice validum est matrimonium civiliter contractum, et per consequens nonnulla matrimonia vera uti invalida habentur et viceversa; viderentur officiales a gravi culpa excusari non posse. Verum ob longanimitatem S. Sedis ad vitanda majora mala tolerat ut isti officiales assistentiam suam præstent civilibus matrimoniis: nam si passa est celebrari matrimonia civilia, eo ipso debet permittere ut officiales actui civili assisterent. Ut vero culpam evitent, officiales hujusmodi debent etiam ipsi considerare matrimonium civile ceu nudam cæremoniam civilem, non vero ceu verum et legitimum matrimonium, et nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia. Et hoc in sensu S. Pœnitentiaria respondit die 15. Decembris ann. 1865 Episcopis Provinciarum *Taurinensis, Vercellensis* et *Januensis*.

10. Quid vero si fideles non possint ob impedimentum contrahere matrimonium christianum in forma Tridentini, habiles vero sunt ad contrahendum matrimonium civile, vel ex mala animi dispositione, prævideantur matrimonium coram Ecclesia contracturos non fore? Poteritne officialis operam suam præstare in matrimonii civili celebratione?

*) Agitur de persona quæ vocatur Italice „sindaco“, Gallice „maire“, Germanice „Standesbeamter“.

Omittimus hypothesim publici scandali, quod ex assistentia officialis posset in populo derivare, quo in casu solutio quæstionis penderet a qualitate scandali, quod vitandum esset.

11. Restringimus hypothesim et cooperationem quam secluso etiam scandalo habere potest officialis in illicita celebratione contractus civilis, et in effectibus malis, qui inde sequuntur. *Hæc cooperatio per se mala est et reprehensibilis;* ex lege enim caritatis nemo potest facto suo concurrere in malum proximi sui.

Verum ex natura legis caritatis, quæ in genere non obligat cum gravi præjudicio proprio, malitia cooperationis potest attenuari, imo etiam tolli, si officiali præsto sint validæ rationes, ad assistentiam et operam suam exhibendam simulque pro parte sua studeat, evitare malum proximi sui. Gravis autem ratio ad præstandam adsistentiam esset *debitum officii sui,* et *periculum amittendi officium* ipsum, quoties renueret cæremoniæ matrimoniali adesse.

12. Satis autem officialis studebit evitare peccatum contrahentium si eosdem prudenter et *caute admoneat*, eorum matrimonium esse solum cæremoniam civilem, et nihil prorsus valere, coram Ecclesia, immo ab eadem interdici, ob impedimentum, quo ipsi contrahentes ligantur.

13. Porro circa onus admonendi contrahentes, animadvertunt, distinguendum esse inter impedimentum *notorium* quod facile cognosci et demonstrari possit, et *occultum* vel *dubium* impedimentum, quod illico non cognoscitur. Officialis enim civilis, non tenetur inquirere utrum contrahentes ligentur impedimento Ecclesiastico, sed solum pro ratione sui officii debet videre utrum verificetur habilitas civilis. Hinc non tenetur inquirere ex. gr. utrum contrahentes sint in tertio vel quarto gradu affinitatis.

Quare merito tradunt doctores, onus admonendi contrahentes urgere officiales solummodo in casu impedimenti notorii, quod facile dignosci et facile ipsis contrahentibus posset declarari, non autem in casu impedimenti occulti, quod specialem exposcit inquisitionem ut cognoscatur nec facile contrahentibus demonstrari potest.

Verba incipientia a »Profecto« usque ad »demonstrari potest« ipsius Auctoris sunt, quare habent et externum et internum quendam valorem; cl. *Gasparri* c. l. n. 1230. enim in his verbis videt sententiam ipsius S. Pœnitentiariæ.*)

*) En verba celebris *Gasparri:* „Quamquam Santi non citet S. Pœnitentiariam, tamen nonnulli suspicantur hanc doctrinam ex jurisprudentia ipsius

14. Verum quid dicendum de *syndico* qui assistere debet matrimonio civili personæ *civiliter* quidem *liberæ,* revera autem *matrimonio junctæ cum tertia persona?* Audiamus S. C. Inq. hac super quæstione. Nonnulli Galliarum Episcopi quæsierant inter alia hoc: »3°. Pronuntiato divortio, an possit syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem, civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?« Fer. V., d. 27. Maji 1886. S. C. Inq. respondit ad 3^um^: *Negative.* S. P. *Leo XIII.* responsum approbavit eodem die. *(Mon. Eccl.* IV. 3 pag. 174). Similiter jam antea S. Pœnitentiaria responderat d. 28. Nov. 1883. adjungens in fine:

»Quæcunque tandem sint casus circumstantiæ, syndicus non potest assistere, *etiamsi exinde deberet suum officium dimittere*«.

Responsa per se clara sunt; at quæritur *num assistentia syndici sit intrinsece mala?*

Neque S. Officium neque S. Pœnitentiaria hoc pronuntiarunt. Deinde in expositis casibus nulla mentio fiebat de gravissimo scandalo quod per rerum naturam timendum est, cum Auctor noster expresse præsciderit de publico scandalo (supra n. 10.) Quamobrem nos non credimus ejusmodi assistentiam esse *intrinsece* malam. Unde specialibus uniuscujusque casus adjunctis æstimatis consultissimum semper erit, ut confessarius adeat Ordinarium, Ordinarius autem S. Pœnitentiariam vel S. Officium. Intrinsece autem malum esset, si syndicus matrimonio huic civili propria assistentia præstare *vellet* valorem veri matrimonii.

15. III. Quæritur: *Possuntne judices pronuntiare divortium civile?* Distinguimus: *Possunt,* quando agitur de matrimonio civili personarum quæ coram Ecclesia vel non sunt matrimonio junctæ vel licet junctæ sint, in matrimonio tamen invalido vel dissolubili (i. e. rato tantum, ob privilegium fidei) vivunt; — *non possunt* in ceteris casibus supposita semper matrimonii christiani certa cognitione. Hoc »non possunt« jam ex dictis in n. 8. sub I. commendatur; etenim si conjux nequit petere divortium civile, judex

---

S. Pœnitentiariæ desumpsisse, cujus fuit per plures annos canonista, et tandem Regens per paucos menses ante mortem; secus enim homo eximiæ humilitatis et timiditatis hanc doctrinam in re adeo salebrosa ita incunctanter non dedisset.“

certe declarare nequit divortium civile. Sed præterea S. Sedes judices aliquoties expresse vetuit pronuntiare divortium.

Præcipua S. C. Inq. decisio data est d. 27. Maji 1886. (approbata et confirmata a S. P. *Leone XIII.* eodem die) hujus tenoris: A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt:

»In Epistola S. R. et U. I. d. 25. Junii 1885 ad omnes in *Gallica* Ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: »Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, to»lerari posse ut qui magistratus obtinent et advocati causas matri»moniales in Gallia agant quin officio cedere teneantur« conditiones adjecit, quarum secunda hæc est: »Dummodo ita animo com»parati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa »separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut »nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant »vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem«.

Quæritur: I. »An recta sit interpretatio per Gallias diffusa »ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni præcitatæ »judex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, »ab illo matrimonio vero et constanti omnino *abstrahit*, et appli»cans legem civilem pronunciat locum esse divortio, modo solos »effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente »intendat, eaque sola respiciant termini prolatæ sententiæ? Aliis »terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico «juri non repugnans?«

II. »Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an »possit syndicus (gallice: *le maire)* et ipse solos effectus civiles »solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divor»tium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?« S. C. Inq. rescribi mandavit: *Negative ad I^um, II^um et III^um dubium* (tertium dubium jam supra citavimus); cfr. *Mon. Eccl.* IV. 2 pag. 174, V. 1 pag. 265 et VI. 2 pag. 99. Unde sequitur: Judex in sententia »locum esse divortio civili« proferenda nequit abstrahere a vero matrimonio christiano neque respicere solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere terminis qui et ipsi nihil amplius exprimunt. Quid ergo potest? *Duo* potest: potest proferre sententiam *contra* divortium civile et etiam *pro* divortio civili, sed in casibus supra expositis tantum, sc. quando

matrimonium christianum aut non exsistit aut nullum aut dissolubile est.*)

At S. Pœnitentiaria Episcopo *Lucionen.* d. 24. Sept. 1887. ad aliquam quæstionem respondit: »eundem *in hoc casu particulari*, si *inspectis omnibus* ejus adjunctis ita in Domino expedire judicaverit, tolerare posse, ut Syndicus orator ad actum de quo in precibus procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum: *Solumque civilem contractum abrumpere velle*, ponat: *solumque civilem contractum spectare posse*«. Adjuncta specialia hæc erant: »Syndicus ille si pronuntiare recusaverit, *absque dubio magistratu spoliabitur* quod valde periculosum erit rei catholicæ, cujus strenuum defensorem Syndicus ille se semper probat«. Declarationes autem erant præscriptæ a S. Off. d. 25. Jun. 1885 supra adductæ.

Hoc S. Pœn. responsum interpretati sunt nonnulli canonistæ ita ut responsum in *Lucionen.* traherent ad similia. Quare S. Pœnitentiaria suum sensum aperire debuit Ep. *Massiliensi* de hoc sciscitanti quod et fecit d. 4. Jun. 1890. hisce verbis: »Ad 1^{um}. S. Pœnitentiariam in rescripto de quo agitur, edendo id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exegentiis provideret«. »Ad 2^{um}. *Negative*« i. e. responsum *Lucionen.* applicari non valet judici civili inter similes conjuges et sub iisdem declarationibus divortii sententiam proferenti. *(Mon. Eccl.* VI. 2 pag. 198—199). — Supra sub n. I. vidimus S. Pœnitentiariam d. 9. Jun. 1891. mulieri postulanti licentiam petendi ob graves causas divortium civile respondisse: Petitam licentiam concedi *non posse.*

Cl. *Gasparri* c. l. n. 1240. affert responsum S. C. Inq. d. 3. Apr. 1877. ad Epum. *S. Galli* in *Helvetia*, quo mandatur Episcopo: »Quoad judices recurrat in casibus *particularibus*«, et locum ex epistola Nuntii Apostolici ad Ministrum Negotiorum Exterorum in Belgio d. 14. Sept. 1886. . . . »que le décret du 24. (?, 27.) Mai ne concerne pas la *Belgique*, et que par conséquent

*) Secunda quæstio a d. 18. Apr. 1886. non jam *syndicum*, sed *judicem* respicit, ideo utramque quæstionem in textu posuimus. Etenim teste *Gasparri* c. l. n. 1234. ante d. 18. Apr. 1886. in Galliis sententia divortii duobus actibus peragebatur: actu judicis qui edicebat „locum esse divortio", et actu syndici de facto dissolventis matr. civile, sed a d. 18. Apr. 1886. utrumque peragit ipse judex, non syndicus.

rien n'est modifié en ce pays en ce qui touche la matière du divorce«.*)

Ex omnibus hisce responsionibus sequitur: Ubi non adest Instructio specialis, uti in *Galliis,* recurrendum esse in casibus particularibus; etenim non omnes legislationes circa divortium sunt æquales.

Si vero sermonem ad Gallias restringimus et ad regiones cum iisdem legislationibus; quæri potest: Estne *intrinsece mala* actio judicis pronuntiantis divortium civile in his circumstantiis: a) *termini* sententiæ non concernunt nisi solum civile divortium cum effectibus civilibus, b) judex *intendit* attingere solummodo quæ ad civilem contractum spectant, c) judex hanc ipsam intentionem cum personis agentibus *communicat,* simulque d) palam *profitetur* doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus; econtra e) agitur in casu de personis *indissolubili* vinculo ecclesiastico ligatis; adjungimus denique etiam scandalum esse remotum: Estne intrinsece mala ejusmodi actio judicis in ejusmodi circumstantiis?

S. C. Inq. necnon S. Pœn. declarationes videntur respondere: *Affirmative* præsertim seclusa quæstione scandali. In hac opinione nos confirmat cl. *Gasparri* narrando in n. 1242: »Viri qui mentem S. Off. optime perspectam habebant, publice (in casuum conscientiæ discussione d. 11. Martii 1889 in eccl. S. Apollinaris Romæ) affirmarunt S. C. hoc decreto sententiam divortii civilis damnavisse tamquam *intrinsece illicitam*«. Neque objicias: Actio intrinsece mala nequit in Gallia esse illicita, licita in Belgio, item nequit esse Massiliæ illicita, Lucione licita. Etenim in quæstione Belgica opportunum non erat aperire veritatem, ideo responsum est: »Decretum d. 27. Maji 1886. non concernit Belgium«, quia revera ad Episcopos Galliæ directum erat, quamvis *verbis* tantum. Et in causa *Lucion.* responsio sane optima est; nam S. Pœnitentiaria poterat respondere non ad quæstionem uti proponebatur, sed uti jus in Gallia illis diebus fuerat mutatum; syndicus enim divortium jam non declarabat d. 24. Sept. 1887, lege d. 18. Apr. 1886. mutata.

Nihilominus sententiæ *neganti* actionem descriptam esse intrinsece malam, probabilitatem non abjudicamus.

---

*) Hæc verba pacabant animos excitatos in Belgio: etenim responsio S. Off. d. 27. Maji 1886 ipsam altam politicam tangebat: *Gasparri* n. 1243.

Cujus sententiæ rationes hæ sunt: 1. responsum S. Pœn. in *Lucionen.* Etenim si actio esset *intrinsece illicita,* neque tolerari posset. Et solutionem objectionis superiorem non admittimus; nam S. Pœnitentiaria respondit ad quæstionem non uti jus erat mutatum, sed uti proponebatur id quod perspicue ex responsione in c. *Massiliensi* deducitur; 2. ratio interna; nam judex non cooperatur peccato alieno directe et immediate: etenim si personæ civili impunitate abutantur ad peccandum, judicis sententia erat occasio, non causa; item si sequelas legitimi matrimonii intrinsecas a vero matrimonio separare contenditur (P. *Baudier* S. J. apud *Gasparri* n. 1237.), hoc accurate dictum non est. Judex enim nullo modo spectare potest legitimitatem prolis matrimonio *vero* annexam, sed legitimitatem a civili matrimonio provenientem. — In praxi tamen sententia severior suadenda est vel potius recurrendum est ad S. Sedem in particularibus casibus.*)

Additamenta.

Pauca in Commentario hoc tractata inter imprimendum mutationem aliquam subierunt, quæ in fine adnotemus oportet.

I. *De acquisitione quasidomicilii* (ad tit. *De cland. desp.* [IV. 3] n. 79. pag. 139). Fer. IV., d. 9. Nov. 1898. S. C. Inq. respondendum mandavit: »Orator acquiescat (officialis sc. diœcesis N. se non competentem consideravit ad assistendum matrimonio personarum quæ de facto per sex menses in N. morabantur, sed absque animo ibi morandi per majorem anni partem); et addatur: Se conferentes in civitatem N. ex alio loco vel parœcia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua parœcia per sex menses, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, *quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem,* facto verbo cum Ssmo.« Qui d. 11. Nov. 1898. resolutionem approbavit et confirmavit. *(Mon. Eccl.* X. 2 pag. 221).

II. *De acquisitione domicilii vel quasidomicilii in diœcesi* (ad tit. *De cland. desp.* (IV. 3) n. 93. pag. 147). Ibidem exposuimus domicilium vel quasi-domicilium in aliqua diœcesi non acquiri nisi

*) Appendicem III. *de locis ubi c. „Tametsi" valet vel non valet* prætermittere debuimus ob ingentem laboris molem quæ ad hoc requiritur, ne publicatio hujus Commentarii in l. IV. nimiam patiatur moram; cfr. pag. 166.

mediante acquisitione domicilii etc. in parochia. Hanc nostram sententiam certam reddidit responsum S. C. Inq. item d. 8. Nov. 1898., approbatum a S. P. *Leone XIII.* d. 12. Nov. 1898. En quæstio ejusque responsum: »An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui *diu in diœcesi versati sunt, sed in nulla parœcia domicilium, vel quasi-domicilium acquisierunt?* Resp. *Negative;* nisi diligenti inquisitione facta, constet eos, de quibus est quæstio, neque in civitate N., neque alibi, in nulla parœcia verum vel quasi-domicilium canonicum habere; sed esse *vagos*«.

III. Libri quidam a nobis citati publicati sunt in nova editione, quæ nobis post citationem jam impressam innotescebat, sic 1. *Geschichte des kanonischen Eherechtes* bis zum Verfall der Glossenliteratur von Joseph *Freisen,* Doctor der Theologie und der Rechte. *2. Aufl.* Paderborn. 1892. — Loci a nobis allati citabantur juxta 1. ed. Tubingæ 1888.

2. *Putzer J.* C. Ss. R.: *Commentarium in facultates apostolicas,* ad usum Ven. Cleri, inprimis Americani concinnatum ab Antonio Konings, C. Ss. R. *ed. IV.* 1897.

Index rerum.

Titulus I.

De Sponsalibus et Matrimonio.

pag. 1—100.

1. Matrimonii elevatio ad sacramentum novæ legis.

De Sponsalibus.

2. Definitio.
3. Fictus consensus non sufficit.
4. Species cap. 26. h. t.
5. Neque velleitas, desiderium, propositum.
6. Libertas requisita, 1°. pro cognitione habenda.
7. 2°. pro immunitate a vi.
8. Quid de metu?
9. Actus invalidi.
10. Præfertur sententia affirmans validitatem sponsalium iniforum sub metu.
11. Mutua promissio.
12. Quid si una pars tantum promittat et altera acceptet quin repromittat?
13. Signum sensibile.
14. Non sufficit taciturnitas.
15. Nulla solemnitas requiritur.
16. Neque ab alio quam a Summo Pontifice introduci potest; item consuetudine legitima, etiam particulari, uti in Hispania.
17. In dubio de valore sponsalium, in foro interno nulla est obligatio.
18. Item in foro externo.
19. Sed si contra negantem militent gravia indicia, cogi poterit ad juramentum purgatorium.
20. Si tamen signa fuerint clara, non admittitur et stat valor sponsalium.
21. Copula per se non est signum sufficiens sponsalium.
22. Sponsalia oportet sint inter personas de jure habiles, saltem habitualiter.
23. Contrahi possunt et per procuratorem ex speciali mandato.
24. Si parentes contrahant pro filiis, sufficit consensus tacitus, si fuerint præsentes.
25. Si absentes, requiritur ratihabitio saltem tacita.
26. Sponsalia contrahi possunt tum absolute, tum conditionate.
27. Arrhæ in sponsalibus permittuntur.
28. Pœnæ, jure canonico sunt prohibitæ.
29. I^{a}. objectio adversariorum: C. 29. h. t. loqui tantum de juste resilientibus.
30. II^{a}. Differentia inter arrhas et pœnas imaginaria.
31. Tamen valent pœnæ adjectæ ab extraneis.

De effectibus Sponsalium.

pag. 10.

32. Præter impedimentum publicæ honestatis, important obligationem contrahendi.
33. Etsi jure civili romano liceat recedere. — Legislationes modernæ hac de re.
34. Obligatio juramenti adjecti.
35. Quando obligent sponsalia conditionata, vel habentia tempus adjectum.

36. Quando obligent cum simpliciter contracta sunt.
37. An renuens illegitime possit compelli?
38. Conciliationes non admittendæ inter cap. 10. et cap. 17. h. t.
39. Caput 10. continet regulam, et cap. 17. exceptionem.
40. Examinatur cap. 10.
41. Theoria Auctoris adoptata a S. C. Concilii.
42. Media coactiva quæ?

De dissolutione Sponsalium. pag. 14.

43. Tres modi dissolutionis. I. Mutuo consensu resolvuntur sponsalia, etiam jurata.
44. Non tamen inter impuberes.
45. II. Quando sponsalium objectum fit impossibile: 1. amentia vel impotentia.
46. 2. Ligamine matrimoniali superveniente.
47. Utrum sponsalia soluto matrimonio reviviscant: Rationes utriusque sententiæ; favetur negativæ.
48. 3. Professione religiosa; 4. Ordine sacro; 5. alio dirimente impedimento superveniente.
49. III. Notabilis mutatio quando verificatur.
50. 1°. Ingressu in religionem unius partis.
51. 2°. Susceptione ordinum minorum inscia et invita muliere.
52. 3°. Nimia dilatione — discessu sponsi.
53. 4°. Sponsalibus cum 3ª persona.
54. 5°. Fornicatione. Si fornicationi supervenit impedimentum, sponsalia solvuntur pro utraque parte.
55. At pars nocens debet procurare dispensationem.
56. Fornicatio antecedens cognita non nocet.
57. Fornicatio antecedens postea cognita liberat partem innocentem.
58. Præjudicium paritur magis mulieri quam viro.
59. Objectio contra n. 57. ex c. 25. X. (II. 24) dissolvitur.
60. 6°. Notabilis mutatio in bonis animi, corporis, fortunæ.
61. Mutationes animi.
62. Mutationes corporis.
63. Mutationes fortunæ.
64. Inimicitiæ.
65. IV. Dispensatio Pontificia.
66. De probatione causæ dissolutionis. pag. 20.
Si procedat ex impedimento canonico etiam impediente, sufficit semiplena probatio.
67. Si faveat uni tantum parti, requiritur plena.
68. Si causa sit certa, regulariter non requiritur sententia judicis, secus si dubia.
69. Sed aliquando requiritur sententia judicis, per accidens.

De Matrimonio. pag. 21.

70. Definitio ut contractus.
71. Ut sacramentum.
72. Explicatur definitio.
73. Divisiones matrimonii. 1°. In legitimum, ratum, consummatum.
74. 2°. Publicum, conscientiæ et morganaticum.
75. 3°. Verum, putativum et præsumptum.
76. De præsumpto speciatim.
77. Quæstiones speciales de mutuo consensu.
Necessitas veri consensus interioris.
78. Oportet consensus sit personalis.
79. Consensus parentum non est necessarius pro validitate matrimonii filiorum familias.
80. Contraria petitio regis Franciæ, non admissa a Conc. Trid.
81. Tamen matrimonium contrahi potest per procuratorem.

82. Dummodo 1°. habeat speciale mandatum et quidem in ordine ad determinatam personam.
83. 2°. Mandatum exsequatur per seipsum, nisi habeat facultatem subdelegandi.
84. 3°. Non fuerit retractatum.
85. 4°. Neque præmoriatur mandans.

De matrimonio uti sacramento. pag. 28.

86. Proponitur quæstio an inter fideles haberi possit verum matrimonium quin sit sacramentum.
87. In abstracto ratio contractus et sacramenti distinguitur.
88. Nonnulli putaverunt et in concreto.
89. Sed omnino erronee. I^um. argumentum.
90. II°. Ratio loquendi ss. canonum.
91. Matrimonium quod a ss. canonibus dicitur ratum, est sacramentum.
92. Matrimonia clandestina erant merito reprobata ut illicita.
93. III°. Summorum Pontificum, inprimis Leonis XIII. argumentum.
94. Hinc ministri sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes.
95. Ad sacramentum matrimonii requiruntur duo: contractus legitimus et baptismus susceptus.
96. Quid de sacramento matrimonii quando baptismus post nuptias recipitur ab utraque vel ab altera parte.
97. Ad Ecclesiam spectat legem ferre de matrimonio quatenus est sacramentum.

De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus. pag. 33.

98. Doctrina Conc. Tridentini.
99. Jansenistarum et regalistarum effugia.
100. Pseudosynodus pistoriensis et damnatio ejusdem facta a Pio VI. Item Pius IX.
101. Doctrina Leonis XIII.

De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia. p. 35.

102. 1°. Sequitur ex matrimonii elevatione.
103. 2°. Probatur facto perenni Ecclesiæ.
104. Agendi ratio Conc. Tridentini.
105. Bulla Auctorem fidei, Pii VI.

De potestate principum in matrimonium. p. 36.

106. Nihil possunt quoad substantiam et quoad effectus inseparabiles, econtra quoad separabiles.
107. De potestate principum in matrimonia non-baptizatorum.
108. Cuinam in Ecclesia competat potestas constituendi impedimenta dirimentia? pag. 41. Antiquitus et Conciliis particularibus.
109. Nunc est causa major.
110. Neque consuetudo particularis procedere potest.
111. Quis valeat statuere impedimenta impedientia. p. 41. Olim et Episcopi.
112. Nunc est pariter causa major, si per modum legis inducantur.
113. Sed Episcopi valent in casibus particularibus.
114. Immo et Parochi valent ad tempus differre matrimonii celebrationem.
115. Quinam subjiciantur impedimentis matrimonialibus. p. 42. Omnes homines subjiciuntur impedimentis juris divini.
116. I°. Ex defectu materiæ contratus: Impotentia antecedens et perpetua.
117. II°. Ex def. consensus: 1) ex parte cognitionis;
118. 2°. ex parte voluntatis;
119. III°. Ex def. habilitatis personarum: 1. consanguinitas in I°. gr.
120. 2°. ligamen.

121. Infideles non subduntur directe impedimentis mere ecclesiasticis, quid post baptismum.
122. Quoad hæreticos, et schismaticos, tenentur impedimentis quæ vigebant cum ab Ecclesia separati sunt.
123. Hinc Ecclesia dispensat cum heterodoxis redeuntibus ad unitatem.
124. Filii autem ob præsumptam bonam fidem saltem alterutrius ex parentibus, habentur ut legitimi.

De impedimentis impedientibus. pag. 46.

125. I. Ecclesiæ vetitum.
126. Summus Pontifex valet illud reddere impedimentum dirimens; sed non præsumitur.
127. II. Tempus feriatum; jure communi prohibentur tantum solemnitates et benedictiones nuptiarum.
128. III. Sponsalia valida nec resoluta.
129. IV. Votum simplex castitatis perpetuæ, vel ingrediendi religionem vel suscipiendi ordines sacros.
130. V. Clandestinitas, ubi Decretum Concilii Tridentini non est promulgatum.
131. VI. Omissio trium denunciationum.
132. VII. Cultus disparitas inter partem catholicam et heterodoxam.

De impedimentis dirimentibus. pag. 49.

133. Enumerantur.

1°. De impedimento erroris.

134. Error in personam, dirimit.
135. Error circa qualitates non dirimit.
136. Nisi 1°. sit circa conditionem servilem.
137. Nisi 2°. refundatur in personam.
138. Error in essentia, error in bono triplici matrimonii.

2°. De impedimento defectus consensus. pag. 54.

139. Defectus consensus in civili matrimonio, in fictione, in joco.

3°. De impedimento vis et metus.

140. Vis cadit in actum imperatum, et dirimit jure naturæ.
141. Metus gravis ab extrinseco, injustus, directe incussus ad extorquendum consensum, dirimit jure positivo probabiliter.
142. I. Gravis. In gravitate ponderanda, attendenda qualitas personarum.
143. Hinc et metus reverentialis esse potest aliquando gravis.
144. Gravitas metus ponderanda, prudentia judicis.
145. II. Explicatur quando metus sit ab extrinseco.
146. III. Quando injustus.
147. IV. Quando directe incussus.
148. Hoc impedimentum cum proprie sit juris positivi, est odiosum utpote lex irritans.
149. Metus purgari poterat ante Tridentinum.
150. Idem jus est post Tridentinum, si metus impedimentum sit occultum.
151. Si publicum, renovandum matrimonium in facie Ecclesiæ.

4°. De impedimento raptus. pag. 58.

152. Jure Decretalium confunditur cum impedimento vis et metus.
153. Ex Tridentino est speciale impedimentum.
154. Ejus definitio.
155. Explicatur „violenta abductio“ et „mulieris“.
156. Raptus viri utrum sit impedimentum. Sententia affirmativa.
157. Sententia negativa præferenda.
158. Solvuntur argumenta sententiæ affirmativæ.
159. Explicatur „de loco in locum non tutum“.
160. „Matrimonii ineundi causa.“
161. Divisio raptus: violentiæ et seductionis.

I. Mulier non vult neque raptum neque matrimonium.

162. II. Mulier vult et raptum et matrimonium.

163. III. Mulier vult raptum, minime vero matrimonium.
164. Cessatio impedimenti.
165. Dispensat solus Sum. Pont.
166. Circumstantia raptus semper exprimenda. Impedimentum prohibens.
167. Pœnæ in raptorem.
168. Quid et quotuplex sit cultus disparitas. pag. 66.
169. Quid juris, si adest dubium circa collationem baptismi.
170. Baptismus sub conditione iteratus non præjudicat validitati matrimonii.
171. Examen ad cognoscendam validitatem baptismi in ordine ad matrimonium.
172. Matrimonium cum certitudine vel præsumptione validitatis baptismi contractum non fit nullum quando postea nullitas baptismi detegatur.
173. Impedimentum hoc non divino jure introductum, neque lege scripta ecclesiastica.
174. Est juris eccl. consuetudinarii.
175. An obtineat ubi primo fides prædicatur et Ecclesiæ constituuntur?
176. Et an obliget hæreticos ibi degentes?
177. Benedictus XIV. statuit obligare omnes.
178. Et unus Papa dispensat. Quomodo?

De matrimoniis mixtis. p. 75.

179. Imperfecta disparitas, saltem nunc, est tantum impedimentum impediens. Incommoda.
180. Dispensat unus Papa.
181. Conditiones olim requisitæ.
182. Conditiones nunc requisitæ de jure.
183. Quænam remitti valeant, ad majora præcavenda mala.
184. Semper pro matrimonio mixto permittendo requiritur gravis causa.
185. Modus assistentiæ passivæ. Tolerantia.
186. II. Locus celebrationis. III. Vestis.
187. Sponsi adeuntes ministrum acatholicum.
188. Instructio ad Episcopos Hannoveranos. Explicatio.
189. Non licet adire min. acatholicum neque per procuratorem.
190. Sacerdos interdum potest assistere matrimoniis acatholicorum.
191. Respicienda in reconciliatione catholicorum qui in ineundis matr. mixtis aliquo modo deliquerunt.
192. Censura infligitur eis qui adeunt ministrum acatholicum qua talem.
193. Censura est excommunicatio l. s. inflicta in credentes hæreticis.
194. Censura hæc materialiter exsistit jam ab origine Ecclesiæ, formaliter in indultis ab a. 1858., in declarationibus authenticis ab a. 1877.
195. Reconciliatio talium catholicorum in foro et interno et externo.
196. Potestne Sum. Pont. dispensare super cautelis?
197. Assistentia passiva in matrimoniis absque cautelis.
198. Indultum Episcoporum.
199. Innovationes in hoc indulto.
200. Modus œconomice procedendi ab Episcopo competenti.

Instructio Secretariæ Status d. 15. Nov. 1858. .. p. 97.

1. Rationes ob quas prohibentur matr. mixta.
2. Dispensat tantum S. Sedes, sub debitis conditionibus.
3. Non sunt celebranda in loco et ritu sacro.
4. Præscribitur formula dispensandi.
5. Ad mala graviora vitanda tolerari potest locus et ritus sacer exclusa missa.
6. Antiquiora Pontificum documenta renovantur.

Titulus II.

De desponsatione impuberum.
pag. 101—106.

1. Quinam impuberes.

De Sponsalibus impuberum.

2. Ad sponsalia contrahenda sufficit usus rationis, qui non præsumitur ante septennium.
3. Sponsalia inita a parentibus pro filiis infantibus, indigent ipsorum ratihabitione cum ad annos discretionis pervenerint.
4. Si prudentia suppleat ætatem valent sponsalia ante septennium.
5. Sponsalia impuberum ante pubertatem nequeunt dissolvi.
6. Sed ab eo qui fit pubes, statim recedi potest.
7. Sed si pubes contrahat cum impubere, hic tantum adepta pubertate recedere valet.
8. Si neuter adepta pubertate statim reclamet, sponsalia fiunt perpetua.

De matrimoniis impuberum.
pag. 102.

9. Requiritur pro validitate matrimonii, regulariter ætas 14 annorum completorum in viris, et 12 in mulieribus.
10. Nisi malitia suppleat ætatem.
11. Quo jure dirimat hoc impedimentum. Si deest usus rationis, dirimit jure naturæ.
12. Si deest pubertas corporis, non adest impedimentum, nisi adsit impotentia.
13. Si deest maturitas corporis et ætas legitima, impedimentum habes juris positivi.
14. Si ætas legitima tantum deest, nullum impedimentum.
15. Matrimonium nullum impuberum habet valorem sponsalium. Nisi expresse obstet contrahentium voluntas.
16. Matrimonium impuberum, nullum, est renovandum in facie Ecclesiæ.
17. Huc spectat etiam amentia; quo se extendat.

Titulus III.

De clandestina desponsatione.
pag. 106—166.

1. Triplex clandestinitas.
   I. De Denunciationibus.
2. Investigatio præmittenda a Parocho.
3. Denunciationes generaliter præscriptæ a Lateranensi IV.
4. Decretum Tridentini.
5. Denuntiationes I. ter faciendæ.
6. II°. A parocho utriusque nupturientis.
7. Et quidem a parocho actuali, si a longo tempore ibi morentur; secus ab antiquo parocho.
8. III°. in ecclesia.
9. IV. Tribus continuis diebus festis et inter missarum solemnia.
10. V. Optima denuntiandi formula in Rit. Rom.
11. VI. Dispensat Ordinarius.
12. Si nupturientes sint diversæ diœcesis, utriusque episcopus dispensare debet.
13. Sed dispensatio concedenda ex justa causa.
14. Plures causæ demonstrative efferuntur.
15. Omnes fideles tenentur manifestare impedimenta.
16. Neque obstat c. 3. h. t.
17. Excusat tamen grave incommodum.
18. Omissio denuntiationum est impedimentum mere impediens.
19. Et si matrimonium contrahatur omissis denuntiationibus, absque dispensatione, faciendæ sunt ante ejus consummationem. — Pœnæ in parochum omittentem denunciationes.
20. Pœnæ in testes matrimonii.
21. Pœnæ in contrahentes.
22. Denuntiationes quando repetendæ.

De Matrimonio conscientiæ. pag. 112.

23. In quo consistat.
24. Necessaria auctoritas episcopi.
25. Secreta præmittenda inquisitio.
26. Matrimonium describendum in libro speciali, clauso, apud Curiam.
27. Proles denuncianda intra 30 dies.
28. Et adnotatur in libro speciali apud Curiam.
29. Si ex conversatione conjugum oriatur scandalum, primo monendi.
30. Deinde publicatur matrimonium.

II. De forma substantiali contractus matrimonialis. p. 114.

31. Ante Tridentinum aderant matrimonia publica, clandestina et præsumpta.
32. Tamen clandestina erant illicita.
33. Sed suscipiebantur ut valida, ex utriusque confessione.
34. Ex iisdem multa mala.
35. Quidam Theologi putabant ab Ecclesia non posse irritari.
36. Sed immerito, cum secus nulla valerent lege ecclesiastica opponi impedimenta dirimentia.
37. Hinc Tridentinum tulit legem irritantem.
38. Et proinde ubi hoc Tridentinum decretum viget, cessarunt matrimonia præsumpta. — Novum jus a Leone XIII. introductum.
39. Hoc decretum utpote latum ex præsumptione periculi generalis, non admittit epikejam.
40. Sed Concilium præscripsit specialem promulgationem in singulis parochiis.
41. Qua omissa, etiam culpabiliter, non obligat.
42. Secuta promulgatio constat 1°. ex positivis documentis; 2°. observantia.
43. Sed facienda est nomine ipsius Concilii.
44. Hinc non valet, nomine Concilii provincialis.
45. Quia Concilium provinciale nequit nomine proprio condere impedimenta dirimentia.
46. Papa tamen valet aliter statuere.
47. Tamen ubi publicatum hoc Decretum Tridentinum, ex impossibilitate communi celebrandi coram parocho, valet matrimonium coram testibus.
48. Sed non valet si impotentia adeundi parochum sit personalis.

De matrimonio civili. p. 121.

49. De se nullum habet valorem.
50. Tamen ab Ecclesia recognosci posset.
51. Difficultates quæ huic recognitioni obstant.
52. Tamen toleratur ut cæremonia mere civilis.
53. Sed expedit præmittere celebrationem coram Ecclesia.

De acatholicorum conjugiis, respectu legis Tridentinæ. pag. 123.

54. Rationes dubitandi.
55. Ostenditur legem Tridentinam, debite promulgatam, obligare etiam acatholicos.
56. Respondetur objectis.
57. Resolutiones S. Sedis.
58. S. Sedes agnoscit communitates acatholicorum.
59. Quibus in circumstantiis non agnoscat, explicatur.
60. Communitates acatholicorum jam ante promulgationem exsistentes.
61. Quid juris, si a communitate acatholicorum lege Tridentina non ligata dismembrantur aliæ communitates.
62. Declaratio Benedicti XIV. circa matrimonia in Ordinibus Fœderatis Belgii et Hollandiæ.
63. Const. Matrimonia erat declaratio, non lex nova vel dispensatio.

64. Explicatio super immunitate contractus. Quid juris in insula Melitensi.
65. Dispensationes ad contrahenda valide matrimonia mixta absque forma Tridentina.
66. Qui veniunt nomine hæreticorum.
67. Potestne sacerdos catholicus unquam assistere matrimoniis mere acatholicis?

De Parocho proprio in matrimonio. pag. 135.

68. Parochus originis, domicilii, quasi-domicilii, et momentaneus.
69. Parochus originis non attenditur.
70. Sed domicilii.
71. Alterutrius nupturientis.
72. Et quidem quovis in loco contrahatur.
73. Etiam invito parocho locali.
74. Item sufficit parochus quasi-domicilii.
75. Ejus genericus conceptus.
76. Inspicienda natura finis commorationis.
77. Si finis importet longam moram, quasi-domicilium statim acquiritur, et valent contrahere post aliqualem moram.
78. In ordine ad matrimonium, et ipsa longa mora constituit quasi-domicilium.
79. De jure communi commoratio unius mensis importat præsumptionem acquisiti quasi-domicilii; in America Septentrionali importat ipsum quasi-domicilium.
80. Qui habitationem mutant in fraudem legis, idest non acquirendi ibi quasi-domicilium, invalide ibi contrahunt.
81. Non tamen est in fraudem legis, si ideo vere acquiratur quasi-domicilium ut ibi contrahi possit.

De matrimonio vagorum. pag. 142.

82. Vagus distinguitur a peregrino.
83. Valide contrahit ubi actu moratur.
84. Etiam clandestine si ibi non publicatum Tridentinum.
85. Et sufficit alteruter sit vagus.
86. Etsi vagus factus sit causa contrahendi matrimonium.
87. Nisi agat in fraudem legis, idest serio vagus non fiat.
88. Sed pro liceitate matrimonii vagorum requiritur licentia Episcopi.

De qualitate parochi proprii. pag. 143.

89. Parochus valet assistere matrimonio semper.
90. Etiam ille cui assistit tit. coloratus cum errore communi.
91. De vicariis. — De coadjutoribus.
92. De Ordinariis. — De Summo Pontifice.

De sacerdote ad assistendum deputato. pag. 147.

93. Quis deputare potest.
94. Cui deputatio fieri potest.
95. Quo modo fieri debet. Sufficit expressa vel implicita, non præsumpta.
96. Specialis et generalis deputatio ratione personæ sufficit, sed extrema non petenda.
97. Item specialis et generalis deputatio ratione objecti. — Causa Coloniensis.
98. Quando cessat licentia data.

De testibus in matrimonio. pag. 156.

99. Numerus et qualitas testium.
100. Qualitas præsentiæ.
101. Pœnæ in contravenientes legi Tridentinæ. — Casus practicus.

De Liturgia in matrimonio. pag. 161.

102. De confessione et communione matrimonio præmittenda.
103. De cæremoniis Ritualis.

104. De cæremoniis Missalis vel de benedictione nuptiarum solemni. In quo consistat.
105. Personæ quæ obtinere possunt hanc benedictionem.
106. Jus et obligatio parochialis: hæc benedictio.

Titulus IV.

De sponsa duorum.

pag. 166—183.

1. Triplex casus.
2. I^us^. est de concurrentia duplicis matrimonii.
3. Polyandria vetita est jure naturæ.
4. Polygamia a Tridentino profligata et quare.
5. Quidam affirmarunt prohiberi jure naturæ secundario.
6. Et dispensatum fuisse a Deo cum Patriarchis et Hebræis.
7. Alii negant jure naturæ prohiberi, quamvis ab eo non laudetur, sed jure divino positivo ab initio mundi.
8. Sententia quæ tenet jure divino et positivo et naturali secundario prohiberi, maxime commendatur.
9. Christus Dominus „sustulit" dispensationem serius datam a Deo.
10. Impedimentum ligaminis oritur ex præcedenti matrimonio etiam simpliciter rato.
11. Difficultas ex pericope finali cap. 3. h. t.
12. 1°. Nonnulli arbitrantur: Pontifices quoque potuisse sentire prævalere secundum matrimonium consummatum, si primum esset tantum ratum.
13. Sed nulla antiqua decretalis ostendit aliquando Pontifices adhæsisse huic opinioni, neque in casibus particularibus.
14. Immo constat Romanam Ecclesiam semper tenuisse contrariam doctrinam.
15. Deinde hic error attingeret dogma.
16. 2°. Hinc alii dixerunt Pontifices aliquando relaxasse primum matrimonium ratum.
17. Hæc opinio theoretice est recta, sed historice non sustinetur.
18. 3°. Hinc melius dicendum est aliquando receptum fuisse secundum matrimonium, quia de primo sufficienter non constabat.
19. Pœnæ in bigamos. — Cessatio impedimenti ligaminis.
20. II^us^. casus est de concursu sponsalium cum præcedenti matrimonio.
21. Prævalet matrimonium, quamvis illicitum.
22. Nisi ex sponsalibus ortum sit.

Impedimentum publicæ honestatis. p. 175.

23. Hoc impedimentum primo inductum est jure romano.
24. Jure antetridentino, dirimebat usque ad 4^m^. gradum consanguinitatis, tum ex sponsalibus tum ex matrimonio rato, etiam invalidis, dummodo non ex defectu consensus.
25. Et est perpetuum.
26. A. Ex sponsalibus. Tridentinum limitavit ad primum gradum quoad sponsalia.
27. Et quidem attendit valida tantum.
28. Oritur tamen et ex sponsalibus clandestinis.
29. Ut declaravit S. Pœnitentiaria, 10. Sept. 1834.
30. Neque ignorantia excusat, cum sit lex irritans.
31. B. Ex matrimonio rato tantum. Circa hoc impedimentum ex matrimonio rato. Tridentinum nihil immutavit.
32. Matrimonium impuberum, non supplente malitia ætatem, regulariter æquivalet sponsalibus; hinc dirimit tantum usque ad I^m^. gradum.
33. Matrimonium clandestinum, ubi publicatum Tridentinum, neque sponsalium vim habet.

34. Quidam putaverunt ex eo neque oriri impedimentum publicæ honestatis quia non continent legitimum consensum.
35. Sed affirmandum est, cum consensum naturaliter verum quamvis illegitimum contineat.
36. Secùs est cum deficit consensus saltem perfectus, idest cum adest vis, error et metus.
37. An impedimentum publicæ honestatis oriatur ex matrimonio civili.
38. Per se affirmandum esset, quando contrahentes intendunt vere contrahere.
39. Hinc et conceditur sanatio in radice.
40. Plures tamen negabant, cum juridice considerandum sit ut mera cæremonia civilis.
41. In odium matrimonii civilis, S. C. C. decreto generali confirmato die 7. Apr. 1879. a Summo Pont. Leone XIII. declarando statuit, ipsum numquam producere impedimentum publicæ honestatis.
42. Verum producit alios effectus canonicos.
43. Impedimentum publicæ honestatis non agit retrorsum.
44. Hoc impedimentum non valet apud infideles.
45. IIIus. casus, est de sponsalibus concurrentibus cum sponsalibus. Prævalent prima.
46. Neque obstat juramentum.
47. Neque copula cum secunda.

Titulus V.

De Conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus. p. 183—201.

1. Quid conditio proprie.
2. Improprie.
3. Eventus fortuitus et potestativus.
4. Conditiones possibiles et impossibiles.
5. Honestæ et inhonestæ.
6. Contra substantiam matrimonii vel non.
7. Matrimonio in genere valent adjici conditiones.
8. Sed non licet nisi ex gravi causa.
9. I. Conditiones honestæ ac possibiles suspendunt vim matrimonii.
10. Verificata conditione, quidam asseruerunt ad valorem matrimonii novum esse ponendum consensum.
11. Sed communiter et theoretice loquendo, negatur, dummodo perseveret primus consensus conditionatus.
12. Quæstio proposita est S. C. C. sub S. Pio V. et sub Clemente VIII. — Difficultas præcipue oriebatur ex necessaria præsentia parochi et testium ad matrimonium contrahendum.
13. Clemens VIII. voluit in praxi, exponerentur S. C. C. singuli casus.
14. Quando confertur Sacramentum Matrimonii?
15. Copula carnalis quid operatur matrimonio conditionato superveniens.
16. II. Conditiones simpliciter turpes vel impossibiles, habentur ut non appositæ.
17. Sed est ex mera præsumptione juris, quæ cedit veritati.
18. III. Conditiones contra substantiam matrimonii, impediunt ejus valorem.
19. Conditio vitandi generationem, si sit turpis, est contra substantiam.
20. Si honesta apponatur in contractu initi matrimonii, — quidam tenuerunt non adversari substantiæ matrimonii.
21. Sed præferenda sententia contraria.
22. Neque obstant objectiones.
23. Item si habuissent votum castitatis, sed cognovissent ex divina revelatione alterum conjugem non esse petiturum, ut evenit B. Virgini et B. Joseph.

24. Hinc est nullum matrimonium, si contrahatur cum expressa conditione divortii, ut apud Calvinistas.
25. Non autem invalidat si tantum in mente exsistat et non deducatur in pactum.

De conditionibus appositis in sponsalibus. pag. 196.
26. Conditio honesta et possibilis suspendit vim sponsalium.
27. Et tunc non oritur impedimentum publicæ honestatis, donec evaserint absoluta.
28. Conditiones autem turpes vel impossibiles vitiant vim sponsalium.
29. Hinc non est eadem regula ac in matrimonio.
30. An valeant sponsalia sub conditione: 'Si Papa dispensaverit'.
31. Plures affirmant si agatur de impedimento in quo Papa solet aliquando dispensare, et adsit in casu motivum sufficiens.
32. Alii negant, cum hæc conditio sit de jure ponenda inter impossibiles.
33. Decisiones Ss. Cc. Romanarum.
34. Item quia sponsalia sunt inter personas de jure habiles.
35. Accedit ratio œconomica impediendi amores illicitos et limitandi efficaciam sponsalium.
36. Modus. pag. 199.
37. Si sit contra substantiam matrimonii, dirimit.
38. Causa.
39. Demonstratio.
40. Dirimunt 1°. si importent errorem substantialem; 2°. si deductæ sint in conditiones.

Titulus VI.

Qui clerici vel voventes, matrimonium contrahere possunt.

pag. 201—206.

I. De Clericis.

1. Clerici majores nec licite nec valide contrahunt.
2. Cogendi sunt ad dimittendam mulierem.
3. Excommunicantur.
4. Bigami, suspecti de hæresi.
5. Clerici Græci majores.
6. Separatio obligationum ab ordinibus majoribus.

II. De Voto. pag. 203.

7. Votum solemne dirimit; simplex reddit tantum illicitum matrimonium.
8. Duæ exceptiones.
9. Votum simplex nulla reddit sponsalia subsequentia.
10. Excommunicatio incurritur a contrahentibus matrimonium civile.
11. Clerici majores et professi solemniter excommunicantur contrahentes matrimonium civile.
12. Difficultatem non facit, quod Ecclesia actum civilem non vocet matrimonium.
13. Neque decretum S. C. C. d. 7. Apr. 1879.
14. Item pœna valet etsi matrimonium nullum est ex alio impedimento.
15. Cessatio hujus impedimenti.
16. Professio solemnis matrimonio superveniens.

Titulus VII.

De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

pag. 206—211.

1. Agitur de impedimento criminis.
2. 1°. Oritur ex adulterio utrimque formali, cum promissione acceptata futuri matrimonii.
3. 2°. Oritur ex adulterio utrimque formali, cum matrimonio attentato.
4. 3°. Ex conjugis occisione, utriusque contrahentis machinatione peracta, ad matrimonium contrahendum.
5. Antiquitus talibus criminosis interdicebatur quodlibet matrimonium.

6. 4°. Oritur impedimentum criminis ex adulterio utrinque formali cum occisione conjugis facto unius contrahentis, matrimonii ineundi, causa.
7. Impedimentum criminis contrahitur et ab ignorantibus pœnam.
8. Allegans ignorantiam meræ pœnæ, in foro externo non auditur.
9. Non enim agitur de censura.
10. Finis autem legis non cadit sub lege, cum lex attendat quod fit ut plurimum.

Titulus VIII.

De conjugio leprosorum.

pag. 211—212.

1. Lepra et alii morbi supervenientes non dirimunt matrimonium neque simpliciter ratum.
2. Cap. ultimum hoc titulo loquitur de sponsalibus, quæ solvuntur, superveniente lepra.
3. Idem est si præcesserit, sed fuerit ignorata.
4. Neque lepra superveniens jus dat divortii semipleni.
5. Sed debitum conjugale non obligat, si adsit periculum infectionis.
6. Sicut lepra, ita et alii morbi supervenientes solvunt sponsalia.

Titulus IX.

De conjugio servorum.

pag. 212—214.

1. Agitur de impedimento conditionis, seu status servilis caritati obnoxii.
2. Leges romanæ, servis non agnoscebant verum conjugium.
3. E contra antiquæ leges ecclesiasticæ, etiam insciis aut invitis dominis.
4. At sæculo saltem VIII. mutata disciplina.
5. Non constat directe an nova disciplina fuerit generalis.
6. Sæc. XII. restaurata antiqua disciplina.
7. Sed servus conjugatus debet domino consueta servitia.
8. Valet matrimonium personæ liberæ cum serva, scienter initum.
9. Non autem si ignoranter.
10. Nam Ecclesia statuit dirimens impedimentum, ducta gravibus rationibus.
11. Sed cognito errore, potest matrimonium confirmari libera voluntate, servata forma Tridentini, si impedimentum fuerit publicum; secus si occultum.

Titulus X.

De natis ex libero ventre.

pag. 215.

1. Partus sequitur conditionem matris, quoad libertatem vel servitutem.
2. Sed pro libertate sufficit mater fuerit libera tempore conceptionis, gestationis vel partus.
3. Quoad dignitates, filius liber sequitur conditionem patris.
4. Et uxor viri.

Titulus XI.

De cognatione spirituali.

pag. 215—227.

1. Amor conjugalis non bene conciliatur cum amore reverentiali vel ex propinquitate.
2. Cognatio triplex; I°. naturalis;
3. II°. spiritualis;
4. III°. legalis; hoc titulo de spirituali.
5. Oritur ex baptismo et confirmatione. Procedit ad modum paternitatis seu maternitatis, et filiationis.
6. Ante Tridentinum usque ad 4^{m}. gradum consanguinitatis et affinitatis.
7. Tridentinum limitavit.
8. Non contrahitur per baptisma invalidum.
9. Bene vero ex baptismo privatim collato, causa necessitatis.

10. Et a parentibus si non sint legitimi conjuges.
11. Et antiquitus etiam si essent conjuges.
12. Nunc non officit juribus conjugalibus.
13. Neque eis officit si levent prolem suam.
14. I. Requisita ad valide suscipiendum munus patrini: 1. ex natura rei.
15. Non contrahit procurator, sed mandans.
16. Requisita ad valide suscipiendum 2. ex lege positiva. — Designati.
17. De requisitis ad liceitatem: nimii, indigni, inepti.
18. De Confirmatione specialia quædam dicenda.
19. De numero filiorum spiritualium.
20. Confirmans potest esse etiam tenens, sed per procuratorem. Item in Baptismo.
21. Multiplicitas cognationis spiritualis et natura.
22. Omnia præter recensita sublata sunt hic impedimenta.

Titulus XII.

De cognatione legali.

pag. 227—235.

1. Adoptio quid?
2. Adoptio perfecta seu adrogatio.
3. Adoptio imperfecta.
4. Lex civilis romana canonizata est; causæ.
5. Extensio juris civilis Romanorum.
6. Paternitas, fraternitas, affinitas legalis.
7. Leges Romanæ in hac materia adoptantur a jure canonico.
8. Paternitas et affinitas legalis natura sua sunt impedimenta perpetua.
9. Aliter res se habet in fraternitate legali.
10. Adoptio subsequens matrim. non minuit jura conjugum.
11. An impedimentum oriatur etiam ex adoptione imperfecta, disputant Doctores antiqui et recentes.
12. Adoptio codicum modernorum discrepat a lege romana.
13. Hinc quidam negaverunt ex ea nunc oriri impedimentum.
14. Sed affirmandum est ex intentione.
15. Item ex declarationibus S. C. S. Officii.
16. Et ex praxi S. Pœnitentiariæ.
17. Impedimentum cognationis legalis secundum Codicem civilem Germanicum.
18. Item secundum jus Austriacum.

Titulus XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ.

pag. 235—239.

1. Duplex cognatio naturalis, affinitas et consanguinitas.
2. Affinitas quid?
3. I. Hoc titulo, de affinitate ex copula illicita perfecta.
4. Olim extendebatur usque ad quartum gradum inclusive.
5. Tridentinum limitavit ad secundum quando habeatur copula ex fornicatione.
6. In 4. et 3. gradibus nullum omnino adest impedimentum.
7. II. Rumpit sponsalia præcedentia.
8. III. Si matrimonio subsequatur, aufert adultero jus petendi et olim impediebat novum matrimonium, primo soluto.
9. Quis dispenset.

Titulus XIV.

De consanguinitate et affinitate.

pag. 239—255.

I. De consanguinitate.

1. Differt conceptus consanguinitatis qui habetur in jure civili, ab eo juris canonici.

2. Definitio canonica.
3. Stipes.
4. Gradus-Linea; recta et obliqua.
5. Descendentalis et ascendentalis.
6. Obliqua æqualis et inæqualis.
7. Graduum computatio in linea recta.
8. Item in linea obliqua.
9. In linea recta dirimit in infinitum.
10. In linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive.
11. In 2°. 3°. et 4°. gradu inter collaterales dirimit mero jure ecclesiastico.
12. In 1°. gradu non dirimit mero jure ecclesiastico.
13. Utrum de jure divino positivo, an de rigoroso jure naturæ, dubitatur. Rationes internæ.
14. Nomina consanguineorum.
15. Multiplicitas consanguinitatis.

II. De affinitate. p. 248.

16. Affinitas quid?
17. Eodem gradu et linea quo quis est consanguineus alicujus conjugis, fit affinis alterius.
18. Ante Lateranense IV^m. triplex genus affinitatis.
19. Exemplum.
20. Item oriebatur affinitas inter filios mulieris ex præcedenti matrimonio cum filiis viri, natis ex præcedenti matrimonio.
21. Nunc consistit matrimonium inter vitricum et uxorem privigni.
22. Affinitas ex copula licita, porrigitur ad 4^m. gradum inclusive.
23. Ex matrimonii mere civilis consummatione, non oritur affinitas usque ad 4^m. gradum.
24. Ab Ecclesia enim habetur ut merus concubinatus, absque figura matrimonii.
25. Affinitas contemplata in Lege Mosaica, nunc non viget jure divino.
26. In linea obliqua est semper juris ecclesiastici.
27. Quoad 1^m. gradum lineæ rectæ quidam putaverunt esse de jure naturali, ex instinctu omnium gentium, et ex S. Paulo I°. ad Cor. V.
28. Vel saltem de jure divino positivo.
29. Sed melius repetenda ex jure ecclesiastico, cum æque oriatur affinitas ex copula illicita, in qua ecclesia dispensat.
30. Non autem putat opportunum dispensare cum est ex copula licita.
31. Relatio inter vitricum et uxorem privigni, et inter privignum et novercam est fictio legalis.
32. Jus gentium probat tantum maximam rei convenientiam.
33. Textus Paulinus videtur intelligendus de noverca cognita vivente patre.
34. Nomina affinium.
35. Multiplicitas affinitatis.

Titulus XV.

De frigidis et maleficiatis et de impotentia coëundi.

pag. 255—278.

1. Impotentia quid?
2. Explicatio rubricæ tituli.
3. Divisio: Naturalis et extrinseca.
4. Perpetua et temporanea.
5. Absoluta et relativa. Antecedens et consequens. Certa et dubia.
6. Impotentia antecedens et perpetua dirimit matrimonium.
7. Impotentia estne perpetua quando in organa muliebria tantum ingreditur semen viri.
8. Vel artificialiter immittitur.
9. Quidam dixerunt dirimere tantum ex jure humano, cum 1°. salvi sint alii fines matrimonii. — 2°. Idem deducunt ex cap. 4. h. t. 3°. Confirmant ex matrimonio eunuchorum, quod olim permittebatur.
10. Sed melius, negandum est, cum attendendus sit finis principalis, et non secundarii.
11. Solvitur argumentum ex cap. 4. h. t. Antiquitus præscribebatur impoten-

tibus cohabitatio ut sororis et fratris, ex prudentia.
12. Sed postea ad peccata præcavenda, soluta est talium unio.
13. Cœlestinus III. dedit optionem.
14. Inter eunuchos permittebatur simulacrum matrimonii.
15. Sed ad peccata præcavenda, fuit postea vetitum.
16. Quomodo in praxi expedienda sit quæstio impotentiæ, p. 265.
17. Conjux impotens tantum relative, potest aliud inire connubium.
18. In dubio, concedebatur triennale experimentum.
19. Benedictus XIV. Const. Dei miseratione, normam servandam adsignavit.
20. Ex Trid. Concilio, cognitio causarum matrimonialium in prima instantia, reservatur episcopo.
21. Sede vacante, procedit Vicarius capitularis.
22. Adsignandus defensor vinculi ex officio.
23. Novum conjugium non permittitur, nisi saltem duæ sententiæ conformes habeantur.
24. Et quovis tempore appareat Ecclesia decepta, primum matrimonium reintegrandum est.
25. Instructio S. C. C., 22. Augusti 1840, super processu in causis matrimonialibus. p. 267.
26. Acta conficienda lingua latina, exceptis quibusdam.
27. Causa judicanda ab Episcopo vel a speciali delegato.
28. Instantia conjugis actoris scripto exhibenda.
29. Defensor vinculi juramentum præstet; semper intimandus; omnia acta ei ostendenda; semper audiendus.
30. Defensor stata die, dat interrogatoria clausa et obsignata.
31. Defertur conjugi juramentum de veritate dicenda.
32. Responsiones scribendæ.
33. Relegendæ et subscribendæ.
34. Conjux citatus, potest ante publicationem processus, proponere articulos alteri conjugi.
35. Eadem methodo interrogatur alter conjux.
36. Deinde fit examen septimæ manus, indicatæ ab actore.
37. Similiter septimæ manus productæ a reo.
38. Nec non audiuntur alii testes producti sive a partibus sive a defensore vinculi.
39. Distantes interrogantur ab Episcopo loci in quo sunt.
40. Interrogationes præcipuæ faciendæ.
41. Speciatim si querela sit de impotentia, procedendum ad inspectionem.
42. Judex eligit inter peritos indicatos, et in defectu destinat ex officio, dummodo non sint legitime suspecti.
43. Virum inspiciunt singuli periti separatim.
44. Peracta relatione, defensor proponit interrogatoria clausa et obsignata.
45. Quoad inspectionem mulieris, eliguntur tres obstetrices, instruendæ a medico et a chirurgo, quæ seorsim cum matrona procedant.
46. Facta inspectione, interrogantur seorsim.
47. Et peritorum exquiritur judicium, audita relatione inspectionis.
48. Publicato processu, locus fit defensionibus partium.
49. Si sententia sit pro nullitate, defensor vinculi debet appellare.
50. Experimentum triennale non amplius in usu est.
51. Si constat de non-consummatione matrimonii, legitimis exsistentibus causis, petitur dissolutio matrimonii rati.

52. Neque redintegratur matrimonium, si post dispensationem appareat potentia, dummodo non fuerit consummatum.
53. Causæ dispensandi.
54. Quid hermaphrodismus.
55. De exsistentia veri hermaphrodismi.
56. Quomodo tractandi sint hermaphroditi in ordine ad matrimonium contrahendum et jam contractum.

Titulus XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

pag. 278—281.

1. Sub nomine interdicti Ecclesiæ, lato sensu veniunt omnia impedimenta tantum impedientia.
2. Enumerantur hæc antiqua impedimenta.
3. Quæ nunc vigeant.
4. Pontifex valet et impedimentum dirimens apponere in casibus particularibus, sed Episcopus potest tantum impedire.
5. Etiam Parochus, sed extrajudicialiter, et proinde absque pœnis.
6. Pœnæ imponuntur ab Episcopo, ejus arbitrio.
7. Quid fuerit impedimentum catechismi 1°. ad modum compaternitatis.
8. 2°. Ob defectum rudimentorum fidei.
9. Delicta quæ olim constituebant impedimentum impediens; I°. incestus.
10. II°. Raptus.
11. III°. Uxoricidium.
12. IV°. Susceptio propriæ prolis, absque necessitate.
13. V°. Mors presbyteralis.
14. VI°. Solemnis pœnitentia.
15. VII°. Attentatio matrimonii cum moniali.
16. Impedimentum impediens quodam sensu est censura.

Titulus XVII.

Qui filii sint legitimi.

pag. 282—286.

1. In hoc titulo, legitimus est quem justæ nuptiæ demonstrant.
2. Sed est mera præsumptio juris.
3. Favore matrimonii habentur ut legitimi et nati ex matrimonio nullo, si alteruter saltem conjux erat in bona fide.
4. Dummodo spretæ non fuerint ecclesiasticæ solemnitates.
5. Illegitimorum plures species; 1°. quidam dicuntur naturales.
6. 2°. Alii spurii, quorum plures species jure canonico.
7. Illegitimitas est macula mere juridica seu socialis.
8. Aufertur 1°. per subsequens matrimonium, quoad filios naturales præhabitos.
9. Probabilius et ex matrimonio mere putativo.
10. Sed jure civili sic legitimati possunt excludi a quibusdam honoribus vel juribus.
11. Sicut jure canonico excluduntur a cardinalatu.
12. 2°. Tollitur illegitimitas per rescriptum principis ecclesiastici quoad jura ecclesiastica, et civilis quoad civilia.
13. Rescriptum Pontificis aliquando indirecte juvat et civiliter.
14. Sed non viceversa.
15. Legitimatio per Rescriptum potest limitationes apponere.
16. 3^us^. modus est dispensatio.
17. Canonicatus Patriarchalium urbis, requirunt specialem dispensationem.
18. Episcopus dispensat tantum quoad ordines minores recipiendos et beneficia simplicia.
19. 4^us^. modus est professio religiosa, pro presbyteratu suscipiendo.

Titulus XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari. pag. 286—300.

Quæstio 1ª. Quinam possint accusare.

1. Regulariter omnes possunt accusare, immo tenentur.
2. Quando I. solus accusare possit uterque conjux.
   II. Quando unus ex conjugibus.
   III. Quando quicunque.
3. 1°. Repelluntur qui accusant quæstus causa.
4. 2°. Qui dolose omiserunt accusare ante celebrationem.
5. Accusatio proponi debet personaliter.
6. Numquam perimitur actio hæc, viventibus conjugibus.

Quæstio 2ª. Quinam possint testificari. pag. 288.

7. Omnes non suspecti possunt testificari in causa conjugii.
8. Sed difficile attenditur testimonium ipsorum conjugum.

Quæstio 3ª. Quis sit judex competens in causis matrimonialibus. pag. 289.

9. Causæ matrimoniales possunt 1°. respicere ipsum vinculum; tunc sunt exclusive ecclesiasticæ.
10. Et quidem cognoscendæ in tribunali episcopi, et non inferioris prælati.
11. 2°. Causæ quæ connectuntur cum vinculo, sunt pariter exclusive ecclesiasticæ, ut legitimitas natalium.
12. 3°. Causæ de juribus civilibus conjugum, ut de dote, si directe tractentur, sunt fori laici.
13. Sed incidentaliter poterunt videri et in foro ecclesiastico.
14. Sed causa spiritualis neque incidenter cognosci potest in foro sæculari.
15. Nisi agatur de nudo facto.
16. 4°. Causæ de criminibus contra matrimonium sunt mixti fori; sed ad vindictam cognoscit Judex laicus.
17. Instructio ad Orientales d. 20. Junii 1883. pag. 291.
    Introductio.
    tit. I. De accusatione matrimonii.
    tit. II. De tribunali constituendo.
    tit. III. De methodo sequenda in actis conficiendis.
    tit. IV. De sententiæ prolatione et publicatione.
    tit. V. De secunda instantia.

Titulus XIX.

De divortiis. p. 300—336.

1. Divortium duplex, plenum et semiplenum.

De divortio pleno, seu quoad vinculum, et 1°. cum matrimonium consummatum est.

2. Matrimonium consummatum inter fideles est absolute indissolubile.
3. Matrimonium inter infideles est jure naturæ normaliter indissolubile.
4. Sed jure naturæ secundario.
5. Privilegium fidei.
6. Privilegium fidei supponit conversionem, non perversionem neque dispensationem super imp. cultus disparitatis.
7. Conversio requirit baptismum.
8. Præter conversionem necessarius est discessus partis infidelis. — Discessus non verificatur in 2 casibus.
9. Quid contineat interpellatio.
10. Per quem facienda sit interpellatio.
11. Modus interpellandi.
12. Dispensatio super interpellatione semper necessaria.
13. Dispensatio generalis et particularis. Exemplum I. gen. disp. in Hispania.
14. Exemplum II. S. Pii V.
15. Exemplum III. Gregorii XIII.
16. Facultates 3 adhuc vigentes.
17. Dispensatio S. Sedis specialis.
18. Causæ in supplici libello exponendæ.

19. Quando valor matrimonii inter infideles contracti est rationabiliter dubius, præsumitur pro nullitate matrimonii sic contracti in favorem fidei.
20. Processus summarius.
21. Privilegium pro parte conversa, non pro discedente.
22. Privilegium valet quando pars conversa transit cum effectu ad alias nuptias.
23. Matrimonium in hoc casu non dissolvitur professione religiosa.
24. Conjugium verum, postea mixtum, etsi postea quoque consummatum dissolvitur.
Vinculum autem dissolvitur pro utraque parte.
25. Quo in jure subsistat hoc privilegium? Explicatio.
26. Practice nihil definitum est.
27. At multo firmior videtur sententia quæ privilegium fidei adscribit juri exclusive divino.
28. Si inter infideles conjuges adsit impedimentum juris divini, dissolvendum est conjugium; secus si tantum juris ecclesiastici.

De divortio pleno in matrimonio rato et non consummato, inter fideles. pag. 323.

29. Est de se indissolubile, sed minus firmum.
30. Quia non plene significat unionem Christi cum Ecclesia.
31. Solvitur 1°. per professionem solemnem in religione approbata.
32. 2°. Per dispensationem Summi Pontificis. Probatur non modo ex facto certo, sed ex paritate cum solutione, causa professionis religiosæ.
33. Ratio autem intrinseca, est non plena firmitas talis matrimonii.
34. Brevis descriptio processus super non-consummatione matrimonii.

De dissolutione matrimonii invalide initi. pag. 330.

35. Detecta nullitate matrimonii, nequeunt conjuges ab eo recedere, auctoritate privata.
36. Neque tamen valent petere aut reddere debitum conjugale.
37. Requiruntur plenæ probationes ut dissolvatur matrimonium.

De divortio quoad torum et cohabitationem.

38. Quid divortium semiplenum.
39. Mutuo consensu.
40. Alterutro dissentiente.

I°. De divortio semipleno perpetuo, seu causa adulterii. pag. 331.

41. Oportet sit 1°. formale, consummatum, certum.
42. 2°. Absque alterius participatione.
43. 3°. Non remissum.
44. Quod et tacite haberi potest.
45. Sed si adulterium sit habituale, non est indulgendum.
46. Nec credendum fictæ pœnitentiæ.
47. 4°. Non compensatum.
48. Etsi non simultaneum, dummodo ante sententiam.
49. Si post sententiam, quidam negarunt, primum adulterium posse exigere restaurationem cohabitationis.
50. Sed melius affirmatur.
51. Sed requirat aliam sententiam.
52. Si adulterium sit notorium, licet cedere auctoritate propria; e contra in occulto.
53. Causa pleni divortii, jure decretalium, tractabatur de plano.
54. Sed Benedictus XIV. et SS. CC. quædam determinaverunt.
55. Causa divortii semipleni est ordinaria.
56. Quoad alendos et educandos filios antea natos, servandum jus civile.

De divortio semi-pleno ob alias causas. pag. 335.

57. De divortio ob hæresim vel apostasiam.
58. Ex periculo animæ.
59. Ex periculo gravis damni temporalis.
60. Quod valet et pro viro,
61. ob morbum.

Titulus XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda. pag. 337—340.

I. De donationibus.

1. Donatio quid? — propter causam — remuneratoria.
2. Interdicitur donatio inter virum et uxorem constante matrimonio.
3. Rationes hujus prohibitionis, duæ.
4. Exceptiones 1°. de parvis donationibus; 2°. de rebus futuris; 3°. ob uxoris ornatum; 4°. ob augmentum honorum vel munerum viri.
5. 5°. Mortis causa.
6. Sed non revocatæ ante mortem, firmantur, etsi de cetero invalidæ.
7. Item firmantur juramento de non revocando.

II. De dote. pag. 338.

8. Quid et quotuplex.
9. Jura mariti in dotem.
10. Bona extradotalia uxoris et paraphernalia.
11. Donatio propter nuptias seu contrados.
12. Sponsalitia largitas.

III. De restitutione dotis. pag. 339.

13. I°. Ex divortio pleno.
14. II°. Ex morte alterutrius.
15. III°. Ex divortio semipleno utriusque consensu.
16. IV°. Alterutrius crimine.

Titulus XXI.

De secundis nuptiis. pag. 340—355.

1. Secundæ nuptiæ quamvis licitæ, tamen minus honorabiles.
2. Et non benedicebantur.
3. Sed ex consuetudine obtinere potest ut benedicantur, si mulier tunc primo nubat.
4. Lege romana interdicebantur novæ nuptiæ mulieri intra annum luctus.
5. Sed jus canonicum id non attendit.
6. Quid de secundo matrimonio inito, exstante tantum dubio, de morte primi conjugis?
7. Quomodo certo constare possit de morte primi conjugis.
8. Documenta oportet sint authentica et nota.
9. Gravitas hujus materiæ.

Instructio S. U. Inquisitionis jussu Clementis X. pag. 343.

10. Juramentum testium.
11. Interrogationes.
12. Quando contrahentes sunt exteri, seu alienæ diœcesis.
13. Quando sunt cives.
14. Quando asserunt conjugem esse præmortuum.
15. De contrahentibus vagis.
16. Documenta sint authentica.
17. Quinam testes præferendi.
18. Officialis assistens his interrogationibus.

Instructio S. C. Inquisitionis d. 13. Maji 1868. pag. 346.

19. Materiæ gravitas.
20. Non semper possunt haberi plenæ probationes.
21. Sola absentia non sufficit.
22. Ante omnia inquirenda documenta authentica.
23. Secus duo testes de scientia.
24. Aliquando admittitur et unus testis.
25. Aliquando et testes de auditu.
26. His deficientibus, recurritur ad præsumptiones, et indicia.
27. Describuntur præcipua tunc attendenda.
28. Fama.
29. Ephemerides.

30. Omnia subjiciantur pluribus theologis et juris peritis.
31. Dubio adhuc exstante, transmittantur acta ad S. Sedem.
32. Citantur principaliora S. Sedis circa hanc materiam acta.
33. Quomodo instituatur examen super status libertate.
34. Qualitates testium citandorum.
35. Examen testium.
36. De exteris in diœcesi matrimonium inituris; necnon de diœcesanis extra diœcesim commoratis.
37. De vagis in sensu latiore: modus procedendi.
38. Quid agendum in mortis periculo.
39. De consuetudine contraria expositis instructionibus.
40. Non requiritur physica mortis certitudo, sed sufficit moralis.

Appendix I.

De dispensationibus in impedimentis matrimonii. p. 356.

1. Quid dispensatio.
2. Est odiosa in jure. Historia dispensationum.
3. Datur ab habente jurisdictionem; et a Papa et a Concilio Generali pro utroque foro. Quo se extendat potestas dispensandi ecclesiastica.
4. Sed in occultis S. Pœnitentiaria dispensat tantum pro foro interno.
5. Episcopi potestas circa impedimenta prohibentia.
6. Episcopi potestas circa imp. dirimentia juxta decretum d. 20. Febr. 1888.
7. De conditionibus ad hanc potestatem requisitis.
8. Subdelegatio hujus facultatis.
9. Expressa delegatio Episcoporum sive rescripto speciali sive indulto.
10. Decretum S. Off. quod committi jubet dispensationes matrimoniales Oratorum Ordinariis.
11. Ex tacita delegatione Ordinarius dispensat super impedimento dubio.
12. Facultas præsumpta.
13. Auctoritas Benedicti XIV., quando matrimonium est jam contractum.
14. Sed sex verificari debent.
15. Et quidem valet pro solo foro interno.
16. Quando impedimentum sit occultum. Non modo numerus sed et qualitas personarum est attendenda.
17. Et oportet sit occultum etiam materialiter. Quando sit omnino occultum, quando publicum.
18. De potestate I. parochorum, II. confessariorum circa dispensationes matrimoniales.

De dispensationibus quæ a S. Sede conceduntur. p. 373.

19. De Congregationibus et Secretariis Sedis Apostolicæ per quas res matrimoniales expediuntur, præsertim de Dataria et Pœnitentiaria.
20. Dataria concedebat pro omnibus publicis impedimentis, et forma publica. E contra Pœnitentiaria, pro occultis forma secreta.
21. Hinc si matrimonium revalidetur in forma publica, renovandus est consensus in forma Tridentini; secus si in forma secreta.
22. Sed hodie et Pœnitentiaria dispensat in impedimentis publicis pro pauperibus.
23. Quid si fingant oratores se esse pauperes?
24. Cœpit S. Pœnitentiaria dispensare in publicis, sub finem sæculi elapsi, quando Dataria erat clausa.
25. Restituta Dataria, conceduntur singulis Pœnitentiariis majoribus, facultates pro pauperibus.
26. Si oratores dolo decipiant Ecclesiam, irrita est dispensatio.
27. Sed si absque dolo, dispensatur tamquam cum pauperibus, a Dataria, quando non sunt, valet dispensatio.

28. Non item si dispensatio concedatur a Pœnitentiario majore.
29. Neque juvat de paupertate testari Episcopum.
30. Et ita se habet praxis S. Pœnitentiariæ, quæ cognito errore, impetrat a Papa corroborationem vel sanationem in radice.
31. Quæ praxis confirmata est a S. C. C.
32. Sed valet dispensatio quando ipse Pontifex dispensat per organum S. Pœnitentiariæ.
33. Exponenda in petitione dispensationis. Formula supplicis libelli. pag. 379.

§. 1. De personis sive oratoribus.

34. Personæ exprimuntur nomine, ætate, diœcesi, religione.

§. 2. De impedimentis exprimendis.

35. Exprimenda est infima species impedimenti, item numerus impedimentorum.
36. Exponitur casus ubi duo impedimenta concurrunt: alterum S. Sedi reservatum, alterum Episcopo vi indulti concessum. Nequit Episcopus dispensare ordinarie.
37. Occurrunt impedimentum publicum cum occulto. Dispensatur in foro externo super publico, super utroque in f. interno.
38. De exprimenda I. consanguinitate.
39. De exprimenda II. affinitate.
40. De exprimendis impedimentis: III. publicæ honestatis; IV. cognationis spiritualis; V. criminis.

§. 3. De causis. pag. 385.

41. Causæ canonicæ juxta Instructionem S. C. de Prop. Fid. d. 9. Maji 1877. — Causæ privatæ.

§. 4. De taxa. pag. 391.

42. Taxa quid sit.
43. Qui vocentur vere pauperes et qui fere pauperes.
44. Quomodo ejusmodi census est instituendus.
45. De taxis quæ a Dataria et Pœnitentiaria de facto imponuntur.

§. 5. De variis circumstantiis.

46. Circumstantiæ quæ, præsertim de copula incestuosa.
46a. Supplicæ fori interni.

De exsecutione Lit. Ap. pag. 400.

47. Supplicæ apud S. Sedem aut rejiciuntur aut remittuntur aut acceptantur.
48. Dispensatio fit in forma commissoria.
49. Ordinarius nequit exsequi dispensationem nisi post adventum exemplaris originalis.
50. Observanda in exsecutione literarum
A. cum causis honestis I. verificatio 1) circa nomina.
51. 2) Verificatio circa impedimenta.
52. 3) Verificatio circa causas.
53. Quando exposita vera esse debeant.
54. Quomodo peragenda sit informatio.
55. II. Actus exsecutionis et legitimationis.
56. III. Clausulæ et obligationes in Datariæ rescriptis.
57. In Pœnitentiariæ rescriptis adjungitur clausula de recursu ad Datariam.
58. B. Observanda in rescriptis cum c. inhonestis sunt quinque:
I. Verificatio (3) II. Absolutio a pœnis et censuris (2).
59. Quare dispensatio sit impertienda.
60. Absolutio in utroque foro. Quomodo peragi possint quattuor actus in fulminandis dispensationibus.
61. Pœnitentia salutaris.
62. Inquirendum est etiam, utrum dispensationis concessio sit opportuna.
63. Legitimatio prolis susceptæ necessario est peragenda.
64. De clausulis et monitis in rescriptis cum causis inhonestis.

65. Modus exsequendi rescripta fori interni. pag. 416.
66. De matrimonii revalidatione. pag. 418.
67. Revalidandi modus quando invaliditas est publica.
68. Item quando est occulta. Specialia de clausula „Certiorata altera parte de nullitate matrimonii“ etc.
69. Certioratio hæc requiritur (theoretice loquendo) ad valorem.

De Sanatione in radice. pag. 421.
70. Ejus definitio.
71. Differt ab ordinaria dispensatione.
72. Clemens V. ea usus est in materia beneficiaria.
73. Et Bonifacius VIII. ea usus erat et in materia matrimoniali.
74. Requisita.
75. Quando soleat concedi.
76. Etiam ex officio peti potest.
77. In impedimento vere occulto, datur tantum pro foro interno, secus in forma authentica.
78. Passim datur pro matrimonio mere civili.
79. Conceditur favore prolis, etiam alterutro vel utroque pseudo-conjuge defuncto.

Appendix II.

De matrimonio civili relate ad jus Ecclesiæ matrimoniale. pag. 424.
1. Matrimonium civile quid sit, si ex principiis fidei consideretur.
2. Divisio et comparatio.
3. Historia.
4. Contractus civilis nequit esse matrimonium verum inter christianos nisi per accidens.
5. Influxus contractus civilis in impedimenta matrimonii.
6. Influxus contractus civilis in dispensationes ecclesiasticas.
7. Influxus in formam contractus matrimonialis: præmittenda cæremonia civilis.
8. Accusatio et dissolutio matrimonii civilis.
   I. Conjux petens divortium.
9. II. Officiales qui assistunt matrimonio civili.
10. At quid si fideles contrahere quidem possunt cæremoniam civilem, minime vero matrimonium verum?
11. Etiam secluso scandalo talis cooperatio per se mala est, at non adeo, ut non excusari valeat ob malum majus vitandum.
12. Dummodo officialis caute admoneat civiliter contrahentes de vero hujus actus valore.
13. Quæ monitio necessaria non est in imp. occultis.
14. Syndicus nequit assistere contractui civili junctorum cum alia persona in vero matrimonio.
15. III. Judex nequit pronuntiare divortium civile quando tangitur matrimonium verum, saltem ob vetitum S. Sedis, probabilius etiam ob intrinsecam actus malitiam.

Additamenta. pag. 437.

Index titulorum.

Titulus.	Pag.
I. De Sponsalibus et Matrimonio	1
De Sponsalibus	2
De effectibus Sponsalium	10
De Dissolutione Sponsalium	14
De Matrimonio	21
De Matrimonio uti sacramento	28
I°. De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus	33
II°. De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia	35
De impedimentis impedientibus	46
De impedimentis dirimentibus	49
1°. De impedimento erroris	50
2°. De impedimento defectus consensus	54
3°. De impedimento vis et metus	55
4°. De impedimento raptus	58
5°. De impedimento cultus disparitatis	66
De matrimoniis mixtis	75
Instructio Secretariæ Status ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtæ religionis quoad promiscua conjugia	97
II. De desponsatione impuberum	101
De sponsalibus impuberum	101
De matrimoniis impuberum	102
III. De clandestina desponsatione	106
I°. De denuntiationibus quæ matrimonio præmittuntur	106
De matrimonio conscientiæ	112
II°. De forma substantiali contractus matrimonialis	114
De matrimonio quod civile vocant	121
De acatholicorum conjugiis respectu formæ Tridentinæ	123
De Parocho proprio in matrimonio	135
De matrimonio vagorum	142
De qualitate proprii Parochi	143
De sacerdote ad assistendum deputato	147
De testibus in matrimonio	156
III°. De s. Liturgia in contrahendo matrimonio adhibenda	161
IV. De sponsa duorum	166
V. De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus	183
I°. De conditionibus honestis et possibilibus	185
II°. De conditionibus inhonestis vel impossibilibus simpliciter	189
III°. De conditionibus contra substantiam matrimonii	190

Titulus. Pag.

De conditionibus appositis in sponsalibus 196
Modus, demonstratio, causa 199
VI. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt 201
I°. De Clericis 201
II°. De Voto 203
VII. De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium 206
VIII. De conjugio leprosorum 211
IX. De conjugio servorum 212
X. De natis ex libero ventre 215
XI. De cognatione spirituali 215
De cognatione 215
XII. De cognatione legali 227
XIII. De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ 235
XIV. De consanguinitate et affinitate 239
I. De consanguinitate 239
II. De affinitate 248
XV. De frigidis et maleficiatis et de impotentia cœundi 255
Instructio S. Cong. Conc. 22. Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus 267
De Hermaphroditis 276
XVI. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ 278
XVII. Qui filii sint legitimi 282
XVIII. Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari 286
Instructio 291
Tit. I. De accusatione matrimonii 292
Tit. II. De tribunali constituendo 293
Tit. III. De methodo sequenda in actis conficiendis . . 294
Tit. IV. De sententiæ prolatione et publicatione . . . 297
Tit. V. De secunda instantia 298
XIX. De divortiis 300
I. De divortio pleno 300
II. De divortio in matrimonio rato et non consummato inter fideles 323
De dissolutione matrimonii invalide initi. 330
De divortio quoad torum et cohabitationem 331
I. De divortio ob adulterium 331
II. De divortio ob alias causas 335
XX. De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda 337
I°. De donationibus 337
II°. De dote 338
III°. De restitutione dotis 339

Titulus. Pag.
XXI. De secundis nuptiis 340
Referuntur quædam Instructiones S. Sedis, quæ practicam regulam exhibent in re matrimoniali servandam 342
Instructio S. C. Inqu. jussu Clementis X. „Cum alias“ pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Urbis Vicarii quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum . . 343
Instructio Supæ Sacræ Congnis Inquisitionis ad probandum obitum alicujus conjugis 346

Appendix I.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii 356
De Dispensationibus quæ a Sede Apostolica conceduntur . . 373
§. 1. De personis sive oratoribus 379
§. 2. De impedimentis exprimendis 380
§. 3. De causis dispensationis 385
§. 4. De taxa 391
§. 5. De variis circumstantiis libelli supplicis 396
De exsecutione Literarum Apostolicarum circa dispensationem . 400
De matrimonii revalidatione 418
De sanatione in radice 421

Appendix II.

ad commentarium in Lib. IV. Decretalium.

De matrimonio civili relate ad jus Ecclesiæ matrimoniale . . 424
Additamenta 437